INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

CAJETANO DE FULGURE

AVERSANÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO

OLIM

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO
S. THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE

Editio quarta auctior, et emendatior.

TOMUS V.

Continens Tractatus De actibus humanis, eorumquè regula; De vitiis, et peccatis; et De virtutibus Theologicis.

NEAPOLI 1822.

EX TYPOGRAPHIA JANUARII REALE.

Superiorum Facultate.

Quodcumque in hac Ecclesiae agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, et observetur, hoc idem floreat, et maturescat, hoc idem proficiat, et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa caelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur.

Vincentius Lirinensis *Commonit. l. cap.* 30.

Πιστιν ημεις ουτε παρ' αλλων γραφομενην ημιν νεωτεραν παραδεχομεθα, ουτε αυτοι τα της ημετερας διανοιας γεννηματα παραδιδοναι τολμωμεν, ινα μη ανθρωπινα λογιζωνται τα της ευσεβειας ρηματα. αλλ' απερ παρα των αγιων πατερων δεδιδαγμεθα, ταυτα τοις ερωτωσιν ημας διαγγελλομεν.

Basilius *Epist. ad Antioch. Eccles.*

LECTORI BENEVOLO

In priori hujus operis editione de humanis actionibus quantum ad dogmaticam Theologiam satis erat, explicavi. Eorum vero, quae peculiari quadam ratione, ad moralem pertinebant disciplinam, principia quidem, ac veluti fundamenta posui, quae si adolescentes perspecta habuerint, poterunt sane ipsi per se, ac marte suo, nullo usi praeceptore eam moralis Theologiae partem ex aliis auctoribus, atque Elementis, quae rem satis accurate pertractarunt, comparare: sed omnia singillatim persequi, non putavi opportunum, neque instituto operi consentaneum. Primo enim adolescentibus, qui dogmaticae Theologiae dant operam, principia nosse satis est, ac fundamenta moralis. Deinde habenda etiam erat ratio temporis, quod passim in Schola Theologicis Institutionibus explicandis destinatum est. Prolixiores enim Institutiones, quae eo tempore absolvi non possunt, ipsa Praeceptores longitudine deterrent, ideoque tamquam inutiles, ac praestituto tempori non satis aptae, rejiciuntur. Verum in hac altera editione significatum mihi est a nonnullis, gratum sibi fore, si moralia etiam dogmata, quae ad hunc Librum pertinerent, adjicerem; ne adolescentes, qui moralibus disciplinis daturi sunt operam, eosdem tractatus frustra repetere cogantur. Quibus ita morem gerendum putavi, ut a prioribus tamen consiliis non recederem. Qua-

A 2 *pro-*

propter ea quae adjeci certis signis, atque asteriscis (a) conclusa notavi; ut et ii, quibus brevius concessum est temporis spatium, additamenta ipsa, si eis videretur, praetermitterent, et ii, quibus commodum fuerit, eadem, si necessaria sibi existimarent, perlegentes, nihil sibi hac in parte defuisse quererentur. Haec sunt, de quibus te monitum volui. Tu mihi nihil efficere poteris aut optatius unquam, aut gratius, quam si meis hisce laboribus libenter utens in sacris disciplinis proficere cura, studio, diligentia, quanta maxima poteris, enitare. Vale.

LI-

(a) Scilicet hoc modo (* *)

LIBER IX.

DE ACTIBUS HUMANIS, EORUMQUE REGULA: ET DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Praefatio.

Hucusque de Deo, ejusque proprietatibus, atque operationibus disseruimus, quibus divitias suae bonitatis effudit tum in creatione rerum, tum in admirabili generis humani post ruinam reparatione. Nunc de hominis ipsius operationibus est dicendum, quibus vel ad Deum, quo tendit, pervenire, vel ab eo misere discedere, atque aeternum perire possit, ut alteras diligenter obeundo, alteras fugiendo, ad beatam vitam perducatur. Primum autem ipsa actuum humanorum explicanda natura est. Deinde quis eorum finis esse debeat. Tum de eorum bonitate, et malitia disputandum, certaque tradenda regula, qua bonitas ipsa, atque malitia dignosci possit. Demum de Theologicis virtutibus, quibus praecipue Deus colitur, pertractabimus: *Haec enim maxime, imo vero sola religione quaerenda sunt*, ut inquit Augustinus *Enchirid. Cap.* 4.

CAP. I.

De actuum humanorum natura, ac divisione.

Actus humanus ille dicitur, qui fit ab homine, prout homo est, sive quatenus à brutis animantibus differt. Differt autem a brutis intelligentia, ac libera voluntate, in quibus imaginem Dei, ad quam homo factus est, sitam esse diximus *Lib. V. Part. 4. Cap. 4.* Ille ergo actus dicitur humanus, qui ab hominis voluntate fit, praelucente intellectu, seu ut alii explicant, *cum advertentia rationis.* Et quia voluntas numquam fine intellectu movetur, sufficit ad rationem, ac naturam humani actus ut fit voluntarius. Reliquae autem actiones dicuntur quidem actus hominis, sed non actus humani, ut post S. Thomam 1. *a* 2. *ae Q. I. art. 1.* omnes Theologi decent. Quam quidem doctrinam perspicue confirmant sacrae litterae. Ait enim Apostolus *Rom. VII.* 20. *Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud.*

II. Ex quò illud sequitur, omnem actum, qui voluntarius non fit, non esse actum humanum, ideoque omne id quod efficit, ut actus non fit voluntarius, efficere etiam, ut non fit humanus.

III. Sed voluntarium vel *αμεσως immediate* ab ipsa voluntate est, ut amor, odium; vel ab aliis potentiis sive internis, sive externis, voluntate imperante, ut intellectio, affectiones animi, ac motus corporis, cum ex imperio voluntatis fiunt. (* Item voluntantarium aliud est directum, et aliud indirectum, sive *in causa* sic qui vult ebrietatem, in qua cernit se homicidium patraturum; *directe* quidem vult ebrietatem, indirecte homicidium. *) Unde actus humani alii sunt a voluntate ipsa *eliciti* alii *imperati* (a), vel *directe*, vel *indirecte.*

IV.

(a) Qui res ad vivum magis resecare student, solos actus imperatos appellant *voluntarios*, actus vero elicitos volunt, dicendos esse potius *volitiones*, aut voluntates. Nos de ista distinctione non sumus solliciti, quae parum habet utilitatis.

IV. Jam vero cum homo, sicut et cetera omnia, propter Deum conditus sit; *universa enim propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. XVI. 4.* ut *Lib. III.* docuimus; voluntas vero hominis possit vel illa eligere, quae ad eum finem ducunt, vel eligere contraria; sit hinc, ut nonnulli actus humani boni sint; qui scilicet ad finem ducunt, propter quem homo conditus est; alii vero mali, qui ab eo fine abducunt, ac removent; quae quidem bonitas ac malitia a Theologis *moralitas* vocatur. Quapropter in humanis actibus non solum eorum natura, quam in voluntario sitam esse diximus; verum etiam *moralitas* attendenda est.

V. En igitur paucis humanorum actuum definitio, atque divisio. Actus humanus est qui fit ab homine, prout homo est, sive, qui est voluntarius. Actus autem voluntarius vel est a voluntate *elicitus*, vel *imperatus*; rursus vel est internus, vel externus; denique vel bonus, vel malus; addunt nonnulli Theologi actum *indifferentem*, hoc est, qui nec bonus, nec malus fit, de quo infra disputabimus. Sed haec omnia sigillatim explicanda sunt in sequentibus Capitibus.

C A P. II.

De voluntario, et involuntario.

I. Voluntarium est, quod ab ipsa voluntate fit vel *immediate* quoad actus elicitos, vel *mediate* quoad actus imperatos, praecedente aliqua rei cognitione, vel *actuali*, vel *virtuali*; ignotum enim amari non potest (*a*). Ex quo sequitur, voluntatem pati non posse in suis actibus coactionem, aut violentiam. Coactio enim est a principio voluntati extraneo contra voluntatis propensionem, voluntarium vero a voluntate ipsa fit et quidquid a voluntate fit voluntarium est; repugnat autem aliquid esse voluntarium contra volunta- tis

(a) Unde Aristoteles *Lib. III. Ethic. Cap.* 1. voluntarium definit: *Id, cujus principium est in ipso agente sciente singula, in quibus est actio.* Quam definitionem post Damascenum *Lib. II. De fid. Cap.* 24. S. Thomas, ceterique Theologi secuti sunt.

tis propensionem. Possunt quidem potentiae voluntati subditae ab extranea causa cogi, ut patet in eo, qui violenter in carcerem trahitur invitus, sed non recte dicitur a nonnullis, voluntatem pati coactionem quoad actus imperatos; non enim cogitur voluntas, quae actibus illis reluctatur, sed potentiae reliquae.

II. *Involuntarium* contra est, quod non est ab ipsa voluntate, sive quia voluntas reluctatur, sive quia non adsentitur, aut non advertit animum: unde duplex involuntarium est; *positivum*, et *negativum*. Quod autem efficit actum involuntarium, excusat etiam a peccato; ait enim *Augustinus*: *Usque adeo omne peccatum est voluntarium, ac nullo modo fit peccatum, si non fit voluntarium Lib. De vera Relig. Cap.* 14. Tria porro sunt, de quibus quaeri potest, utrum efficiant actum involuntarium, ignorantia, metus, et concupiscentia; de quibus hic dicendum est.

III. Ignoratia est cognitionis privatio, sive defectus; quae quidem ratione *objecti* dividitur in ignoratiam *juris*, qua quis legem ignorat, *ex. gr.* vetitum esse vesci carnibus die Sabati; et ignorantiam *facti*, qua quis sciens legem ignorat factum, sive circumstantiam, qua opus redditur lege vetitum, *ex. gr.* hodie esse Sabatum. Ratione vero *subjecti* dividitur in vincibilem, et invincibilem. Invincibilis ignorantia est eorum; quae quis nullo pacto scire potest, nec debet. Vincibilis vero est eorum, quae quis, adhibita diligentia, scire potest, ac debet; eaque duplex est, *affectata*, et *crassa*: affectata est, qua quis amat de industria nescire legem; crassa vero qua quis non vult directe legem ignorare, sed ad eam cognoscendam non vult, aut negligit debitam adhibere diligentiam. Sed si maxima negligentia fuerit, non solum crassa; verum *supina* ignorantia a Theologis appellatur. (* Denique ratione effectus dividitur ignorantia in *antecedentem*, *comitantem*, et *consequentem*. Antecedens est, quae voluntatis actum praecedit, ejusque causa quodammodo est. Comitans est, quae comitatur actum: qui ex alia causa fit, et non minus fieret, etsi ignorantia non esset. Consequens est, quae ex ipsa voluntate pro-

ficisci-

ficiscitur, ideoque ab ignorantia affectata, vel crassa non differt.

IV. Metus est animi perturbatio ob malum futurum, atque possibile, isque duplex, *gravis*, et *levis*. Metus gravis est mali gravis vel sibi, vel personis sibi conjunctissimis imminentis formido, puta mortis mutilationis, carceris, exilii, jacturae bonorum, aut juste acquisitae dignitatis, vel pudicitiae infamiae, injustae excommunicationis; qui quidem metus etiam in virum fortem, atque constantem cadit. Metus vero levis est vel levis mali, vel gravis quidem, sed quod non facile evenire possit. Verum in hoc attendenda etiam est varia aetatis, sexus, conditionis ratio, ita ut qui metus in aliqua hominum aetate, conditione, sexu levis est, idem in aliis gravis esse possit.

(* V. Sed est praeterea alterius generis metus, qui passim a Theologis *metus reverentialis* appellatur, quo scilicet quis majorum offensionem timet, parentum, tutoris, Praelati etc. Isque rursus est duplex, vel *simpliciter* scilicet *reverentialis*, vel mixtus. Prior est, quo nullum aliud praeter offensionem majorum timetur secuturum malum; posterior quo ex ipsa offensione mala alia oritura formidantur; ideoque ad metum vel gravem, vel levem, de quo paulo ante diximus, revocari, potest. *)

VI. *Concupiscentia* est inordinatus rerum, quae placent, appetitus contra rationem, de qua satis diximus *Lib. V, Part. 4.* Ea vero duplex est, *antecedens*, quae voluntatis imperium praevertit, et *consequens*, quae ab ipsa voluntate excitatur. Nunc igitur dispiciendum est, utrum ignorantia, metus, et concupiscentia voluntarium impediant, ac tollant.

PRO-

PROPOSITIO I.

Ignorantia vincibilis affectata non tollit, sed auget voluntarium, ideoque et peccatum; crassa vero minuit, sed non tollit voluntarium, et peccatum.

Prob. 1.*a. pars.* Qui de industria vult ignorare legem, ut liberius peccet, majori fertur voluntatis impetu in rem vetitam; idcirco enim ignorantiam affectat. *Psalm. XXXV. Noluit intelligere, ut bene ageret.* Unde inquit S. Thomas 1.*a* 2.*ae* Q. LXXVI. art. 4: *Ex intentione . . . . voluntatis ad peccatum pervenit; quod quis vult subire ignorantiae damnum, propter libertatem peccandi.* Ergo etc.

Prob. 2.*a pars.* Voluntarium non est sine cognitione: unde est commune, ac tritum apud Philosophos proverbium: *ignoti nulla cupido est.* Ubi ergo minor cognitio est; minus est voluntarium. Sed ubi est ignorantia crassa, minor est cognitio. Ergo ignorantia crassa voluntarium minuit.

Prob. 3.*a pars.* Ignorantia crassa non omnino cognitionem aufert. Ignorantia enim haec voluntaria est, culpaque non vacans; quia scilicet non vult homo omnem eam adhibere diligentiam, quam adhibendam esse cognoscit, vel cognoscere potest. Ergo etc. Hinc Christus *Luc. XII.* 48. *Servus*, inquit, *qui non cognovit voluntatem Domini sui, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ex quo patet, ignorantiam crassam minuere voluntarium, non tamen illud omnino auferre. Quae quidem omnium Patrum, et Theologorum doctrina est. (*a*)

Dices. Qui laborat crassa ignorantia non cognoscit, majorem adhibendam esse diligentiam, imo aliquando

putant

(*a*) Contra absurdam *Sanchez*, aliorumque sententiam, qui dicunt, ignorantiam quam vocant *mortaliter vincibilem* in praeceptis saltem Ecclesiae aliisve humanis utcunque gravibus a mortali peccato excusare. Quae sententia est a *Salmanticensibus* etiam explosa.

putant obsequium se protestare Deo. Ergo ignorantia crassa omnino cognitionem aufert, ideoque voluntarium.

℟. *Transeat*, *ant. neg. cons.* Dixi *transeat ant.* quia plerumque falsum est. Sed etiam hoc dato, non sequitur, nullam omnino cognitionem in eo esse, qui crassa laborat ignorantia. Quod enim non cognoscat quis, majore opus esse diligentia, semper est ex aliquo vitio, aut pravo animi affectu, quem ipse cognoscit extirpandum, aut compescendem, nec tamen totas ad id vires adhibere studet.

Scholion.

Quoniam saepe dubitatio incidit non mediocris, utrum aut invincibilis ignorantia sit vincibilis, haec ante oculos, ne erretur, habenda regula est. 1.º Si ignorantia est *facti*, in qua saepe viri etiam doctissimi versari possunt, ea tunc invincibilis existimari debet, cum quis mandata Dei toto corde diligit, culpas etiam leviores timet, saepiusque orat, ut Deus ei lumen gratiae caelestis impertiat. 2.º Si ignorantia est *juris*, ex communi Theologorum sententia, ut censeatur invincibilis, sufficit si aliquis ea sciat, quae ejusdem aetatis, conditionis, professionis homines communiter sciunt: quamvis inter doctissimos non excellat, eamque adhibeat diligentiam, quae moraliter in ejus sit potestate, habita ratione personae, reique tractandae; excepto contractu aliquo, in quo singularis diligentia, atque excellens peritia vel ex natura rei requiratur, vel promissa sit. In contrariis vero causis ignorantia vincibilis est.

PRO-

PROPOSITIO II.

Ignorantia antecedens invincibilis, sive facti, sive juris, etiam naturalis, si ea contingat, aufert omnino voluntarium, et peccatum. Est contra Jansenium Lib. II. De statu nat. laps. cap. 2. et seq.

Prob. I. Ex ipsa voluntarii natura. Voluntarium enim est, quod fit a voluntate, praelucente rei cognitione; ignoti enim nulla voluntas esse potest: *Rem prorsus ignotam*, inquit Augustinus *Lib. X. de Trin. Cap.* 1. *amare omnino nullus potest.* Unde illorum Scholasticorum jamdudum explosa sententia est, qui saltem ex absoluta Dei potestate, fieri posse humanum actum sine ulla rei cognitione, putarunt. Ergo ubi nulla prorsus est, nec potest esse cognitio, ibi voluntarium esse nullo modo potest. Id autem accidit, ubi ignorantia invincibilis est. Ergo.

Prob. II. ex. PP. 1.° Augustinus id axiomatis loco saepe ponit, neminem peccare in eo, quo cavere non potuit. Ait enim *Lib. De duab. anim. cap.* 12. *Dicere peccati reum teneri eum, qui non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis est.* Et *Lib. III. De Lib. arb cap.* 19 *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras*: quia scilicet Deus impossibilia non jubet, ut post ipsum *Augustinum*, ceterosque Patres, Tridentinum docet *Sess. VI. Cap.* 11. Atqui si ignorantia invincibilis non auferret voluntarium, peccaret aliquis in eo, quod cavere non potuit, eique deputaretur ad culpam, quod invitus, ignorat. Ergo. 2.° S. Thomas 1.*a* 2.*ae* *Q. LXXVI.* art. 3. *Si talis*, inquit, *est ignorantia, quae omnino sit involuntaria, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.*

Confirmatur ex *Alexandri VIII.* definitione, qui eam damnavit propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa, non excusat a peccato.* Si igi-

igitur ipsa juris naturalis ignorantia invincibilis excusat, magis ignorantia juris positivi, aut facti. Non autem excusaret a peccato, si non tolleret voluntarium. Ergo etc. Tractat haec fusius Stephanus Dechamps *De haeres. Jansen. lib. III. Disp. V. Cap.* 1.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Christus in laudato loco *Luc. XII.* 48. generatim ait: *Servus .. qui non cognovit voluntatem Domini sui, et fecit digna plagis, vapulabit paucis*; ubi non distinguit ignorantiam vincibilem ab invincibili. Ergo invincibilis ignorantia minuit quidem, sed non aufert omnino voluntarium, atque peccatum.

℟. *Dist. ant.* Non distinguit ignorantiam vincibilem ab invincibili, sed satis declarat, esse distinguendam, *conc.* Secus, *neg.* Cum enim ait: *fecit digna plagis*, satis ostendit, eum servum non omnino caruisse aliqua cognitione, quae ejus actiones dignas plagis efficiebat licet ignoraverit, Dominum ad eas puniendas esse venturum.

Objic. II. In Concilio Diospolitano damnata est ea *Pelagii* propositio: *Ignorantia, et oblivio non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Ergo etc.

℟. *Neg cons.* Pelagius enim omnem ignorantiam, quae de industria non esset affectata, excusare a peccato affiemabat; quia non est directe a voluntate, sed ex conditione, atque innata naurae infirmitate, licet vinci possit, saltem ordinariis auxiliis gratiae, quam *Pelagius* ipse negabat.

Inst. 1.° Pelagius eam ignorantiam excusare docuit quae non *evenit secundum voluntatem, sed secundum necessitatem.* Atqui talis est ignorantia invincibilis. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Docuit, excusare a peccato eam ignorantiam, quae evenit secundum necessitatem moralem, *conc.* Secundum necessitatem absolutam, *neg.*

Inst. 2.° Satis distinguebat *Pelagius* ignorantiam vincibilem ab invincibili; et fatebatur, vincibilem ignorantiam non excusare a peccato. Ait enim Augustinus

Lib.

Lib. De nat. et grat. cap. 17. *Tractat iste de peccatis ignorantiae*, *et dicit*, *hominem pervigilare debere*, *ne ignoret*, *ideoque esse culpandam ignorantiam*, *quia id homo nescit negligentia sua*, *quod adhibita deligentia scire debuisset*. Ergo cum docuit, ignorantiam non subjacere peccato, de invincibili loquebatur ignorantia; et tamen a Patribus ea doctrina damnata est.

℟. *Dist. ant.* Distinguebat ignorantiam vincibilem ab invincibili viribus naturae, *conc.* Ordinariis gratiae auxiliis, *neg.* Docebat enim, posse hominem libero arbitrio carere omni peccato, quia si ignorantiam non potest naturae viribus expellere, jam a peccato immunis est. Quod refellit *Augustinus* ex eo, quod per orationem, et gratiam Dei potest homo expellere ignorantiam, quam sola naturae virtute superare nequit. Hinc verbis in objectione recitatis subdit *Augustinus* ut validissimam responsionem: *Omnia potius disputat*, *quam ut oret*, *et dicat*: *da mihi intellectum*, *et discam mandata tua*.

Inst. 3.° Objectiones Pelagianorum apud Hieronymum *Lib. II. cont. Pelag.* et ipsius *Hieronymi* responsiones satis ostendunt, et *Pelagium* docuisse, ignorantiam omnino invincibilem excusare a peccato, et Catholicos tenuisse contrarium. Ait enim Pelagius: *Videris hominum accusare naturam*, *ac per hoc invidiam referre in Deum*, *qui tales homines condidit*, *ut oblivione*, *et ignorantiae peccato carere non possint* . . . . . *ubi autem aufertur possibilitas*, *aufertur et vitium*. Quid ad haec Hieronymus? *Respondet*, inquit *sententiae tuae liber Sapientiae. Altiora te ne quaesieris* . . . . *Ac ne forte huic libro contradicas*, *audi Apostolum* . . *O altitudo divitiarum sapientiae*, *et scientiae Dei quam inscrutabilia sunt judicia ejus*, *et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini?* Atqui si de ignorantia saltem per gratiam Dei vincibilem fuisset controversia, quis non videt, non solum ineptam fuisse Pelagianorum objectionem, sed et ineptiorem *Hieronymi* responsionem? Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Probat enim ibi *Hieronymus* contra *Pelagium*, non posse hominem totam vitam transfigere sine peccato, saltem veniali, quod praeter cetera probat

cx

ex oblivione, et ignorantia, quae multorum origo est peccatorum. Pelagiani autem non agnoscentes originale peccatum objiciebant, catholicos ipsum Deum facere peccati auctorem, qui naturam ita condidit, ut non possit esse sine oblivione, et ignorantia. Et quamvis potuisset respondere *Hieronymus*, non esse hanc naturam instituti hominis, sed poenam damnati; tamen cum ignorantia, et oblivio etiam in iis remaneat, in quibus peccatum originale deletum est, urgeri adhuc poterat, cur Deus reparata per baptismum natura, non abstulerit ignorantiam, nec eam det gratiam, ut omnia peccata vitentur. Recte igitur respondet: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei*: quae responsio omnem tollit cavillandi rationem.

Inst. 4.° Nulla est ignorantia, quae per gratiam vinci, et expelli nequeat. Ergo inanis est illa distinctio ignorantiae invincibilis per naturam, et per gratiam.

℟. *Dist. ant.* Nulla est ignorantia, quae vinci non possit per gratiam extraordinariam, *conc.* Ordinariam, *neg.* Saepe enim tanta laborat animus ignorantia vel juris, vel facti, ut ad eam expellendam Dei revelatio esset necessaria, quae gratia rarissima est, et extra ordinem: ita ut quod nonnisi per talem, ac tantam gratiam fieri potest, merito dicatur, et fit impossibile.

Inst. 5.° Ea quae per invincibilem ignorantiam contra legem fiunt, saepenumero *Augustinus* affirmat esse peccata. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Per *metonymiam*, quomodo dicimus linguam eum sermonem, qui lingua profertur, et manum appellamus scripturam, quae manu formatur, *conc.* Talis enim ignorantia, et quae inde consequuntur effectus sunt originalis peccati. Proprie, *neg.* *Nam illud*, inquit *Lib. III. De Lib. arb. cap.* 19, *quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere, non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberae voluntatis origenem ducunt . . . . sicut linguam dicimus . . . formam, tenoremque verborum etc.*

Inst. 6.° Augustinus *Lib. De grat. et Lib. arb. cap.* 3. *Sed et illa*, inquit, *ignorantia, quae non est*

est eorum, qui scire nolunt, sed et eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, sed fortassis, ut mitius ardeat; non enim fine causa dictum. Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt Psal. LXXVIII. Ergo invincibilis ignorantia neminem excusat.

℟. *Dist. ant.* Neminem excusat a peccato originali, propter quod damnabitur quidem, sed mitius ardebit, *conc.* Neminem excusat ab infidelitate etiam *negativa*, et invincibili, de qua loquitur Augustinus, *neg.* Sensus ergo est, eos qui invincibiliter ignorant legem Evangelicam, quam audire non potuerunt, non sic excusari, ut aeternam damnationem effugiant; non quidem propter hanc invincibilem ignorantiam, sed vel propter originale peccatum, vel etiam propter actualia, quae adulta aetate addiderunt contra legem naturae, licet puniantur mitius. Unde ait idem Augustinus *Epist. CXCIV. al CV. Inexcusabilis est omnis vel vitio originis, vel additamento propriae voluntatis.*

Inst. 7.° Quod est voluntarium in sua causa, non excusat. Atqui ignorantia invincibilis voluntaria est in causa sua, peccato scilicet originali, quod voluntarie, ac libere admissum est ab Adamo. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Quod est voluntarium in sua causa voluntate ipsius personae, quae effectum a causa oriturum praevidere potuit, ac debuit, *conc.* Quod est voluntarium voluntate originali, *neg.* alioqui quae in phrenesi, aut amentia admittuntur, voluntaria, et peccata dicenda forent, quod absurdum est. Unde merito ab *Alexandro* VIII. damnata est illa propositio *In statu naturae lapsae ad peccatum mortale, ac demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in sua causa; peccato nempe originali, et voluntate Adami peccantis.*

Inst. 8.° Ex concessis ignorantia invincibilis praesertim juris naturae, si contingat, quod mox expendemus, est poena peccati originalis. Atqui non esset poena, si excusaret a voluntario, ac peccato. Ergo. Ita arguit Wendrokius *Differt. De probab. ad Epist. V. Montalt.*

℟. Neg.

℟. *Neg. min.* Tum quia semper est quaedam naturae deformitas agere contra legem ex ignorantia, licet illa a peccato excuset; tum quia invincibilis ignorantia saepenumero a vincibili non dignoscitur, ideoque est aeternae damnationis occasio. Hinc sanctorum hominum trepidatio, ac gemitus.

Objic. III. Tritum est juris axioma: *Ignorantia facti; non juris excusare Cap.* XXIII. *De Reg. Jur. in* 6. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* In foro externo humanae justitiae, *conc.* In foro interno, *neg.* Jus enim humanum ad praecludendum omnem aditum eludendi leges excusatione ignorantiae, ob commune societatis bonum, solam facti ignorantiam excusare statuit. Non ita autem se res habet coram supremo judice Deo.

Objic. IV. Constans est *S. Thomae* doctrina, ignorantiam a peccato non excusare. Ait enim *Quodlib.* III. *Q. IV. art.* 2. *In iis, quae pertinent ad fidem, et bonos mores, nullus excusatur, si sequitur erroneam opinionem alicujus magistri...* Et *Quodlib.* VIII. *art.* 13. *Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.*

℟. Satis mentem suam explicasse S. Thomam non solum loco supra laudato, verum etiam *Quodlib. III. Q. XII. art.* 2 *ad* 1. dicens: *Ignorantia juris non excusat a peccato, nisi forte sit ignorantia invincibilis.* Ex quo sequitur, locis in objectione citatis loqui eum de ignorantia vincibili. Quod manifestum etiam est ex iis, quae subdit *Quodlib.* III. *Q. IV. art.* 2. verbis in objectione recitatis. Ait enim: *Qui enim sequitur opinionem alicujus Magistri contra manifestum Scripturae testimonium, aut contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*

Corollarium.

Si igitur in *objecto* aliquid cognoscitur; aliquid vero invincibiler ignoratur, erit quidem actio humana, et voluntaria in eo, quod coguoscitur; involuntaria ve-

ro respectu ejus rei, cujus invincibilis ignorantia est. Sic qui hominem occidit, quem invincibiliter ignorat esse Sacerdotem, reus erit homicidii, non sacrilegii.

Shalion.

Diximus in Propositione, ignorantiam invincibilem etiam juris naturalis auferre voluntarium *si ea contingat*, fine esse possit. Quaestio enim inter Theologos est ea de re non levis Gonetus *Tract. I. Theol. Moral. Cap.* 2. Ballerinius *in Confut. Epist. Pauli Segneri Cap.* 5. *etc.* nullam esse posse invincibilem juris naturalis ignorantiam putant, non solum quoad prima principia; verum etiam quoad ejus conclusiones utcumque remotissimas. Contra vero communis Theologorum sententia est; in primis quidem juris naturae principiis qualia sunt illa: *Deus et colendus: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; ignorantiam invincibilem esse non posse, sicut nec in proximis conclusionibus, quae facili ratiocinatione inde derivantur: posse vero esse invincibilem ignorantiam earum conclusionum, quae non nisi longo, ac difficili discursu a primis principiis deducuntur; quod nos sequenti propositione defendimus.

PROPOSITIO III.

Non potest esse invincibilis ignorantia juris naturae quoad prima principia, et proximas conclusiones, sed tantum quoad conclusiones remotiores.

Prob. 1*a. pars.* 1.° Apostolus *Rom.* II. 15. de Gentilibus ait: *Ostendunt ejus legis scriptum in cordibus suis. testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* 2.° Augustinus in *Psal. CXVIII. Serm.* 25. *Nullus est*, inquit, *qui facit injuriam alteri, nisi qui sibi fieri nolit, etenim in hoc transgreditur legem Dei, quam non finitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati.* Quod et alibi saepe repetit. 3.° Non usque adeo per peccatum detrita est in homi-

homine imago Dei, ut nulla prorsus lineamenta remanserint; alioquin ipsa hominis esset immutata natura. Atqui ita se res haberet, si homo prima juris naturalis principia invincibiliter ignoraret; quae naturae auctor Deus mentibus hominum quodammodo impressit, ac sculpsit, cum eos ad imaginem sui condidit. Ergo.

Prob. 2a. pars. Proximae conclusiones juris naturae sunt, quae facili negotio ex primis principiis deducuntur, qualia sunt praecepta Decalogi. Ergo difficilis non est earum cognitio, ac proinde invincibiliter ignorari non possunt.

Prob. 3a. pars. 1.° De remotioribus juris naturae conclusionibus saepe disputant inter se viri doctissimi, et in contrarias abeunt sententias, et quidem rationibus utrinque gravissimis. Quomodo igitur homo praesertim rudis, et indoctus veritatem tam certo inveniet, ut non possit illam invincibiliter ignorare? 2.° Remotiores illae conclusiones sunt, quae longiori, ac difficiliori ratiocinatione derivantur, cujus ratiocinationis plerique rudiores non sunt capaces. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. *cont. 2m. part.* Apostolus *Rom. VII. 7.* ait: *Peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Atqui lex illa est ex primariis juris naturae conclusionibus, cum sit in Decalogo. Ergo potest de iis esse ignorantia invincibilis.

℟. *Neg. cons.* Non enim ait Apostolus, se legem illam ignorasse invincibiliter. Sed ante legis cognitionem falso, atque ex vincibili ignorantia putans, solum actum peccati externum esse prohibitum, non ita acres sentiebat concupiscentiae stimulus; verum occasione accepta per legem, concupiscentia vehementius exarsit.

Objc. II. *cont. 3m. part.* Nullam legis naturalis ignorantiam excusare a peccato, saepe docet *Augustinus*, cujus plura testimonia *Gonetus*, et *Ballerinius* congerunt, ex quibus nonnulla superius recitavimus

 At-

Atqui si ignorantia esset invincibilis, excusaret. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Nulla legis naturalis ignorantia excusat, si vincibilis est, saltem ordinariis gratiae auxiliis, quae negabat *Pelagius*, contra quem disputat *Augustinus*, *conc.* Secus, *neg.*

Inst. Qui pie, et fideliter orat, non destituetur auxiliis, quibus naturae legem perfecte cognoscat, cujus legis perfectam notitiam Deus homini indiderat, cum eum ad imaginem suam condidit, ad quam nos reparat, et reformat gratia Salvatoris. Ait enim Dominus *Sap. VI.* 13. *Clara est, et quae numquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eum, et invenitur ab his, qui quaerunt illum.* Et Jac. I. 5. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei; postulet autem in fide nihil haesitans* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non destituetur auxiliis ordinariis, *conc.* Extraordinariis, *neg.* Plerumque autem tanta est aut in ipsis conclusionibus juris naturalis obscuritas, ut ipsi inter se dissentiant viri doctissimi, et sanctissimi; aut in homine ingenii tarditas, ut nonnisi per extraordinariam Dei revelationem possit invenire veritatem. Nec propterea, si fideliter orat, a Deo destituitur; accipit enim quantum ad salutem sufficit; et si qua remanet ignorantia, quam peccati originalis poenam noluit Deus omnino auferre, etiam reparata natura; non ei vitio vertitur.

Objic. III. Concors fuit veterum Theologorum sententia, nullam de lege naturae ignorantiam invincibilem esse posse. Ait enim Gerson *Sect. IV. De vita spirit. Concors est sententia, nullam in his, quae legis divinae sunt, cadere ignorantiam invincibilem.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Quoad prima principia, *conc.* Quoad remotiores conclusiones, de quibus ipsi veteres Theologi, imo et Patres Ecclesiae aliquando diffentiunt, *neg.*

Scho-

Scholion.

I. Potest aliquando accidere, ut conclusiones etiam primariae juris naturalis non quidem in se ipsae, sed in quibusdam circumstantiis invincibiliter ignorentur, praesertim a rudioribus; ut si quis non aliter possit hominem a morte, civitatem ab ingenti clade liberare, nisi per mendacium officiosum, fieri potest, ut invincibili errore sibi persuadeat, id esse licitum.

III. Licet de remotioribus juris naturae conclusionibus invincibilis esse possit ignorantia; non tamen ita facile talis judicari debet; cum plerumque ea ignorantia ex defectu diligentiae, docilitatis, orationis oriatur. Secus est de ignorantia facti, aut juris positivi.

III. Non censetur invincibilis illorum ignorantia, qui longa peccandi consuetudine obscuratum cor habent, atque in reprobum sensum traditi *bonum omnino nec diligere, nec dignoscere queunt*, ut ait Bernardus *Lib. De Dispens. cap.* 14.

IV. Sed nec invincibilis censetur ignorantia eorum, qui profitentur artem, aut munus, cujus scientiam prae ingenii tarditate comparare non possunt. Debent enim artem abjicere, aut abdicare munus, quo sine peccato propter ignorantiam fungi non possunt. Hoc enim ipsum lege naturae sancitum est.

V. Quae hucusque de ignorantia diximus, eadem de oblivione dicenda sunt, cum et ipsa invincibilis, atque vincibilis esse possit.

VI. Ignorantia comitans voluntarium non tollit; cum voluntatis actus non ex hac ignorantia proficiscatur; licet cum ea conjunctus sit, ut si quis *ex. gr.* inimicum, quem ad necem quaerebat, ignorans occiderit.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Metus, etiam gravis, si non ita rationem perturbat, ut non sit homo sui compos, minuit quidem, sed non aufert voluntarium, et peccatum.

Prob. 1a pars. Quod minuit voluntatis propensionem, minuit utique voluntarium, ideoque et peccatum. Atqui id efficit metus gravis, ut patet exemplo ejus, qui metu mortis argentum latroni tradit, aut mercatoris, qui metu naufragii merces in mare projicit. Uterque enim non fine magno dolore, et pugna voluntatis patitur rerum suarum jacturam. Ergo etc. Hinc olim Ecclesia mitius agebat cum poenitentibus; qui metu mortis thus adoleverant, quam cum iis, qui sponte fidem ejuraverant.

Prob. 2a. pars. Quod non aufert objecti cognitionem, et motum voluntatis, ideoque et peccatum. Atqui metus gravis, si non sit ejusmodi, ut auferat rationis usum, non aufert objecti cognitionem, nec voluntatis motum, sed ipsa voluntas eligit malum levius ad gravius vitandum, *ex. gr.* jacturam pecuniae ad vitandam mortem, ut advertit S. Thomam 1.a 2.ae *Q. VI. art.* 6. post Augustinum Lib. *De Spir. et litt. Cap.* 3 et Aristotelem *Lib. III. Ethic. Cap. I.* Ergo etc. Hinc Theologi quod ex gravi metu fit appellant voluntarium *absolute*, et *simpliciter*, involuntarium *secundum quid.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Votum sollemne, et matrimonium gravi metu contractum irrita, sive, ut loquntur, invalida sunt. Ergo metus gravis voluntarium perimit.

℟. *Neg. cons.* Non enim ideo sollemne votum, et matrimonium ex gravi metu sunt invalida, quia involuntaria sunt, sed quia leges sapienter ob bonum publicum cavent, ne iis in rebus consensus habeat obligationis effectum, nisi fuerit liber ab injusto metu ad ex-

extorquendum consensum incusso. Si enim metus fuerit a judice iuste incussus, valet matrimonium.

Objic. II. Qui ex gravi metu praeceptum non servat, *ex. gr* sacris non adest die festo, non peccat, Ergo etc.

℟ *Dist. ant.* Qui ex. gravi metu non servat praeceptum juris naturalis, *neg.* Qui enim ex gravi metu pejerat, profecto peccat. Qui non servat praeceptum juris positivi, *conc.* Non quia non fuit actus voluntarius, sed quia lex ipsa ea in re cessat, et nulla est.

Scholium.

I, Utrum contractus, vota, juramenta iujusto metu extorta irrita fint. Theologi disputant. Qua de re non est hic dicendi locus. (a) Qui enim affirmantem sequuntur sententiam, non idcirco illa volunt esse irrita, quia involuntaria, sed quia natura non patitur, ut aliquis per injuriam jus aliquod adipiscatur.

(* II. Tunc metus voluntarium minuit, cum habituali atque contrariae volnutatis propensioni adversatur. Si quis autem ex metu faciat, quod jam fine metu facere delibereverit, vel si postquam metu compulsus est, toto voluntatis impetu faciat quod antea displicebat, tunc metum voluntarium non minuere, perspicuum est.

III. Si metus non fit voluntatis caussa, sed comes, ut si fur rem alienam cum aliquo metu surripiat, qui metus *concomitans* a Scholasticis dicitur, is nec auget voluutarium, nec minuit, sed voluntatem vehementiorem fuisse ostendit, quae terrentem metum superavit. *)

PRO-

(a) Vide quae dicemus in sequenti Libro X.

PROPOSITIO V.

Concupiscentia antecedens voluntatis motum aliquando, at non semper auget voluntarium. Consequens vero concupiscentia semper auget voluntarium, et peccatum.

Prob. 1a. pars. Quod auget voluntatis propensionem, auget voluntarium. Atqui concupiscentia voluntatis motum antecedens, aliquando auget voluntatis propensionem, cum scilicet ita voluntatem allicit, ut plene, et majori cum voluptate, atque impetu consentiat. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Concupiscentia antecedens aliquando est contra bonam, et habitualem voluntatis propensionem, ac proinde ei voluntas vel resistit, et vehementius nititur in contrarium, vel non sine aliqua lucta cedit. Ergo etc.

Prob. 3a. pars. Concupiscentia consequens est, quae voluntatis propensionem consequitur, seu quae voluntaria est, ut accidit in iis, qui data opera *objecta* sectantur, quae concupiscentiam inflammant, aut pravum peccandi habitum fovent. Atqui ejusmodi concupiscentia auget voluntarium, seu voluntatis propensionem; unde ait. *S.* Thomas *1a. 2a. Q. LXXVII. art.* 6. *Quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.* Ergo etc.

Dices. I. Concupiscentia quaecumque sit, cognitionem minuit, unde amor caecus dicitur. Ergo semper minuit voluntarium.

℟. *Dist. ant.* Minuit cognitionem earum rerum, quae rem concupitam impediunt, aut ab illa animum deterrere possent, aut avertere, *conc.* Minuit ipsius rei concupitae cognitionem, *neg*, Hanc enim cognitionem concupiscentia auget..

Dices II. Concupiscentia sive antecedens, sive consequens libertatem minuit. Ergo semper minuit voluntarium, atque peccatum.

℟. *Transeat ant.* Quia id verum non est in eorum sententia, qui cum *Thomassino* negant, indifferentiam sequi-

requiri ad libertatis essentiam, quod quale sit, expendemus *Cap.* sequenti. Sed quia quia illa nobis sententia non probatur, *dato andecedenti*, *neg. cons.* Non enim idem est voluntarium, et liberum, ita ut quod libertatem minuit, minuere etiam voluntarium necesse sit. Quoad peccatum vero, requiritur quidem libertas, ut imputari possit ad culpam, sed non inde sequitur, majus, vel minus esse peccatum, quo major, vel minor libertas est, alioquin; qui ex longa, et voluntaria consuetudine peccat, quia minus libere, sed morali quadam necessitate in peccatum ruit, minuit peccaret, quam qui vix semel labitur; quod absurdum est. (* Tunc ergo quod minuit libertatem minuit etiam peccatum, cum concupiscentia est antecedens, et contra bonam voluntatis propensionem *) Sed haec paulo fusius sequenti capite explicanda sunt.

C A P. III.

De voluntario libero; et necessario.

Adv. I. Non est hic quaestio de libertate naturae, quam diximus *Lib. VII. Cap.* 8. esse facilitatem, qua natura in finem suum sine impedimento tendit; quo sensu dicimus, Deum liberè seipsum amare; sed de libertate electionis, atque arbitri. Diximus autem *Lib. V. Part. II. Cap.* 4. Deum creaturis rationalibus necessariam indidisse voluntatis propensionem erga seipsum, seu erga summum bonum; quae quidem omnium, excepto Scoto, Theologorum, et Philosophorum ab ipsa naturae consideratione profecta sententia est: reliquisse vero eàrum arbitrio, ut adhibito rationis judicio, eligerent *media*, quibus ad eum finem pervenire possent. Haec autem potentia eligendi *media* ad finem est libertas arbitrii. Vide S. Thomam *I. P. Q. LXXXII. et LXXXIII.* ubi fuse, et luculenter hac de re disserit.

II. Duplex ergo est voluntarium, scilicet necessarium, et liberum; quod et *indifferens*, et *contingens* vocatur a Theologis. Sed et libertas, sive indifferentia arbi-

arbitrii duplex est, alia *contrarietatis*, qua scilicet possunt eligi contraria, bonum, et malum; alia vero *contradictionis*, qua potest aliquid eligi, vel non eligi fine electione contrarii; atque haec rursus a Theologis dividitur in libertatem contradictionis quoad *specificationem*, et *exercitium*: illa est, qua potest eligi quae magis placuerit boni species: ista vero, qua quis licet una in re jam fixus, ac *determinatus*, potest illam vario modo exercere, ut in eodem *Lib. V.* explicavimus.

III. Sed libertatem sive indifferentiam *contrarietatis* non pertinere ad essentiam liberi arbitrii, manifestum est. Posse enim a summo bono deficere, non virtutis, sed infirmitatis est, alioquin Deus, qui peccare non potest, libero careret arbitrio. Hinc restat, ut ad liberi arbitrii naturam, sive essentiam, pertineat indifferentia contradictionis, vel quoad *specificationem*, vel quoad *exercitium*, cui opponitur *physica*, et absoluta necessitas; necessitatem enim moralem liberum arbitrium non destruere, saepe diximus in *Lib. VII.*

IV. Ab hac communi libertatis explicatione recedit cum nonnullis aliis Theologis Thomassinus *in Tract. de Incarnat.* qui fatetur quidem cum omnibus Catholicis, in hujus vitae statu esse in hominis voluntate indifferentiam *contrarietatis*, et *contradictionis*, quod nos ostendimus *Lib. VII, Cap.* 8. ubi etiam haereticorum objectiones refutavimus. Concedit etiam, in statu naturae lapsae hanc indefferentiam requiri ad merendum, aut demerendum, cum damnata sit illa Jansenii propositio: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Sed contendit, indifferentiam contradictionis nequaquam ad essentiam liberi arbitrii pertinere, ita ut quod voluntarium est, licet necessarium semper liberum sit dicendum, non solum libertate naturae, sed etiam libertate arbitrii (*a*). Quae quidem sentia, licet differat

(*a*) Hoc et *Jansenius* toto ferme *Lib. VI. de Grat. Salvat.*

a damnata thesi Jaseniana, nobis tamen multis rationibus non placet.

PROPOSITIO

Non solum ad meritum in statu naturae lapsae, sed ad ipsam liberi arbitrii naturam requiritur indifferentia saltem contradictionis.

Prob. I. *ratione.* 1.° Ad essentiam liberi arbitrii requiritur, ut voluntas sit actus sui domina. Atqui non potest eum habere actus sui dominatum, nisi possit agere, et non agere; hoc est si non habeat saltem indifferentiam contradictionis. Inquit enim. S. Thomas *Lib. I. cont. Gent. cap.* 68. *Dominium, quod habet voluntas in suos actus per quod in ejus potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Imo tantum abest, ut domina sit ejus actus, ad quem necessario determinata est, quin potius tunc ipsa voluntati dominetur necessitas. Ergo.

2.° Non potest fingi liberum arbitrium sine electione, unde ab eodem S. Doctore *I. P. Q. LXII. art.* 8. *et al.* libertas definitur: *vis electiva mediorum servato ordine finis.* Atqui ubi est necessario ad unum *determinatio*, non potest electio habere locum. Est enim electio inter plura, quae accipi possunt, unius prae aliis acceptio. Ergo etc.

3.° Non potest esse liberum arbitrium, sine deliberatione rationis. Atqui deliberatio sine indifferentia esse nequit; nemo enim de iis deliberat, quae omittere nullo modo potest. Unde ait idem S. Thomas 1.° 2ae. *Q. VI. art.* 2. *Ex hoc contingit, quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus; ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.*

---

vat. latissime disputat, et Franciscus Macedo *Q un De mente F. Pontificis Innocentii circa prop. Jansenis art.* 1.

Prob.

Prob. II. Auctoritate *S. Thomae*, qui ubicumque loquitur de libertate Dei, Angelorum, et hominis, semper eam repetit ex potentia agendi, vel non agendi. Sic de libertate Dei *in II. Dist. XXV. Q. I. art.* 1. *ad* 2. *Ad libertatem*, inquit, *arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere possit, vel non facere, et hoc Deo convenit*; *bona enim, quae facit, potest non facere.* Idem docet *I. P. Q. XIX. art.* 10. *De malo art.* 5. *et Q. XXIV. De verit.* 3. De libertate vero Angelorum ait *Lib. II. cont. Gent. cap.* 47. *et* 48. non esse iis denegandam, eo quod in eorum voluntate sit *agere, et non agere.* Tandem de libertate humana loquens *I. P. Q. LXXXIII. art.* 1. ait, ideo hominem pollere arbitrio, *quia judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum.* Et *art.* 3. *Liberi arbitrii esse dicimur, quia possumus unum recipere, altero recusato.* Et *Q. XXIV. De verit. art.* 1. *In hominis potestate est facere, et non facere, et ita est liberi arbitrii.* Ergo.

Solvuntur Objecta.

Objicit I. Thomassinus multa *Augustini*, *Prosperi*, *Bernardi*, et *Thomae*, testimonia, quibus videntur libertatem in ipsa voluntatis *spontanea* motione constituere: quae loca *Lib.* VII. *Cap.* VIII. explicavimus

Objicit II. Christum fuisse liberum in mandato Patris exequendo, et tamen illud violare non potuisse. Quod nos in *Lib. VI.* dissolvimus. Sed quamvis eam difficultatem expedire non possumus, dicendum tamen esset cum Augustino *Lib. de dono persev. Cap.* 14. *Numquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire?*

Objic. III. Quoties voluntas, praeeunte rationis judicio, se movet, longe corporibus inertibus, brutisque animantibus antecellit, et libere agit. Atqui semper ita seipsam movet, etiam cum necessario agit. Ergo etc.

℟. *Conc. maj. quoad* 1*m. part.* scilicet voluntatem, quoties seipsam movet, praceunte rationis judicio, longe antecellere brutis animantibus: *Dist. maj. quoad* 2*m. part.* Quoties voluntas seipsam movet, praeeunte judicio rationis indifferenti, libere agit, *conc.* Praeeunte judicio rationis necessario, libere agit, *neg.* Radix enim, et origo libertatis indifferentia judicii est, cum scilicet intellectus ita *objectum* tamquam bonum *particulare*, sive finitum spectat, ut possit in eo aliquam mali speciem veram, aut falsam considerare. Cum autem intellectus necessario judicat, objectum esse bonum infinitum, in quo ipsa hominis sita est beatitudo, ad quam necessario tendit, nullos voluntati relinquit indifferentiae, et libertatis locus. Hoc autem accidit in beata Dei visione.

Inst. Absurdum est, beatam Dei visionem, quae est ultima hominis perfectio, voluntatem praecipua perfectione spoliare, qualis est arbitrii libertas. Ergo etiam amor beatorum, quamvis necessarius, liber dicendus est, non solum libertate naturae, ut omnes fatentur; sed etiam libertate arbitrii.

℟. *Neg. cons.* Libertas enim arbitrii non est respectu finis ultimi, scilicet beatitudinis, sed respectu eorum, quae ad finem ducunt, ut supra diximus. Dum autem in hac vita sumus, imperfectio intellectus est, ut possit Deum cogitare non ut finem ultimum, sed ut *medium* ad beatitudinem perducens: atque ita a summo bono deficiat: quae quidem imperfectio per visionem beatam aufertur. At respectu eorum, quae non necessario cum ultimo fine conjuncta sunt, visio beata non destruit, sed perficit libertatem arbitrii, illustrans intellectum, ut recte judicet, ac destruens cupiditatem, ne judicium perturbet, ac voluntatem impediat. Sicut ergo perfectio Dei est, ut se ipsum necessario diligat, cetera vero libere; ita perfectio est beatorum, ut Deum necessario, cetera libere ament.

CAP.

CAP. IV.

De ultimo hominis, et humanorum actuum fine.

Adv. I. Repetendum est, Deum voluntatibus hominum necessariam indidisse propensionem, ac pondus in summum bonum, seu beatitudinem generatim, quae est ultimus finis, propter quem adipiscendum movetur voluntas, ad ea libere eligenda, quae ad illum perducere videntur. Igitur ultimus finis prima omnium actuum humanorum causa est. Sicut enim in scientiis prima principia omnium conclusionum causa sunt, ita ultimus finis causa est omnium actuum humanorum, ut advertit S. Thomas *I. P. Q. LXXXII.* Sed sicut duabus rationibus erratur in scientiis, vel falsa principia ponendo, vel ex veris principiis non recte ratiocinando; ita etiam in humanis actionibus errari potest vel in fine ultimo constituendo, qui non sit verum illud bonum ad quod homo factus est (*a*); vel posito vero fine ultimo, falsa eligere *media*, seu actiones, quae ad eum finem non perducunt, sed potius ab illo removent. Quoniam igitur maximum iste locus momentum habet, unde saepe ait *Cicero*, nihil esse umquam in philosophia quaesitum majus, quam de finibus ut recta incedamus via, primum generatim ipsius finis definitio tradenda est, atque divisio.

II. Est itaque finis bonum illud vel verum, vel apparens, cujus amore aliquid fit, ac proinde in omnibus actionibus magis amatur finis, quam id, quod propter finem agitur; sicut aeger magis amat sanitatem, quam pharmacum, quod propter sanitatem sumit: *Quod enim amatur propter aliud, non illud amatur, sed aliud, propter quod amatur*, ut saepe docet *Augustinus.*

III. Dividitur autem finis 1.° in *internum*, et *exter-*

(a) Hinc licet de ipso fine ultimo non possit esse deliberatio, nemo enim deliberat, an beatus esse velit, potest tamen esse disputatio, quanam in re beatitudo sita sit.

ternum; sive ut alii loquuntur, in finem *operis*, et finem *operantis*. Finis operis est, ad quem opus natura sua tendit, ut eleemosyna ad sublevandum pauperem: finis operantis est, ad quem agens opus suum dirigit, ut poenitentia est, finis ejus, qui eleemosynam largitur, ut pro peccatis satisfaciat.

IV. Dividitur 2.° in finem *proximum*, et *remotum*. Proximus est prior ille finis, qui animo *immediate* obversatur, eumque movet; remotus est, ad quem ulterius refertur actio. Sic sanitas est finis proximus aegroti, dum medicamento utitur; remotus est bonum *ex. gr.* Reipublicae, cui adlaborare proponit dum sanus erit.

V. Divitur 3.° in finem *intermedium*, et finem ultimum. Finis intermedius ille est, qui ita diligitur, et in quo ita delectatur voluntas, ut tamen ipsa ad alium finem referatur; sic medicus multa parat, et agit, ut pharmacum conficiat; ipsum tamen pharmacum ad alium finem, id est ad aegroti sanitatem refert. Finis ultimus est, qui ad alium finem non refertur, sed in eo appetitus quiescit, eoque fruitur, ideoque appellatur beatitudo. *Frui enim est amore alicui rei inhaerere propter seipsam*, ut inquit Augustinus *Lib. I. De doct. Christ.* Porro finis *intermedius*, si certo ad finem ultimum ducit, habet quidem aliquam beatitudinem, sed inchoatam, et imperfectam, cum in eo non omnino quiescat animus. Finis vero ultimus plenam habet, ac perfectam beatitudinem, in qua voluntas ultimo conquiescit.

VI. Sed beatitudo a Theologis distinguitur in *objectivam*, et *formalem*. Objectiva beatitudo est *objectum* ipsum, quo beatur animus, ac fruitur: *formalis* vero est actio illa, qua beatitudo objectiva apprehenditur, ac possidetur. Sic in avaro, qui ultimum finem in pecunia constituit, aurum est beatitudo objectiva, possessio vero auri est beatitudo formalis.

VII. His explicatis, quaerendum est 1.° Utrum ultimus finis sit omnium actuum humanorum causa. 2.° Quomodo finis ultimus voluntatem ad agendum moveat. 3.° Utrum plures sibi fines ultimos possit aliquis proponere. 4.° Quis sit verus finis ultimus, seu beatitudo hominis *objectiva*. 5.° Quaenam sit beatitudo for-

formalis. 6.° Utrum omnes actus suos debeat homo ad Deum, tamquam ad finem ultimum dirigere. Quod sequentibus propositionibus expediemus.

PROPOSITIO I.

Finis ultimus implicite spectatus sub ratione beatitudinis est omnium actuum humanorum causa.

Prob. I. ex Augustino, qui *Lib. XIII de Trin. cap.* 5. *Verum est*, inquit, *quod omnes homines beati esse velint, idque ardentissimo amore appetant, et propter hoc caetera quaecumque appetant* Et *Lib. XIX. De Civ. cap.* 1. *Illud est finis operis nostri, propter quod appetenda sunt caetera, illud autem propter seipsum.* Ergo.

Prob. II. Auctoritate, et ratione S. Thomae 1a. 2ae. *Q. I. art.* 6. *Necesse est quod omnia quae homo appetit, appetat propter ultimum finem et hoc apparet duplici ratione. Primo quidem, quia quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni, quod quidem si non appetitur, ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est, ut appetatur, ut tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, ut patet tam in his, quae fiunt a natura, quam in his, quae fiunt ab arte, et ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam quae est per ultimum finem. Secundum .... quia secunda appetibilia non movent, nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis.* Ergo etc.

Dices. Qui jocose aut loquitur, aut agit, imo multo magis qui peccat, non propter finem ultimum operatur. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Qui enim jocose agit, propter animi delectionem agit; quam delectationem vel appetit ut finem ultimum, sicut facit etiam ille, qui peccat, vel ut conducentem ad finem ultimum. Unde inquit Augustinus *Conc. I. in Psal. CXVIII. Beatum .... esse tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint, et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod mali propterea sunt mali, ut sint beati.*

PRO-

PROPOSITIO II.

Finis ultimus voluntatem movet per amorem, ex quo oriuntur sex alii effectus, donec perveniatur ad octavum, qui est ipsa finis possessio, ac fruitio.

Prob. 1a. pars. Ex iis, quae diximus *Lib. VII. Cap.* 8. Omnis voluntatis motus oritur ex amore, sive delectatione, qua *objectum* voluntati complacet. Unde inquit S. Thomas 1a. 2ae. *Q. XXVI. art.* 2. *Prima immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor, qui nihil est aliud, quam complacentia appetibilis, et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, et ultimo quies, quae est gaudium.* Si ergo finis ab intellectu propositus voluntatem movet, utique movere non potest, nisi per delectationem, et amorem.

Prob. 2a. pars. Ex amore, seu delectatione finis, si talis sit, ut contrarii *objecti* delectationem vincat, sequitur efficax voluntatis propositum obtinendi finem; quod a *S. Thoma* dicitur *intentio.* Sed quia finis sine adjumentis, sive *mediis* obtineri non potest, ex efficaci proposito, sive intentione finis, sequitur consilium, seu inquisitio *mediorum* in intellectu, qui tamquam voluntatis famulus facem praefert, ut monstret viam, qua voluntas eo perveniat, quo pervenire proposuit, atque intendit animum. Ex hac *mediorum* inquisitione sequitur consensus, seu approbatio eorum, quae ad finem apta sunt, post consensum electio; nisi enim ex multis propositis viis eligatur una, nullus erit motus. Post electionem imperium, seu practicum intellectus judicium, quo statuit, non differendum, sed statim adhibendum esse *medium* illud, quod electum est. Ex hoc intellectus judicio sequitur usus, quo *medium* electum reipsa assumitur, atque adhibetur: quod *medium* si intellectus in consilio non erravit, reipsa ducit ad finis possessionem, quo voluntas fruitur, et quiescit. Ergo ex amore, qui est primus effectus finis, in voluntate oriuntur sex alii effectus, nempe *intentio, consilium, consensus, electio, imperium, et usus,* ex quo per-

pervenitur ad octavum, qui est *fruitio*. Ex quibus effectibus tres, nempe amor, intentio, et fruitio circa finem versantur, reliqui circa *media*, quae ad finem ducunt. Haec autem fuse, et luculenter pertractat S. Thomas 1a. 2ae *a Quaest. IX. ad Q. XIV.*

PROPOSITIO III.

Fieri non potest, ut quis plures sibi fines ultimos proponat, atque animo intendat.

Prob. Finis ultimus est, qui ita animum perficit, ut voluntatis appetitum expleat, in eoque voluntas ipsa conquiescat. Atqui non esset ejusmodi, si voluntas aliquid aliud praeter ipsum appeteret, ut patet. Ergo etc.

Dices 1.° Plures Philosophi, ut advertit Augustinus *Lib. XIX. de Civ. cap.* 1. in pluribus simul rebus finem ultimum posuerunt, puta in voluptate simul, et virtute. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Qui enim pluribus in rebus finem ultimum putarunt situm, omnia illa spectabant, ut unum bonum, atque finem ex pluribus compositum; quod et de iis dicendum est, qui plures colebant Deos, aut qui plura diversi generis peccata lethalia committit.

Dices. 2.° Qui ultimum finem in bono aliquo sibi proposuit, non amittit arbitrium liberum, ut alium etiam finem ultimum possit eligere. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Diverso tempore, *conc.* Eodem tempore, *neg.* Potest ergo, quilibet postquam unum sibi finem ultimum proposuit, eo rejecto, in alium inclinari; sed efficere non potest, ut duo sint simul ultimi voluntatis fines, hoc enim contradictionem involvit.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Verus finis ultimus creaturae rationalis, seu vera ejus beatitudo obiectiva, nonnisi solus Deus esse potest. Est dogma fidei.

Nulla major apud veteres Philosophos agitata quaestio est, quam haec de fine hominis, et beatitudine, quam Stoici in virtute, et sapientia, Epicurei in voluptate, Platonici in contemplatione veritatis, alii in aliis bonis sitam esse voluerunt, ita ut ducentis octaginta duas eà de re opiniones numerat *Varro* apud Augustinum *Lib.* XIX *De Civ. cap.* 1. quae vel excogitatae sunt a Philosophis, vel excogitari poterant. Quapropter de re omnium maxima perpetuo disputantes, nihil certi, ac solidi attulerunt. Unde ait Seneca *Lib. De vita beata*: *Beate vivere omnes velle, sed ad pervidendum quod sit, quod beatam vitam efficiat, caligare.*

Prob. prop. I ex Scripturis, in quibus nihil fere est frequentius inculcatum, quam beatitudinem nostram in Deo esse. *Psal.* XC. *Tu es, Domine, spes mea.* Psalm. LXXII. *Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea; et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* Reliqua praetermittimus, ut in re apertissima. Ergo.

Prob. II Illud solum potest esse ultimus creaturae rationalis finis, ac beatitudo, quod ita animum explere queat, ut nihil ipsi ulterius optandum supersit, nec ullo modo amitti possit. Nam desiderium majoris boni absentis, aut metus amittendi praesentis boni, cum beatitudine stare non potest, quae a *Cicerone* definitur *Lib. III. Tuscul. Bonorum omnium, secretis omnibus malis, cumulata complexio*; quam definitionem ceteri etiam Philosophi tradiderunt. Atqui solus Deus ita animum rationalis creaturae explere potest. Non enim satiari, atque expleri potest animus, nisi utraque ejus facultas, intellectus scilicet, et voluntas perfecte satietur, et quidem tali bono, quod deficere non possit.

At id non potest, nisi solus Deus. *Objectum* enim intellectus est universale verum, sicut *objectum* voluntatis est universale bonum. Solus autem Deus est universale verum, atque universale bonum, continens scilicet in seipso quidquid veri, ac boni nomen habet, nec ullo pacto potest deficere; reliqua vero omnia ab ipso Deo singularem veritatem, et bonitatem recipiunt, et quamvis adepta, deficere, aut amitti possunt. Ergo etc.

Prob. III. Si non est solus Deus, sed aliquid creatum vera hominis beatitudo, id esset vel bonum animi, vel corporis, vel fortunae. Atqui nullum ex iis esse potest. Salomon enim, in quo cuncta illa bona cumulaverat Deus, in libro *Ecclesiaste* per singula illa discurrens, de omnibus pronuntiat: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas Eccl.* 1. 2. Ergo etc. Hinc Philosophorum omnium deliramenta rejiciens, ait Propheta *Psal.* LXXII. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Et Augustinus *Lib. I. Confes. cap.* 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et *Lib.* XIX. *De Civ. cap.* 26. *Ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.*

Dices. Intellectus, ac voluntas rationalis creaturae sunt facultates finitae. Non ergo ad eas explendas *objectum* requiritur infinitum.

℟. *Dist. ant.* Sunt facultates finitae quoad earum naturam, *conc.* Quoad *objectum neg.* Objectum enim intellectus, ac voluntatis est verum, ac bonum universale; quod licet ab intellectu, et voluntate possideri non possit modo infinito, seu comprehendi; sufficit tamen, ut eo modo possideatur, qui finitae facultati conveniat. Vide haec fusius apud S. Thomam 1a. 2ae. *Q. II. et III.*

Co-

Corollaria.

I. Ergo etiam in eorum hypothesi, qui statum purae naturae putant esse possibilem, nonnisi solus Deus, saltem ut naturae auctor, esse potest naturalis finis creaturae rationalis.

II. Ergo virtus ipsa non est ultimus finis per se expetendus, ut Stoici affirmabant, sed finis intermedius, qui nisi ad Deum referatur, in vitio est. Scilicet ita delectari virtute licet, ut medio, quo ad Deum perveniri possit, quo unice fruendum est. Hinc Augustinus *Lib. XIX. De Civ. cap. 25 Licet a quibusdam tunc verae, et honestae putentur virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae, aut superbae sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.*

PROPOSITIO V.

Beatitudo formalis, seu possessio objecti, quod beatos efficit, nempe Dei, sita est in beata Dei visione prout est in se.

Hac quoque de re disputatum est acerrime inter Scholasticos, qui in quatuor praecipue divisi sunt partes. Thomistae enim volunt, *formalem* beatitudinem in visione Dei esse sitam: Scotistae in amore summi boni: *S. Bonaventura* in visione simul, atque amore: alii denique in summo gaudio, quo beatos Deus in patria perfundit. Sed quoniam satius est, ut ad beatam vitam, in qua haec omnia revera sunt, toto animi nisi tendamus, quam ut de ejus essentia contentiose disputemus; brevi nostram propositionem probabimus. Qui autem plura desiderat, apud ipsum S. Thomam, Sylvium, Gonetum, aliosque Thomistas rem uberius pertractatam inveniet.

Prob. prop. 1.° Beatitudo formalis est ipsa objecti, quod beatos efficit, nempe Dei possessio. Atqui ea possessio esse non potest in actibus corporis, ut patet, quia Deus corpore attingi nequit. Ergo et in aliquo

ac-

actu animi. Duo autem sunt animi facultates, intellectus, et voluntas. Atqui in nullo voluntatis actu est possessio beatitudinis: non quidem in amore; quia amor est de bono tam praesenti, quam absenti, nec per amorem quantumcumque vehementem apprehenditur, ac possidetur bonum, ut patet evidenter in insipiente, et avaro; quia quantumcumque diligant ille sapientiam, iste pecuniam, non propterea evadunt ille sapiens, iste dives, nisi per alias facultates bonum, quod amant, apprehendant. Sed nec in gaudio esse potest possessio beatitudinis; gaudium enim supponit bonum jam apprehensum, et possessum, ex qua possessione gaudium exurgit. Restat igitur, ut in solo perfectissimo actu intellectus possessio Dei sita sit; per quem actum Deus, qui est summa veritas, perfecte apprehenditur, et possidetur. Talis est visio clara, et perfecta Dei, ut in se est; In hac igitur visione possessio beatitudinis sita est; unde dicitur *Joan. XVII.* 3. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum.*

2.° Illa est essentia rei, ex qua reliquae proprietates necessario fluunt. At posita clara, et perfecta Dei visione, ex ea necessario fluunt reliquae beatitudinis proprietates, tamquam partes integrantes. Nam 1.° cum homo necessario, bonum generatim, sive beatitudinem amet, ut supra diximus; posita clara Dei visione, qua cognoscit, summum bonum, sive beatitudinem suam esse Deum ipsum, necessario illum diliget, nec ab ea dilectione cessare poterit per peccatum, ideoque erit beatitudo in aeternum certissime perseverans. 2.° Non potest non gaudere de *objecto* praesenti, et possesso, quod absens necessario amore desiderabat. Unde dicitur in *Psal.* XVI. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; et Psal. XXXV. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos; quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* 3.° Ex hoc gaudio redundabit etiam in corpus sanitas, immortalitas, agilitas, et reliquae corporis gloriosi dotes. Nam ut ait Au-

Augustinus *Ep.* CXVIII. *al.* LVI. *ad Diosc.* *Tam potenti natura fecit Deus animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quae in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quae fruentis, et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor.* Ergo etc.

Corollaria.

I. Quoniam ex clara Dei visione omnes reliquae beatae vitae proprietates necessario fluunt; mirum non est, si Patres aliquando illam per dilectionem, aut gaudium, aut aliquid aliud describant. *Omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis; et tanto magis omnia dici possunt, quanto minus digne dici aliquid potest. Nam et lux est illuminatorum, et requies exercitatorum, et patria redeuntium, et esca indigentium, et corona vincentium*, ut inquit Augustinus *Lib.* II. *Quaest. Evangelic. Q.* XXXIX. Omnia enim haec necessario beatam Dei visionem supponunt; ex qua tamquam ab radice necessario oriuntur. Atque ita contraria Scotistarum argumenta facile dissolves. Non enim vacat subtilius in hac quaestione versari.

II. Rursus quoniam visio Dei ut in se est, nemini in hac vita concessa est, excepto uno Christo; hinc nemo in hac vita perfecte beatus. Sed quia supra diximus, finem intermedium, si certo ad finem ultimum ducat, habere inchoatam quandam, atque imperfectam beatitudinem, hinc etiam qui eo fine intermedio in hac vita potiuntur beati vocantur in Scripturis. *Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati qui lugent, Beati misericordes* etc.

Scholion.

Est quidem beata Dei visio beatitudo *formalis*, ad quam rationalis creatura tamquam in finem ultimum tendit. Utrum autem hic finis naturalis dicendus sit, an supernaturalis *Lib. V. Part.* 2. expendimus.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Inchoata beatitudo formalis, quae in hac vita haberi potest, non in exercitio virtutum moralium proprie, et immediate consistit, sed in exercitio virtutum Theologicarum fidei, spei et charitatis.

Prob. 1°. Diximus supra, inchoatam beatitudinem etiam esse in possessione finis intermedii, qui ad finem ultimum certo perducit. Atqui non per actus virtutum moralium, sed per actus fidei, spei, et charitatis finis intermedius, qui est gratia sanctificans, utcumque apprehenditur. Nam actus virtutum moralium etiam egregii sine charitate, sive gratia sanctificante esse possunt, ut testatur Apostolus I. *Cor.* XIII. et sine fide, spe, charitate non sunt finis intermedius, qui ad beatam vitam possit adducere. E contrario per finem, spem, et charitatem homo ad gratiam ipsa justificantem ultimo disponitur, etsi desit occasio virtutes morales exercendi, ut in *Lib.* VII. *et* VIII. diximus. Ergo etc.

2°. Opera virtutum moralium vel sunt tamquam instrumentum ad finem spem, charitatem servandam, aut augendam, vel ipsarum virtutum Theologicarum effectus, qui superveniente gloria cessabunt. Hinc Augustinus *Serm.* CIV. *al* XXVII. *De Verb. Dom.* loquens de Maria, et Martha, *Maria*, inquit, *meliorem partem elegit: non tu* (Martha) *malam, sed illa meliorem. Unde meliorem? . . . . quia quod elegit, non auferetur ab ea . . . . , A te autem quod elegisti auferetur. sed bono tuo auferetur, ut quod melius est, detur, auferretur enim a te labor, ut requies detur.* Atqui beatitudo imperfecta non cessat, sed perficitur, adveniente Beatitudine perfecta, ut ait Gregorius M. *Hom.* XIV. *in Ezech. Beatitudo hic incipit, ut in coelesti patria perficiatur, quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat; cum ipsum, quem amat viderit, amplius ignescit.* Ergo etc.

3.° Beatitudo, quae in hac vita contingere potest, non in alio potest constitui, quam in eo, in quo perfectio consistit Christianae vitae. Absurdum enim est, ut

ut in aliis virtutibus beatitudo posita sit; in aliis perfectio constet. Atqui perfectio vitae Christianae in fide, spe, et charitate proprie sita est. Ait enim Apostolus *Coloss.* III. 14. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, et S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* CLXXXIV. *art.* 1. *Vita Christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo conjungitur. Unde dicitur* I *Joan.* III. *Qui non diligit manet in morte, et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio Christianae vitae.* Ergo etc. Hinc idem *S. Thomas* affirmat, contemplationem, sive vitam *contemplativam* meliorem esse, ac perfectiorem vita *activa*, cum vita contemplativa praecipue in actibus fidei, spei, et charitatis consistat.

Objectiones.

Objic. I. In Scripturis beati dicuntur qui morales exercuerint virtutes; *Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem, Beati misericordes etc.* Imo Christus in extremo judicio vitam beatam tribuet praecipue pro misericordiae operibus: ita ut opera illa videantur esse finis intermedius, quo certe ad finem ultimum perfectae beatitudinis pervenitur. *Venite, possidete paratum vobis regnum . . . . esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc.* Ergo etc.

℞. *Dist. ant.* Si virtutes illae conjunctae sint cum charitate, et ab ea imperentur, *conc.* Secus, *neg.* Ipsa enim virtutum moralium opera sine charitate nihil prosunt. At si ex charitate proficiscuntur beatum hominem faciunt non ipsa per se, sed quatenus ferventioris charitatis sunt causa, et indicium.

Objic. II. Multi a vita *contemplativa*, quam sanctissime profitebantur, ad Episcopatum, hoc est ad vitam *activam* assumti sunt, etiam in melioribus Ecclesiae saeculis. Ergo vita activa melior, et eminentior est contemplatione.

℞. *Neg. cons.* Non enim a contemplatione ad actionem vocati sunt, ut contemplationem desererent, sed ut contemplationi actionem adjungerent. Inquit enim Augustinus *Lib.* XIX. *De Civ. cap.* 19. *Otium sanctum quae-*

quaerit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendae atque intuendae vacandum est veritati. Si autem imponitur suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed non sic omnino veritatis delectatio deferenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. Et S. Thomas 2a. 2ae. Q. CLXXXII. art. 2. *Cum aliquis a contemplativa vita ad activam vocatur, hoc non fit per modum subtractionis, sed per modum additionis.* Vide etiam Bernardum *Lib. I. De consid.*

Inst. Ex Gregorio M. *Hom.* XII. *in Ezech. Nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quam zelus animarum.* Ergo actio melior est contemplatione.

℟. *Dist. ant.* Si utrumque conjungatur, contemplatio scilicet, et actio, ut fecit Christus, cujus vita fuit continua oratio, et cura animarum: et Apostoli, qui simul orationi, et ministerio verbi instantes erant, *conc.* Si seorsum disjuncta spectentur, *neg.* Inquit enim idem Gregorius *Lib. VI. Moral. cap.* 28. *Magnae sunt vitae activae merita, sed contemplativae meliora*; ista enim per charitatem Deum ipsum attingit, illa proximum. Et Bernardus *Serm.* III. *De assum. B. V. Bonum acquirit gradum, qui ministraverit, forte meliorem qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque.*

Objic. III. Contemplatio praecipue in actibus fidei, spei, et charitatis consistit. Quaecumque enim superna mentis illustratio, revelatio, raptus etiam usque ad tertium caelum, si non principiis istis innixa sunt, illusio diabolica potius, quam contemplatio est. *Licet enim nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit,* inquit Apostolus *Gal.* I. 8. Atqui nec fides, neque spes beatitudines afferunt, sed potius desiderium, cum objectum habeant adhuc obscurum, et absens. Sed nec ipsa charitas; nam ut suo loco dicemus adversus *Quietistas*, ejus etiam proprius actus est desiderium videndi Deum, ut in se est, quod desiderium beatitudini adversatur. Qui enim non habet quod desideт-

siderat, beatus dici non potest, ut advertit Augustinus *Lib. de mor. Eccl. cap.* 3. Ergo etc.

℟. *Conc. min. quoad* 1.m *part.* Fides enim, et spes solae beatam vitam non faciunt, sed sunt necessarium in hac vita charitatis fundamentum; ideoque diximus, in fidei, spei et charitatis actibus sitam esse praesentis vitae beatitudinem. *Dist. min. quoad* 2.m *part.* Actus proprius, sed non praecipuus, ac primarius charitatis est desiderium videndi Deum, *conc.* Praecipuus, ac primarius, *neg.* Actus igitur charitatis praecipuus est conjunctio cum Deo, in quo animus quiescit, et gaudet. Sed ex amore necessario sequitur etiam desiderium majoris conjunctionis, si Deus nondum per visionem beatam possidetur; et desiderium perpetuae conjunctionis, si jam possidetur; unde de ipsis beatis Angelis dicitur: *in quem desiderant Angeli prospicere* I. *Pet.* I. 12. quod desiderium non beatitudinem excludit, sed fastidium. Hinc Augustinus in ea verba *Psal.* CIV. *Quaerite faciem ejus semper*, haec habet: *Charitas invenit Deum per fidem, et quaerit habere per speciem . . . . Est enim sine fine quaerendus, quia sine fine amandus . . . . Proinde quem quisque diligit, etiam cum eum videt, sine fastidio, semper vult esse praesentem . . . . . ut non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem praestet inventio, sed amore crescente, inquisitio crescat inventi.*

Inst. 1.° Charitas utcumque fervens, ut supra diximus, non tribuit *objecti*, quod diligitur possessionem. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Non enim dicimus, per charitatem, quae in hac vita esse potest, possideri perfecte Deum, sed utcumque apprehendi finem intermedium, nempe gratiam sanctificantem, quae ad finem ultimum certo perducit, nisi homo voluntarie illam abjiciat.

Inst. 2.° Sicut beatitudo perfecta posita est in actu intellectus, in ipsa scilicet Dei visione; ita etiam imperfecta beatitudo in actu intellectus ponenda est, licet imperfecto, qualis est fides. Ergo potius in sola fide beatitudo vitae praesentis videtur collocanda.

℟. *Neg.*

R. Neg. ant. et parit. Visio enim beata est actus intellectus perfectissimus, quo perfecte possidetur Deus: ut supra ostendimus: at contra per fidem tantum abest, ut possideatur Deus, et quiescat voluntas, quin potius eo magis accenditur desiderium videndi ea, quae obscure creduntur. Cumque ipsa fides possit etiam esse in peccatoribus, non est ipsa per se finis intermedius.

PROPOSITIO VII.

Omnes actus suos debet homo ad Deum visione beata possidendum, tamquam in finem ultimum, intentione saltem virtuali, et implicita referre.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Script. I. *Cor. X.* 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et Colos. III. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.* Quae verba explicans S. Thomas *Lect.* III. *in Cap.* III. *ad Coloss.* ait: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium: sed hoc non est verum.* Et Bernardus *Serm.* III. *De divers. Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.* Ergo etc.

Prob. II. *ex* PP. Augustinus *Lib.* I. *De Doct. Christ.* ex primo Decalogi praecepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quod ex jure naturali omnes homines obligat, infert, quidquid aliud diligendum occurrit, ad Deum referri oportere: *Cum autem ait: ex toto corde, ex tota anima, tota mente: nullam vitae nostrae partem relinquit, quae vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.*

Prob. III. *ratione.* 1.° Quidquid agit homo, ex aliquo ultimo fine oritur, ad quem refertur, ut *Prop.* I. ostendimus; ac proinde si non ad verum finem ulti-

timum refertur, ad falsum referatur necesse est. Atqui absurdum est dicere, hominem non debere verum finem ultimum animo intendere, falsum rejicere. Debet igitur omnes actus suos ad verum finem ultimum dirigere. Atqui verus finis ultimus non est, nisi Deus visione beata possidendus, ut *Prop.* IV. *et V.* docuimus. Ergo ad eum omnes actus suos referre debet.
2.° Non debet homo ne verbum quidem proferre otiosum, hoc est ad finem ultimum attingendum inutile; de eo enim verbo *rationem reddet in die judicii Matth. XII.* 36. Ergo multo minus actum ullum agere otiosum *Si de verbis otiosis*, inquit Hieronymus *in Psal. XVI. ratio redditur, quanto magis de operibus* Sed otiosus est omnis actus, qui ad verum finem ultimum non refertur; ideo enim otiosus dicitur, quia inutilis est.

Prob. 2.a *pars.* Intentio semper actualis humanae naturae in hac vita vires excedit, estque prorsus impossibilis. Sufficit ergo *virtualis*, sive quae ex praecedenti actuali intentione profecta, in sequentibus actibus perseverat. Hinc S. Thomas. *De charitate art.* 2. *ad* 3. *Virtualiter*, inquit, *omnia referre ad Deum cadit sub praecepto charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.* Sed ut actualis intentio in actibus sequentibus perseverare censeatur, oportet, ut actus illi ab ea intentione, tamquam a causa oriantur. Si enim actualis intentio diu ante praecesserat, aut actus inter se disparati sunt, aut non nimia charitate homo servet, facile post primam finis ultimi intentionem alterius finis prava intentio interseritur. Hinc qui mane omnia opera sua, quae eo die facturus est, ad Deum dirigit, non propterea censendus est, revera omnes diei actiones propter eum finem efficere, nisi identidem renovata intentio alios subrepentes fines praeveniat, aut excludat.

Prob. 3.a *pars.*, scilicet satis esse, ut intentio illa sit implicita in generali idea honestatis, et justitiae, sine qua obtineri vita beata non potest, quae quidem ipse Deus est. Qui servat Dei praecepta propter eum finem, ob quem a Deo praecepta sunt, facit

cit utique quod debet. Atqui praeter primum Decalegi praeceptum, sunt et alia novem a Deo praecepta propter ipsam rerum honestatem, atque justitiam, ut colere parentes, alterum non laedere, jus suum cuique tribuere. Qui ergo gratia Dei adjutus ea facit propter ipsam generalem justitiae ideam, quae non aliud est, nisi Deus, facit ille utique quod debet.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *cont.* 1.m *part.* cum *Vasquez*, *Suarez*, nonnullisque aliis. Praeceptum illud: *omnia in gloriam Dei facite*, est praeceptum affirmans. Atqui ea est praeceptorum affirmantium natura, ut non obligent semper. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Non enim dicimus, teneri hominem semper, idest quolibet vitae suae momento aliquid agere in Dei gloriam; sed tantum quoties deliberato animo actionem vere humanam efficit.

Inst. Supra humanae naturae conditionem est, omnes actus humanos ad Deum ut ultimum finem referre. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Intentione *actuali*, *conc. Virtuali*, *subdist.* Viribus naturae, *conc.* Auxilio gratiae, *neg.* Sufficit ergo, ad Deum omnes humanos actus referre intentione *virtuali*, quod saltem auxilio gratiae impossibile non est in actibus singulis, licet ut simul omnes ita ad Deum referantur, ut nullum subrepat in toto vitae cursu veniale peccatum, specialis gratiae opus sit privilegio, ut alibi diximus.

Objic. II. Sunt actus humani quidam natura sua boni, atque honesti, ut infra dicemus, ideoque ad finem bonum natura sua referuntur. Ergo non est necesse, ut ad finem ultimum ab operante dirigantur.

℟. *Dist. ant* Sunt actus natura sua honesti, et tamen ab homine possunt ad finem pravum dirigi, ut succurrere indigenti ad vanam gloriam captandam, *conc.* Secus, *neg.* Si ergo actus illos ad verum finem ultimum homo non referat, ad pravum finem, sive ad creaturam ut ad ultimum finem referat, necesse

necesse est. Quid enim magis rationali naturae conveniens, quam scientia? et tamen si scientiae amor ad debitum finem non referatur, ad nostram scilicet, et aliorum aedificationem, turpis est. *Sunt qui scire volunt ut sciant, et turpis curiositas est*, inquit Bernardus *Serm.* XXXVI. *in Cant.*

Inst. Si actus illos ad finem ultimum referre necesse esset; sequeretur, eum, qui justitiae opera exercet, absque eo quod ea ad Deum referat, ipsis justitiae operibus peccare. Hoc autem absurdum est. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Sequeretur, eum peccare vitio operis, quasi ipsa justitiae opera, quorum finis proximus bonus est, sint peccata, *neg.* Vitio operantis, *subdist.* Si ea referat saltem ad generalem justitiae, et honestatis finem, *neg.* Secus, *conc.* Ait enim Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap.* 3. *Cum facit homo aliquid, ubi peccare convincitur . . . . Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praedicat, ipso non recto fine peccatum est.*

Caeterum sufficere diximus, ut ad finem ultimum referatur opus *virtualiter*, et *implicite*; nec asserimus, hujumodi defectum, quo opus ad finem ultimum non refertur, si id ex negligentia quadam eveniat, esse semper grave peccatum amicitiam Dei dissolvens.

Objic. III. *S. Thomas*, quem auctorem sententiae nostrae supra laudavimus, solam requirit in bono opere habitualem relationem ad Deum ut ad ultimum finem. Ait enim 1a. 2ae. *Q.* LXXXVIII. *art.* 1. *Dicendum, quod illud praeceptum Apostoli* (*I. Cor. X. Omnia in gloriam Dei facite*) *est affirmativum; unde non obligat ad semper, et sic non facit contra hoc praeceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit: sufficit ergo quod aliquis habitualiter referat se, et omnia ad Deum.* Non igitur necessaria est intentio virtualis.

℟. *Dist. ant.* Et nomine *habitualis* intentionis ipsam intelligit intentionem *virtualem*, quam aliquando

habi-

habitualem vocat, ut cum ait *P.* 3. *Q. LXIV. art.* 8. *ad* 3. sufficere in ministro Sacramentorum intentionem *habitualem*, *transeat.* Intelligit eam, quae vere *habitualis* est, *subdist.* Solam hanc requirit, ut opus non sit mortale peccatum, *conc.* Ut non sit saltem peccatum veniale. *neg.* Subdit enim: *Sufficit ergo quod aliquis habitualiter referat se, et omnia ad Deum ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter.* Nihil luculentius.

Objic. IV. *cont.* 3m. *part.* Diximus suprà in *Corol.* 2. *Prop.* 4. vitium esse, si virtus per se ipsa expetatur. Ergo non sufficit propter ipsam rerum honestatem, atque justitiam operari, nisi opus ipsum *explicite* referatur ad Deum.

℟. *Neg. cons.* Aliud enim est virtutem expetere per se ipsam, aliud propter generalem honestatis ideam, atque justitiae, operari. Qui enim virtutem expetit per se ipsam, profecto eam appetit ut naturae rationalis ornamentum, in quo tamquam in ultimo fine quiescens in se, et in Domino gloriatur. Qui autem propter generalem justitiae, atque honestatis ideam operatur, is virtutem ipsam ad alium finem refert, qui *implicite* Deus est.

C A P. V.

De bonitate, et malitia actuum humanorum.

I. Quidquid est, bonum est, quia a Deo est; malum autem non est, nisi defectus ejus boni, quod esse deberet. Actus igitur humani si spectentur, ut motus quidam creaturae rationalis, seu ut Scholae ajunt spectentur ut aliquid *physicum*, quia a Deo sunt vel movente, vel concurrente, semper boni sunt. Sed quia in iis esse debet rectus finis ultimus, ut ostendimus superiori capite, ille autem finis in nonnullis humanis actibus deest, vel quia ipse homo eos ad debitum finem non dirigit, vel quia ipsa eorum actuum natura, sive *objectum*, circa quod versantur, tale est, ut ad

eum

eum finem dirigi non possint, sed potius ei adversentur; idcirco dividuntur actus humani in bonos, et malos moraliter.

II. Actus igitur humani *moraliter* boni sunt, quorum natura, sive *objectum* tale est, ut ad Deum dirigi possint, et ad eum revera diriguntur. Actus autem mali sunt, quorum ea est natura, ut ad Deum dirigi nullo modo possint, aut si dirigi possunt, reipsa non diriguntur ab homine. Unde inquit Augustinus *Lib.* LXXXIII. *Quaest. Q.* XXX. *Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. et omnis ordinatio, quae et virtus nominatur, fruendis frui, et utendis uti.*

III. Quapropter bonitas moralis humanorum actuum duobus simul ex capitibus oritur; nempe ex recto fine ultimo, et ex ipsa eorum natura, sive *objecto*, quod tale fit, ut dirigi ad finem ultimum possint, seu ut Scholae loquuntur, *ex fine et objecto* (nomine autem *objecti* intelligimus reliquas etiam circumstantias, in quibus sit actio, ut inferius explicabimus). Horum si alterutrum deficiat, actus bonus esse non poterit; quia jam in eo deerit bonum aliquid, quod in eo esse deberet. E contrario moralis malitia oritur vel ex debiti finis defectu, vel ex ipsa actus natura, sive *objecto*.

IV. Sed unde fiat, ut aliquorum actuum natura, sive *objectum*. tale sit, ut ad Deum dirigi possint, aliorum autem sit natura contraria, quaestio est inter Theologos. Nonnulli enim id repetunt a lege sive naturali, sive positiva. Si enim Deus quosdam actus praecepit, alios prohibuit, illi ad Deum dirigi possunt, isti non possunt. Alii vero contendunt, id repeti ex ipsa convenientia, aut repugnantia cum natura rationali, seu quod idem est, cum ideis aeternis Dei, cujus homo ad imaginem est conditus; adeo ut non ideo boni, aut mali sint actus, quia a lege praecepto, vel prohibiti, sed ideo praecepti, aut prohibiti, quia boni, vel mali, seu quia convenientes, aut repugnantes rationali naturae. Quam doctrinam S. Thomas egregie demonstrat *Lib. III. cont. Gent. cap.* 129. imo et inter heterodoxos Grotius *in Prolegomenis de Jure Belli et pacis*, et Ca-

Cudvorthus in libello *De aeternis justi, et honesti notionibus.*

V. Illud etiam in Scholis disputatum est acerrime, utrum omnes humani actus vel boni, vel mali sint; an vero sint aliqui indifferentes, qui neque boni sint, neque mali. Fatentur enim omnes, paucis exceptis, esse actus aliquos indifferentes *in specie*, nempe si considerentur ex *obiecto* dumtaxat, non autem ex fine, atque aliis peculiaribus circumstantiis, in quibus actionem fieri contingit. Sed quaestio est; utrum actus sint aliqui indifferentes *in individuo*, nempe si considerentur etiam ex fine, et peculiaribus eorum circumstantiis. Scotistae affirmant, Thomistae negant.

PROPOSITIO I.

Bonitas, et malitia actuum humanorum quoad objectum non a lege, sed ab ipsa eorum convenientia, aut repugnantia cum natura rationali repetenda est.

Prob. 1.° Si non a natura ipsa, sed a lege oriretur bonitas, et malitia humanorum actuum, essent illi omnes natura sua indifferentes. Atqui hoc absurdum est. Si enim omnes humanae actiones indifferentes essent, potuisset Deus legem condere Decalogo contrariam, quod quis non exhorreat? Ergo etc.

2.° Si omnes actus humani natura sua essent indifferentes, ipsa legis violatio indifferens esset; ideoque servare legem nec bonum, nec malum natura sua esset, nisi ponatur alia lex, quae jubet servare leges, et deinde tertia, quae hanc aliam legem servare jubeat et ita in infinitum, quod absurdum est. Deveniendum est igitur ad aliquid, quod natura sua bonum, aut malum est, etiam ante legem.

3.° Homo natura sua est ordinatus ad Deum, ad seipsum, et ad proximum, seu ad bonum societatis. Ergo actiones, quae hanc ordinem tollunt, sunt natura sua malae, quae autem eum ordinem servant, natura sua bonae sunt.

4°. Prima ethicae principia, ex. gr. *Deus est diligendus*, *Suum cuique tribuendum*, etiamsi ad legem non

non attendas, non minus evidentia sunt, quam principia mathematica: *Totum est majus sua parte*: *quae sunt eidem aequalia, inter se aequalia sunt.* Habent igitur ex ipsa rerum natura bonitatem, quam lex non efficit, sed supponit.

5°. Deus, qui infinite sapiens est, non sine summa ratione legem condidit. Ideo igitur quaedam aut praecepit, aut prohibuit, quia natura sua bona, aut mala erant; ideoque non a lege, sed ab ipsa convenientia, aut repugnantia cum natura rationali, seu cum ideis Dei aeternis repetenda bonitas, aut malitia actuum humanorum est.

Solvuntur objecta.

Objic. I. Quae sunt *ex objecto*, sive natura sua indifferentia ea nisi lege aliqua praecipiantur, aut prohibeantur, neque bona sunt, neque mala *ex objecto*. Ergo saltem eorum actuum bonitas, et malitia quoad *objectum* a lege ortum habet.

℟. *Dist. cons.* Ortum habet a lege *hypothetice*, *conc. Formaliter*, *neg.* Hoc est, facta ea hypothesi, quod opus aliquod natura indifferens lege prohibeatur, tunc opus est malum; quia naturae rationali non convenit violare leges. Idem contraria ratione dicas, si opus illud lege praecipiatur.

Inst. Apud Theologos vulgo recepta est illa divisio malorum actuum, quod quaedam sint mala, quia prohibita; quaedam prohibita, quia mala. Ergo.

℟. *Dist ant.* Quaedam sunt mala, quia prohibita *hypothetice*, *conc.* Formaliter, *neg.* ut jam paulo ante diximus.

Objic II. Bonitas cujuscumque operis a regula pendet, sicut contra ejus malitia a repugnantia cum regula; unde Augustinus peccatum definit: *Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Ergo bonitas, et malitia humanorum actuum a lege repetenda est.

℟. *Dist ant.*, Pendet a regula *secundario*, *conc.* Primario, *neg.* Bonitas ergo cujuscumque operis existit ex ejus aptitudine ad eum finem, ad quem opus in-

stituitur. Finis enim est mensura omnium, quae sunt ad finem, ut inquit Aristoteles *Lib. I. Polit. cap.6.* Et Augustinus *Lib. II. De lib. arb. cap. 9. Error est, cum sequimur aliquid, quod non ad id ducit quo volumus pervenire.* Sic horologium bonum est cum recte horas partitur, et indicat: bona medicina cum ad sanitatem ducit. Sed ut cognoscatur, quando opus ad finem aptum est, exigitur ad regulam sive artis, sive morum.

Inst. 1°. Actus humani moraliter mali natura sua sunt Dei injuria, atque offensio. Atqui non possunt censeri Dei offensio, nisi intelligantur facti contra legem ejus, quam homo transgreditur. Ergo.

℟. *Dist. min.* Non possunt censeri Dei offensio, nisi fiant contra legem, quae necessario consequitur eorum malitiam, *conc.* Secus, *neg.* Cum igitur actus mali adversentur naturae rationali, ideoque et ideis Dei aeternis; necessario sequitur, ut a Deo ab aeterno sint prohibiti, ac proinde Deum offendant.

Inst. 2°. Qui mentitur ex invincibili errore, putans esse mentiendum ad servandam hominis vitam, facit actionem naturae rationali repugnantem, et tamen non peccat propter legis ignorationem. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Facit actionem naturae rationali, imo et legi ipsi repugnantem *materialiter*, ut ajunt, *conc. Formaliter*, *neg.* Posita enim ignoratione invincibili, licet opus *materialiter* retionali naturae, legique adversetur; *formaliter* tamen non repugnat; non enim adversatur naturae rationali id efficere, quod invincibiliter creditur licere, imo, et praeceptum esse.

Corollaria.

I. Cum ergo malitia humanorum actuum ex ipsa natura ortum habeat, sive ex ipsa eorum repugnantia cum natura rationali; patet hinc, ea, quae mala sunt, ex quocumque recto fine honestari non posse. Hinc Augustinus *Lib. cont. mendac. Cap. 7. Quae constat*, inquit, *esse peccata, nullo bonae caussae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.*

II.

II. Cum Deus efficere non possit ea, quae contradictionem involvunt, sequitur, ut quae natura sua mala sunt, nullo Dei praecepto, aut dispensatione bona fieri possint.

III. Ergo omnis actio mala est natura rationali contraria, et vicissim omnis actio bona naturae rationali consentanea est.

IV. Quoniam natura delectatur iis, quae ipsi consentanea sunt, contraria vero aversatur; hinc sequitur, qui delectantur malis, aversantur bona, corruptam habere naturam, sicut aeger salutares cibos saepe fastidit, noxios appetit.

V. Cum ea quae naturae rationali adversentur, ipsis ideis, legibusque divinis necessario adversentur, sequitur hinc, commentitiam esse distinctionem peccati *philosophici*, ac *Theologici*, cum fieri non possit, ut id quod naturae rationali repugnat, non repugnet etiam Deo, ac proinde offensio Dei sit.

VI. Ergo non omnia peccata sunt aequalia; ut post Philosophos *Stoicos* somniavit *Jovinianus*; cum non omnia naturae rationali aeque repugnent. Vide *Hieronymum* contra hanc haeresim.

VII. Impia igitur, atque nefaria est Epicureorum, *Hobbesii*, *Spinozae*, *Pufendorfii*, aliorumque sententia, boni ac mali notiones ab utilitate, aut a positivis legibus proficisci.

Scholion.

Quaestionem autem illam inter Scholasticos agitatam, utrum bonitas illa, atque malitia, quae a rerum convenientia, ac repugnantia cum rationali natura sit *fundamentalis*, ut ajunt, an *formalis*, utpote inutilem, libenter omittimus. *)

PRO-

PROPOSITIO II.

Quamvis actus sint aliqui indifferentes in specie; nulli tamen sunt actus humani indifferentes in individuo.

Prob. 1a. pars Sunt quaedam *objecta*, quae naturae rationali neque conveniunt, neque repugnant, sed veluti in medio posita aeque ad bonum, atque ad malum flecti possunt; ut sedere, ambulare, legere flores etc, Ergo sunt quidam actus, qui *in specie*, seu *ex objecto* indifferentes sunt. Hinc Hieronymus *Epist.* LXXXIX. *ad Augustinum*: *Bonum*, inquit, *est continentia, malum est luxaria, inter utrumque indifferens ambulare etc.* Et Augustinus *Lib. III. De serm. Dom. in monte*: *Sunt quaedam facta media, quae possunt bono, vel malo animo fieri.* Ergo etc.

Prob. 2a. pars. I. Actus indifferentes *in individuo* essent actus, qui non solum ex sui *objecto*, verum etiam ex fine, et omnibus circumstantiis, quibus in individuo fiunt, neque boni sunt, neque mali. Atqui nulli sunt hujusmodi actus. Nam omnes actus suos debet homo ad debitum ultimum finem referre, saltem virtuali, et implicita intentione, ut supra ostendimus. Vel ergo hujusmodi actus indifferentes ad debitum finem refert, et tunc non indifferentes sunt, sed boni; vel refert ad finem pravum, et mali sunt: vel neque ad bonum, neque ad malum finem refert, et tunc otiosi, ac proinde mali sunt. Haec autem ratio valet etiam adversus eos, qui perperam opinantur, hominem non debere actus omnes suos referre ad Deum. Concedere enim debent, saltem teneri hominem lege naturae agere modo naturae rationali consentaneo, sive propter aliquem finem honestum, et rationi congruum.

Prob. II. *eadem 2a. pars.* auctoritate S. Thomae *in* I. *Dist.* 1. *Q.* 3. *secundum Theologos* (en communem hanc Theologorum ait esse doctrinam) *nullus actus procedens a voluntate deliberata est indifferens, quia si refertur ad Deum, supposita gratia, meritorius est. Si autem non est referibilis, peccatum est. Si vero est referibilis, et non refertur, vanus est, et otia-*

otiosus, otiosum autem apud Theologos inter peccata computatur.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Hieronymus *in laud. Epist. LXXXIX. ad Augustinum* actus indifferentes non solum *in specie*, sed etiam *in individuo* agnoscit. Postquam enim dixit: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare etc.* suddit: *Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Atqui cum ait, *feceris* et *non feceris*, significat actum *in Individuo*, ut patet. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Sive feceris, sive non feceris actus indifferentes, nec justitiam habebis, nec injustitiam ex ipso actionis *objecto conc.* Ex fine, et reliquis objecti circumstantiis, *neg.*

Inst. 1.° Ex laudatis *Hieronymi* verbis confirmavimus, esse actus aliquos indifferentes in specie. Atqui absurdum est, esse speciem, sine individuis. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Confirmavimus, esse actus quosdam indifferentes *in specie*, sive in *abstracto*, ut ajunt, hoc est sine fine, et peculiaribus circumstantiis, *conc.* Esse actus indifferentes in specie, hoc est speciem quamdam extare actuum indifferentium, quae varia sub se individua complectitur, *neg.* Aliud ergo est, esse actus indifferentes *in specie*, aliud est, esse speciem actuum indifferentium. Prius enim significat, actus indifferentes esse spectato tantum *objecto*, ex quo suam humani actus *speciem* accipiunt, ut infra explicabimus. Posterius vero significaret, esse aliquam speciem actuum, quae in omnibus suis individuis sit indifferens. Sed nos priori sensu actus in specie indifferentes asserimus, posteriori negamus.

Inst. 2.° Ideo asseritur, actus *in specie* indifferentes, in individuo vel bonos esse, vel malos, quia debet homo illos *in individuo* ad debitum finem referre. Atqui potest aliquis hoc praeceptum invincibiliter ignorare, cum de eo disputent etiam viri docti. Ergo saltem ex hac invincibili ignoratione poterit actus *in individuo*

dividuo essé indifferens, qualis est *in specie*, sive ex *objecto*.

℟. *Dist. min.* Potest aliquis invincibiliter ignorare, actum esse referendum ad debitum finem, sive Deum *explicite*, *conc.* Implicite, prout continetur sub generali ratione justitiae, atque honestatis, *neg.* Cum enim nemo ad aliquid moveri possit, nisi ex fine ultimo, ut supra diximus, nemo potest invincibiliter ignorare, finem omnis actus rectum esse oportere, qua de re dubitat nemo.

Inst. 3.° Comedere, bibere, ambulare, amoenos inspicere campos, flores naribus admovere ob voluptatem, quam iis in rebus sensu experimur, dummodo finis pravus absit, non est malum. Ergo etc.

℟. *Neg ant.* Non enim operatio ad voluptatem, sed voluptas ad operationem dirigenda est, quippe cum ejusmodi actiones ad vitam servandam, aut bonam valetudinem roborandam essent necessariae, in iis naturae auctor Deus, quasi condimentum interseruit voluptatem, ne vita ipsa nobis acerba foret, quam nonnisi insuavibus adjumentis tueri possemus. Hoc et ipsis ethnicis Philosophis non fuit ignotum, apud quos celebre fuit effatum: *Oportet edere, ut vivas, non vivere, ut edas.* Hinc merito damnata est ab *Innocentio XI* anno 1679. illa propositio: *Comedere, et bibere ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* (* Quod autem hic de sola edendi, et bibendi voluptate dictum, damnatumque est, idem de omnibus aliorum sensuum actibus patet esse intelligendum *)

Inst. 4.° Ex hac doctrina innumerabilibus peccatis replebitur tota hominum vita. Quotus enim quisque est etiam ex justis hominibus, qui aut suavem odorem naribus hauriendo, aut cibum sumendo, aut fricando barbam, de recto fine cogitet, modo fine non moveatur perverso? Sed hoc est longe absurdissimum. Ergo.

℟. *Dist. maj* Si recti finis intentio deberet esse *actualis*, *conc.* Si *virtualis neg.* Ceterum fatemur, ipsos etiam justos hac in re saepissime incidere in leviora peccata, pro quibus Dei misericordiam quotidie implo-

ra-

rant. Hinc Augustinus *Lib. X. Confess. cap.* 31. *Cum salus, inquit sit causa edendi, et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas et plerumque praeire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo.* Quod et repetit *Cap.* 33. agens de aliorum sensuum voluptate, levibusque peccatis, quae exinde subrepunt, pro quibus se ingemiscere testatur.

Inst. 5.° Hujusmodi indifferentes actus agere ob solam naturae commoditatem, aut corporis sanitatem aut etiam ob libertatis exercitium in re non mala, nec bonum, nec malum est. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Sanitas enim corporis, ad quam etiam conducit naturae commoditas, finis honestus est, qui ulterius ad finem ultimum dirigi potest. Idem dicas de libertatis exercitio, ad quod tamen sufficit semel, aut iterum actum efficere indifferentem; si enim id saepe fiat, non exercitium libertatis, sed otiosa temporis jactura erit.

Objic. II. In Concilio Constantiensi damnata est inter alias ea *Joannis Hus* propositio: *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa.* Atqui ea propositio vera esset, si nulli essent actus indifferentes *in individuo.* Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Damnata est in sensu *Joannis Hus*, *conc.* In sensu Catholico, *neg.* Sensus ejus haeretici quis fuerit, patet ex ratione, quam damnatae illi propositioni subjiciebat his verbis: *Quia si homo est vitiosus, et agit quidpiam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* Tractant ista fusius *Sylvius Gonetus*, aliique Scholastici.

Corollarium.

Omnes igitur actus humani in duo veluti summa genera recte dividuntur, in bonos scilicet, et malos. Sed haec ipsa genera varias sub se *species* complectuntur, ut infra videbimus.

CAP.

C A P. VI.

De circumstantiis actuum humanorum.

Adv. I. Jam supra diximus, nomine *objecti*, ex quo bonitas, aut malitia humanorum actuum existit, intelligere nos etiam circumstantias reliquas, in quibus actionem fieri contingit. Hoc igitur nunc est clarius explicandum.

II. Circumstantiae actuum humanorum sunt conditiones quaedam morales, quae comitantur objectum, circa quod versatur actio, ut locus, tempus etc. Sunt autem circumstantiae septem hoc versiculo comprehensae: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*, ex quibus varie accidentibus, varie quoque est de actione judicandum. 1°. *Quis* significat conditionem operantis, ut si fuerit clericus, aut laicus; si voto obstrictus etc. 2.° *Quid* notat objecti ipsius qualitatem, et quantitatem, ut si res furto ablata sacra fuerit, aut profana, si magna, vel parva, si uni, aut pluribus injuria sit illata, aut scandalum etc. 3.° *Ubi* designat conditionem loci, ut si facer fuerit, aut profanus. 4°. *Quibus auxiliis* indicat instrumenta, aut media, quae ad actionem faciendam adhibita sunt, quae aliquando ipsa per se peculiarem malitiam habent, ut si furtum factum fuerit ad homicidium patrandum 5.° *Cur* notat finem non quidem internum, qui et *finis operis* dicitur, atque abipso objecto sejungi nequit, sed externum, qui *finis operantis* appellatur, de quo plura *Cap. IV*. diximus. 6.° *Quomodo* significat modum ipsius actus, ut si ex malitia, vel infirmitate, vel ignorantia profectus sit 7° *Quando* notat tempus, ut si dies festus fuerit, si aliis officiis destinatus.

III. His igitur explicatis, expendendum est 1.° an revera sicut ex objecto, ita etiam ex circumstantiis bonitas, aut malitia humanorum actuum pendeat. 2.° Quid requiratur, ut circumstantiae ipsae bonitatem, aut malitiam in actum influant.

POR-

PROPOSITIO I.

Sicut ex objecto , ita etiam ex circumstantiis bonitas , aut malitia humanorum actuum repetenda est.

Prob. 1.° Sicut objecta quaedam rationali naturae convenientia sunt, quaedam repugnantia ; sic et circumstantiae quaedam sunt , quae naturam rationalem decent , quaedam vero contrariae. Sicut enim pauperi opem ferre docet , sic multo magis decet , alia etiam ratione , si pauper ille Sacerdos sit. Et contraria etiam ratione si suum alicui per vim auferre , turpe est ; turpius profecto erit , si ille sit pauper , si antea beneficus , si Sacerdos , si in loco sacro. Ergo etc. 2°. Quicumque aliquid agit , non unde ipsum actionis *objectum* veluti *in abstracto* spectare debet , sed omnibus suis circumstantiis stipatum , ex quibus veluti partibus integrantibus totum acionis objectum constituitur Ergo si ex objecto ipso bonitas , aut malitia humanorum actuum repetitur , etiam ex circumstantiis repetenda est. Hinc *Nathan* Davidis peccatum non solum reipsa sed ex circumstantiis etiam ostendit fuisse gravissimum II *Reg*. XII quod et Prophetae saepenumero , et Patres faciunt cum peccata Judaeorum , Christianorum , Sacerdotum redarguunt.

PRO

PROPOSITIO II.

Ut circumstantiae actibus humanis moralem bonitatem conferant, oportet, ut ab intellectu advertantur, et voluntate intendantur: ut autem malitiam influant, satis est, ut adverti potuerint, ac debuerint.

Prob, 1*a. pars.* Non potest esse actus *moraliter* bonus, aut malus, nisi sit voluntarius; qui enim voluntarius non est, humanus actus censeri non potest. Ergo circumstantiae non possunt actui humano moralem tribuere bonitatem, nisi sint voluntariae; hoc est nisi eas intellectus advertat, et intendat, ut bonas, et honestas. Qui enim stipem pauperi largitur, nesciens, aut non advertens, eum esse Sacerdotem, non vult pauperi opitulari ut sacerdoti, sed simpliciter ut pauperi: ideoque circumstantia personae nullo pacto est voluntaria, ac proinde non potest in actum influere moralem bonitatem.

Prob. 2a. *pars.* Cum mala objecti circumstantia adverti potuit, ac debuit, ejus utique ignoratio vincibilis, et voluntaria est; ideoque sufficit, ut in actum malitiam influat, licet minorem, quam si actu eam intellectus advertisset. Ignorantia enim vincibilis voluntarium non tollit, sed minuit, ut supra ostendimus.

Dices. Contrariorum eadem est ratio, ut habet commune effatum. Si ergo vincibilis ignoratio circumstantiae malae non impedit, quominus actus malus sit; nec vincibilis ignoratio circumstantiae bonae impediet, quominus actus ea etiam ex parte bonus sit.

Dist. ant. In eo, in quo sunt contraria, *conc.* In aliis, *neg* In hoc autem contraria sunt bonum, et malum, quod illud est *ex integra causa*, istud ex quocumque defectu. Ille igitur animadversionis, sive *advertentiae* defectus, qui sufficit ad malum, impedit bonum.

CAP.

C A P. VII.

De humanorum actuum specie, et numero.

Adv. I. JAm supra ostendimus *Cap. V. Corol. Prop. 2.* omnium actuum humanorum duo esse veluti summa genera, ut scilicet alii boni, alii mali sint. Sed boni, et mali variae species sunt; alia est enim justitiae bonitas, alia temperantiae, alia fortitudinis, sicut et vitiorum varia malitia est. Quaeritur ergo 1.° unde species humanorum actuum repetenda sit: 2.° quando uni, eidemque actui varia accedat, et multiplex bonitatis, aut malitiae species, 3.° Quomodo unius, aut plurium specierum actus numero multiplicentur.

PROPOSITIO I.

Varia humanorum actuum species repetenda est ex objecto, et fine proximo, sive ut Scholae loquuntur, ex objecto materiali, et formali, sed magis ex objecto formali.

Prob. 1a. *pars.* Bonitas, et malitia actuum humanorum, ut supra diximus, ex convenientia, vel repugnantia *objecti* cum natura rationali repetenda est. Atqui varia *objecta* varie naturam rationalem exornant aut, inhonestant (* seu quod idem est, ad varias virtutes pertinent, sive variis virtutibus adversantur, sive eidem virtuti modo diverso. *) Varie enim exornat justitia, temperantia etc. sicut varie inhonestat injustitia, luxuria etc. unde habetur *Osee IX.* 10. *facti sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt.* Ergo etc. Hinc quo objectum est nobilius, eo actus melior erit.

Prob 2a. *pars.* 1.° Finis magis diligitur, quam ipsum *objectum materiale*, utpote qui per amorem sui animum movet ad agendum, atque ad diligendum *objectum*. Ergo si ex variis *objectis materialibus* va-

varia existit bonitas actuum, aut malitia, multo magis ex fine, sive *objecto formali*. Hinc Augustinus *in Psal.* XXXI. *Non valde*, inquit, *attendas quid faciat homo, sed quid, cum faciat, aspiciat.* Et Tract. VII. In I. Joan. *Non quid faciat homo considerandum est, sed quo animo, et voluntate faciat* 2.° *Objectum materiale* vel ipsum per se bonum est, vel malum, vel indifferens. Si indifferens est, patet, speciem actus nonnisi ex fine aestimandam esse. Si vero per se bonum est, et malo fine fiat, malum evadet. Si denique malum est, et alio malo fine fiat, * pejus est. Ergo etc.

(* *Scholion.*

Tum finis opus inficit, ut ex bono malum evadat, cum operis ipsius est causa. Sed si operi jam recto fine incepto finis alius leviter malus subrepat; efficiet quidem, ut opus non omni sit ex parte bonum, ac veluti defoecatum; non tamen ut malum sit. Hinc Gregorius *Lib. I. Moral. Cap.* 16. *Deum ipsum*, inquit, *subtiliter radicem meae intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco; sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humanae Laudis interserit.* Vide hoc fusius apud Contensonum *Lib. VI. Dissert. II. Cap.* 2.°)

PRO-

PROPOSITIO II.

Uni eidemque actui humano varia species bonitatis, aut malitiae inest, cum circumstantiae quae comitantur objectum, vario modo rationali naturae conveniunt, aut repugnant; seu quod idem est ad varias virtutes pertinent, vel variis virtutibus adversantur, vel uni, eidemque virtuti, sed modo contrario.

Prob. Sicut ex objecto, ita ex circumstantiis bonitas, aut malitia humanorum actuum repetenda est, ut Capite superiori docuimus. Ergo cum objecti circumstantiae vario modo naturam rationalem aut decent, aut dedecent; seu quod idem est, cum ad varias virtutes pertinent, aut iis adversantur, aut uni, eidemque virtuti modo contrario, ut avaritia, et prodigalitas; variam uni, eidemque actui bonitatem, et malitiam addunt. Sic clerici percussio duplex continet malum specie diversum, contra justitiam scilicet, et religionem. Item si Sacerdos cum consanguinea conjugata fornicetur, quadruplex committet specie peccatum contra castitatem, religionem, pietatem, et justitiam.

Corollarium.

I. Ut ergo actus humanus multiplicem bonitatem, aut malitiam habeat, non sufficit, ut aut pluribus praecipiatur legibus, aut pluribus legibus adversetur. Sic quamvis pluribus praecipiatur legibus adesse sacris die Dominica, si scilicet in eandem diem festum aliud incidat, quo etiam adesse sacris praecipiatur, nec plures bonitatis species habebit ea die sacris adesse, nec plures malitiae species, deesse. Ut ergo actus pluribus legibus aut praeceptus, aut vetitus, plures habeat bonitatis, aut malitiae species, necesse est, ut plures illae leges ex diversarum virtutum fine latae sint. Sic qui eadem die violaverit jejunium praeceptum simul ab

Ec-

Ecclesia, et a Sacerdote in Sacramento poenitentiae, duplex specie peccatum admittet.

II. Circumstantiae, quae novam non addunt bonitatis, aut malitiae speciem, possunt tantum in eadem specie bonitatem, aut malitiam actus augere.

PROPOSITIO III.

Moralis actuum humanorum distinctio quoad numerum aestimanda est vel ex numero objectorum, vel ex ejusdem actus morali interruptione, ac repetitione.

Prob. 1a. *pars.* Si unus idemque actus plura *objecta* specie diversa respiciat, sive quae vario modo naturae rationali conveniunt, aut repugnant, tunc unus idemque actus specie multiplex erit. Ergo si idem actus plura objecta habeat numero distincta, erit moraliter numero multiplex. Sic qui uno ictu plures occidit homines, aut pluribus praebet scandalum, aut plures Sanctos unico sermone blasphemat, ejus plures numero actus censendi sunt Item dicas de eo, qui statuit tota quadragesima non jejunare, *canonicas horas* omittere etc.

Prob. 2a. *pars.* Quando actus moraliter interruptus est, jam existere cessavit, ideoque tunc ejus repetitio novus erit voluntatis motus, ac proinde numero a priori distinctus.

Q. I. *Quando actus moraliter interruptus esse censeatur.*

℟. Vel quaestio est de actibus mere internis, vel de iis, qui cum externis conjuncti sunt. Si de mere internis quaeritur, ii quidem moraliter interrumpuntur quacumque cessatione, oblivione, distractione, somno. Nam cum solo actu voluntatis perficiantur, actus autem nec in se, nec virtute perseveret, sed transeat, cessante illo actu, moralis censetur esse interruptio; ideoque tot erunt novi voluntatis actus, quoties voluntas consentit. Quapropter innumerabiles esse possunt.

Si

Si vero quaestio est de actibus internis, qui cum externis conjuncti sunt, interrumpuntur ii quidem vel ipsa externi operis consummatione, vel retractatione, vel libera cessatione: nam qui vel opus jam perfecit, vel voluntatem agendi mutavit, vel libere reliquit imperfectum, is si rursum idem suscipere opus proponat, novum actum fecisse censebitur.

Sed si cessatio quaedam sit naturalis per oblivionem, aut mentis evagationem etc. tunc si pluries repetiti voluntatis actus in uno aliquo externo effectu conjunguntur, ut accidit in eo, qui longum iter ingreditur ad opus aliquod vel bonum, vel malum peragendum, interim in itinere legens, loquens, aut aliud agens; non interruptus censetur actus, omnesque tum interni voluntatis motus, tum externi ad unum aliquod opus ordinati, nec peculiarem habentes bonitatis, aut malitiae speciem a principali actu differentem, unus moraliter actus censetur. Quapropter qui furari proponit, scalam parat, iter aggreditur, fenestram aperit, scrinia compilat, unum actum malum fuisse existimandus est. Si vero aut inter haec opera longa interjiciatur mora, viri prudentis judicio aestimanda, aut actus, quos ad furandum peragit, peculiarem habeant malitiae speciem, plures numero actus erunt.

Q. II. *Utrum actus externus peculiarem habeat bonitatem, aut malitiam ab interiori actu voluntatis specie, vel numero distinctam.*

℟. Negat S. Thomas 1a. 2ae. *Q. XX. art.* 3. et merito. Nam externus actus bonus, vel malus est, quatenus est voluntarius. Bonitas igitur, vel malitia in ipso actu voluntatis est, ideoque exterior actus peculiarem bonitatem, aut malitiam non habet. *Voluntas est*, inquit Chrysostomus *Hom. XIX in Matth. quae aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo; opera autem testimonia sunt voluntatis* Auget tamen exterior actus interioris malitiam, aut bonitatem tum quia voluntatem vehementiorem ostendit, quae externa impedimenta superat, tum quia propter ipsam animi, et corporis conjunctionem, efficit interiorem actum ferventiorem, ac vividiorem. Accedit quod externa actio effectus etiam parere solet vel bo-

nos, vel malos, quos interior actus parere non potest. Merito igitur ab *Alexandro VIII.* damnata est illa propositio, qua asserebatur, sufficere in confessione Sacramentali exponere interiorem peccandi voluntatem, tacendo externum peccati actum.

C A P. VIII:

De regula actuum humanorum, sive de lege generatim, ejusque divisione.

I. Nunc de regula humanorum actuum dicendum est, ex qua eorum bonitas, aut malitia, seu convenientia, aut repugnantia cum rationali natura dignoscitur, ut supra *Cap. V. Prop.* 1. *ad* 2. *object.* advertimus. Est autem omnium humanorum actuum regula una, scilicet lex. Sed quia legem ipsam per *conscientiam* cognoscimus, et ad singulos actus veluti regulam applicamus; ideo vulgo a Theologis regulae actuum humanorum ponuntur duae, altera *remota*; scilicet ipsa lex, altera *proxima*, nempe conscientia. Primo igitur de lege, deinde de conscientia dicendum est.

II. Lex sive a legendo dicta, ut putat Isidorus *Lib.* II. *Etim. Cap.* 10. sive a ligando, ut opinatur S. Thomas 1a. 2ae. *Q. XC. art.* 1. definitur: *Ordinatio rationis ad bonum publicum, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.* Dicitur. 1°. *Ordinatio rationis*, quia ad rationem, sive intellectum pertinet ordinare, sive decernere, quid agendum, quidve omittendum sit, ut ad finem perveniatur, licet adjunctum habeat vel praecedentem, vel subsequentem voluntatis motum, quo subditis praecipitur agendum, vel omittendum quod ratione, decretum est. 2°. *Ad bonum publicum*, sive ad finem illum, ad quem comparandum communitas instituta est; ideoque natura sua perpetua lex est, sicut et communitas, in cujus bonum instituitur, donec mutatis temporibus, alia ratione, ut infra dicemus, cesset. 3°. *Ab eo, qui curam habet communitatis*, hoc est ab eo, qui com-

communitati perfectae, quae ipsa per se sibi sufficit, praepositus est. Ejus enim est ferre leges, qui communitati praeest, atque ad leges servandas vel praemiis, vel poenis urgere valet. (* Pro vario autem communitatis regimine, varius etiam legislator est: In *Monarchico* quidem regimine Princeps; in *Aristocratico* optimates, sive Senatus; in *Democratico* populus universus. *) 4.° *Promulgata*, nisi enim superioris ordinatio, ac voluntas non quidem singulis subditis, sed communitati publice innotescat, ligare non potest. Hinc differt lex a praeceptis, quae non communitati universae, sed singularibus subditis imponuntur, nec perpetua sunt, sed morte praecipientium finiuntur; a consiliis, quae non praecipiunt, sed suadent aliquid, ut ad bonum conducibile, et a statutis, quae a communitatibus imperfectis, sive cole legiis conduntur. (* Ceterum promulgatio debet esse sufficiens, ut divulgari facile, atque innotescere lex communitatis possit. Sufficiens autem illa est, quivel lege, consuetudine, privilegio statuta est, vel sa nihil est ejusmodi definitum, quae ab ipso legislatore, spectata communitatis natura, atque amplitudine, prudenter sufficere judicatur. Non enim nostrum est omnes hac de re, easque gravissimas Jurisconsultorum, et Canonistarum persequi, ac definire quaestiones *).

III. Porro ex hac definitione sequitur 1.° non esse veram legem, sed potius legis perturbationem, praeceptum illud, quod est aut contra rationem, aut bonum publicum communitatis, aut ipsi bono publico prorsus inutile, unde inquit Augustinus *Lib. I. De lib. arb. cap. 5. Mihi lex esse non videtur, quae justa non fuerit.* Et Isidorus *Lib. V. Etymolog. Cap. 21. et Lib. II. Cap. 10. Erit autem lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum patriae consuetudinem; loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta.* Ceterum non subditorum, sed legislatoris est in dubio judicare, an lex bono communitatis conducat, licet pri-

privati quidam ea aut nimis, aut inutiliter gravari videantur.

IV. Sequitur 2°. Cessante universim fine legis, qui est commune bonum, ipsam etiam cessare legem. Sed si finis cessat tantum in quibusdam privatis, maneat autem universim pro tota communitate, vigere adhuc legem, privatosque ipsos, in quibus finis legis cessare videtur, sua commoda debere publico bono postponere.

V. Dividitur lex in divinam, et humanam. Divina rursus dividitur in aeternam, naturalem, et positivam; atque haec postrema rursus in Mosaicam, et Evangelicam. Humana vero lex dividitur in Ecclesiasticam, et civilem, et eam, quae proprie *jus gentium* dicitur; quae scilicet, suadente natura, apud omnes, vel fere omnes gentes usu, et consuetudine vim legis habente, constituta est. (* Omnis autem lex vel praecipiens est, vel prohibens; inter quae illud interest, quod praecipiens, semper quidem obligat, non tamen momentis singulis, sed opportuno tempore; prohibens vero momentis singulis. Quod Scholastici more suo ita explicant: *Lex affirmativa, obligat semper, sed non ad semper: negativa semper, et ad semper* *) De his singillatim agendum est.

C A P. IX.

De lege Dei aeterna, et naturali.

Adv. I. Lex aeterna Dei est summa ratio ab aeterno existens, et cuncta disponens secundum aeternas Dei ideas ad ultimum finem, nempe ad seipsum, qui est omnium rerum, quantum unaquaeque capax est, bonum commune. Non differt a providentia, quatenus in mente Dei provisoris ab aeterno est; sed differt tantum, nostro intelligendi modo, ab ipsa exteriori rerum gubernatione, quae aeternam legem supponit, ac juxta illam res omnes ad ultimum finem in tempore dirigit. Quapropter ille tantum legem aeternam esse

esse negaverit, qui aut Deum ipsum, aut ejus providentiam cum atheis, aut Epicureis negaverit. *Neque enim*, inquit Cicero *Lib. I. De legib. esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis, pravisque sanciendis habere.*

II. Ex hac autem aeternae legis definitione sequitur 1.° creaturas omnes etiam irrationabiles aeternae legi esse subjectas, non vero Deum ipsum, cum ipse sit lex; sive summa illa, atque aeterna ratio. Ceterum quia nemine legis jussionem aliquam intelligimus, quae subditis promulgatione innoteseit; aeterna illa ratio non habet proprie legis rationem, nisi in creaturis rationalibus, praecepti cognoscendi, atque exequendi, capaces sunt.

III. Sequitur 2.° Ex hac aeterna lege, una, atque immutabili, omnes alias derivari; sicut omnis creata ratio ab aeterna ratione manat; ideoque non esse vere legem, quidquid in hominum praeceptis, scitisque populorum, huic aeternae legi adversum est. Egregie Cicero *Lib. I. De legib. Hanc igitur*, inquit, *video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi, prohibendique sapientia. Ita principem legem illam, et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei. Ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata; est enim ratio, mensque sapientis ad jubendum, et deterrendum idonea.* Et Augustinus *Lib. De vera Relig. Cap.* 31. *Conditor legum temporalium si vir bonus est, et sapiens, illam ipsam consulit aeternam . . . ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vetandumque discernat.* Cum enim variae, imo et contrarie esse possint temporum, et populorum circumstantiae; ipsa aeterna lex quamvis una, atque immutabilis, varias ostendit pro tampore jubendas leges. Sicut medicinae ars, inquit idem Augustinus, quamvis una, varia pro variis aegroti circumstantiis medicamenta parat. Ex quo fit, ut leges hu-

ma-

manae priores, mutatis rerum circumstantiis, a posterioribus abrogentur.

IV. Lex autem naturalis est ipsa aeterna lex quatenus creaturas rationales respicit, eisque in tempore impressa est, et veluti promulgata per ipsum rationis lumen, ostendens quid agendum, fugiendumve sit. Hinc merito definitur a S. Thoma: *Participatio legis aeternae in creatura rationali*. Quapropter naturale lumen non est ipsa lex naturae, sed facultas, qua lex illa cognoscitur; sicut oculus non est ipse lumen, sed instrumentum, quo lumen percipitur.

V. Hinc consequens est, ut lex naturae nec ab ullo invincibiliter ignorari possit, saltem quoad prima principia, et proximas conclusiones, ut supra diximus; nec negari, nisi ab atheis, aut Epicureis, quos secuti sunt novissime *Hobbesius*, *Spinoza*, *Helvetius*; nec abrogari, aut mutari, nisi Deus ipse mutabilis fingatur, quo nihil est absurdius. Sed quia recentiores increduli his de rebus litigare solent, juvat hic paucis ista confirmare.

PROPOSITIO I.

Existit lex naturalis, per lumen rationis omnibus impressa. Est dogma fidei.

Prob. 1.° Quidquid est a Deo conditum, atque ordinatum est ad ultimum finem. Existit igitur aeterna ratio hujus ordinis, et voluntas Dei eumdem ordinem servari jubens, perturbari vetans. Ipsa igitur rationalis creatura huic ordini, et rationi, et voluntati ei subjecta est. Frustra autem esset haec divina ratio, et voluntas, nisi ejus notitiam creaturis rationalibus Deus per naturale rationis lumen indidisset. Ergo etc.

2°. Omnium hominum, etiam silvestrium, atque efferatorum animis quaedam justi, atque injusti generalia principia notissima sunt, et probatissima; licet ea cupiditatibus abrepti non servent, *Quae natio*, inquit Cicero *Lib. I. De legib. non comitatem*, *non benignitatem*, *non gratum animum*, *et beneficii memorem diligit? quae superbos*, *quae maleficos*, *quae cru-*

crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? Et Seneca *Lib. IV. De benefic. Cap.* 17. *Placet suapte natura, adeoque praetiosa virtus est, ut institutum sit etiam malis probare meliora.* Atqui haec communis omnium hominum consensio manifeste ostendit naturae legem omnium animis insculptam, *quae non scripta, sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus expressimus*, ut ait idem Cicero *Orat pro Mil.* Ergo etc. A testimoniis Patrum recensendis, supersedemus, quos increduli stulte contemnunt. Sed quia diximus, propositionem ad dogma fidei pertinere, sufficit id quod ait Apostolus *Rom. II.* 14. de Gentilibus: *Ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Ergo.

Objecta refutantur.

Objic. I. Non eadem fuit apud omnes gentes justi, atque injusti ratio. Nam apud Lacedaemonios licitum erat furari, apud Scythas trucidare hospites, apud Messagetas occidere parentes senio confectos. Praeterea quosdam populos repertos esse ajunt, apud quos nullum boni, malive moralis discrimen esset, imo, virtutes haberentur, quae apud alios vitia judicantur. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ad Lacedaemonios attinet, cum ipsa Lex ad acuendam civium diligentiam transferret dominium earum rerum, quas aliquis negligenter custodisset, in eos qui scite, et artificiose surripiebant, eaque lex communi omnium civium voluntate probata esset; jam veri nominis furtum non erat. Quod vero ad Scythas, et Messagetas, errabant illi quidem in consectariis legis naturae, dum putabant, omnes hospites esse hostium exploratores; aut melius esse occidi, quam senectutis incommoda perferre; sed non ignorabant, illicitum esse homicidium. Quod vero de efferatis quibusdam populis referunt, id falsae viatorum auctoritati nititur; et quamvis concederetur, nihil

hil aliud inde consequi posset, nisi legem naturae in iis veluti monstris, longa peccandi consuetudine, magna ex parte obliteratam esse.

Objic. II. Quae ex lege naturali justa, aut injusta putantur, ea a legislatoribus sancita sunt ad societatem servandam, et consuetudine ipsa, atque utilitate apud omnes populos invaluerunt. Ergo si in statu naturali ponatur homo, sibi ipsi vivens extra hominum societatem, nulla erit naturae lex.

℟. *Dist. ant.* Sancita sunt a legislatoribus, ne homines in societate, ad quam eos natura ipsa condidit, legem naturae violarent, *conc.* Sancita sunt ut aliquid in se indifferens, ad solam utilitatem conducens, *neg.* Itaque cum homo ex peccato originali vitiatus, atque in malum pronus facile violaret naturae legem, quae hominem ipsum ad societatem destinavit, necesse fuit, ut legislatores, addito poenarum temporalium metu, ad servandam naturae legem cives adigerent. Non itaque ex utilitate justitia orta est, sed ex justitia utilitas. Quod autem *Hobbesius*, *Roussoius*, aliique increduli post veteres Epicureos finguut, hominem non ad societatem, sed ad silvestrem, et solitariam vitam a natura institutum, longe esse absurdissimum, patet non solum ex ingenita hominum inclinatione ad socialem vitam, verum etiam ex ipsa hominis natura, quae talis est, ut vix natus statim moriatur, nec ad aetatem, qua sibi victum parare queat; pervenire ullo modo possit, nisi in aliqua societate, saltem ejus familiae, in qua natus est. Ceterum quamvis silvestris, ac solitarius homo fingeretur, adhuc ei essent legis naturalis servanda officia erga Deum, ac seipsum.

PRO-

PROPOSITIO II.

Lex naturae nullo pacto potest a Deo ipso mutari, aut dispensari.

Prob. Non potest Deus ea facere, quae contradictionem involvunt. Atqui mutari quocumque modo naturae legem contradictionem involvit; quae enim lege naturae jubentur, aut vetantur, sunt ipsa per se bona, aut mala, secundum aeternas, et necessarias Dei ideas, ideoque cum Deus immutabilis sit, si mutaretur naturae lex, essent eadem simul bona, et mala, idest simul essent, et non essent. Ergo etc.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Homicidium, furtum, fornicatio, adulterium sunt lege naturali prohibita. Atqui Deus ea jussit, aut concessit, sicut cum praecepit Abrahae occidere filium *Gen.* XXII. 2. Hebraeis surripere vasa Ægyptiorum *Exod.* XII. 35. et mutuum dare alienigenis cum usura *Deuter.* XXIII. 20. Oseae ducere uxorem fornicariam *Ose.* I. Israelitis dare libellum repudii. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Non enim homicidium, furtum, fornicationem, adulterium praecepit, aut concessit Deus sed translato rerum dominio, sive mutata legis materia, effecit, ut nec homicidium, nec furtum, nec fornicatio nec adulterium esset, ideoque nec lege naturae prohiberetur, quod sine ea mutatione vetitum fuisset. Sic cum Deus vitae, et necis dominus sit, tamquam ministrum sui dominii constituit Abraham; cum ei sacrificium filii sui Isaac praecipere videbatur. Idem cum omnium Ægyptii divitiarum, sicut et omnium rerum sit dominus; Ægypii autem injuste usi essent Hebraeorum opera, potuit pro sua potestate transferre dominium ab Ægyptiis in Hebraeos. Pari ratione cum alienigenae, qui in terra Chanaan habitabant, hostes Hebraeorum essent; non jure mutari, sed jure belli ab iis exigere poterant usuras. Denique Oseas in veram,

ram, et legitimam accepit uxorem, quae antea fornicatrix erat. *Quid inimicum fidei Christianae*, inquit Augustinus *Lib. cont Secundian Cap.* 21 *si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur?* Hinc Theologi docent, Deum in praeceptis naturalibus aliquando dispensasse improprie, mutando scilicet materiam, ut non amplius esset legis *objectum*, atque ita interpretantur quod ait Bernardus *Lib. I. De praecepto, et dispensat. cap.* 3. *Dominus horum* (scilicet praeceptorum Decalogi) *quod voluit, et quando voluit solvit.* Quod et ad repudii libellum aptari potest; de quo tamen longior instituenda esset disputatio, quae non est hujus loci Vide *Estium*, *Calmet*, *Maldonatum in Cap. XIX. Matthaei.* (a)

Objic. II. Ecclesia potestatem habet dispensandi in votis. Atqui vota servare lex est naturalis. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Ex potestate divinitus tradita, et legitima existente causa, quae efficit, ut res promissa majus bonum impediat, condonando jus, quod habet Deus exigendi promissa, *conc.* Secus, *neg* Condonato autem exigendi jure, non solvitur obligatio promissa implendi, sed cessat ipsa per se.

Scho-

(a) De permisso Hebraeis repudio tres sunt auctorum sententiae. Prima tenet, illud Deo permittente, licuisse; ut dissoluto priori matrimonio alterum iniri posset. Secunda docet, id non licuisse quidem, sed posita Dei permissione, licet ob cordis duritiam, culpam fuisse venialem. Tertia verisimilior, id a Deo permissum, ut minus malum, ne graviora peccata fierent, et uxores a viris occiderentur, si eas dimittere non possent: Ut enim prioris matrimonii vinculum non fuisse dissolutum. Vide *Sylvium in Q. LVII. suppl.* 3. *P. Gotti*, *Concinam etc.*

Scholion.

Illa tantum legis naturalis praecepta impropriam dispensationem patiuntur, quorum materia ita sub dominio est Dei, vel hominis; ut vel a Deo ipso, vel ab homine immutari possit. Quorum vero materia talis est, ut mutari nequeat, ea ne improprie quidem dispensari possunt; qualia sunt praecepta, quibus prohibetur idololatria, perjurium, mendacium, et quae sunt ejusdem generis. Sed de lege Dei aeterna, et naturali satis, quantum ad instituti nostri rationem pertinet, nunc de positiva disputandum.

C A P. X.

De lege divina positiva, et primum de veteri, sive Mosaica.

Adv. I. Duplex est lex divina positiva, sive legi naturali superaddita pro hominum, ac temporum varia necessitate, scilicet lex vetus, quae et lex Mosaica, et vetus Testamentum, et aliquando absolute lex dicitur in scripturis: eaque quoad praecepta ceremonialia solis Israelitis imposita, atque iis, qui accepta circumcisione se illi populo voluissent adjungere; et lex Evangelica universo hominum generi data. De priori hic explicandum est: de altera inferius.

II. Marcionistae, Manichaei, Priscillianistae legem veterem malam fuisse, dictitabant, et a principio, seu Deo malo Judaeis impositam, contra quos *Tertullianus* in Libris *contra Marcionem*, et *Augustinus* in pluribus contra Manichaeos operibus scripserunt. Recentiores autem increduli Mosaicam legem non a Deo latam, sed excogitatam a Moyse stulte deblaterant.

III. Judaei contendunt, legem Mosaicam immutabilem, atque aeternam esse, nec per Messiam, quem adhuc expectant, abrogandam. Idem docuerunt *Hebion*, *Ce-*

Cerinthus, aliique haeretici apud Epiphanium *Haeres* XXVIII.

IV. Inter catholicos disputatum est quando lex illa ita mutata fuerit, ut non solum inutilis evaserit, verum etiam illicita, *Augustinus* enim, cujus sententiam omnes secuti sunt Theologi, docet, in morte quidem Christi legem Mosaicam antiquatam esse, sed licuisse aliquando eam servare; non ut necessariam, sed ut non malam: contra *Hieronymus* eam in morte Christi et inutilem, et illicitam evasisse opinatur; ideoque Apostolos simulatione usos esse, si quando aliquos legis Mosaicae ritus servaverunt. Hinc gravis extitit inter *Augustinum*, et *Hieronymum* controversia.

V. Lex autem Mosaica triplicis generis praecepta continet, moralia, ceremonalia, ac judicialia. Moralia ad legem naturalem pertinent, suntque Decalogus ipse duabus tabulis insculptus, quarum prima Deum, altera proximum respicit. *Scriptum enim est in tabulis, quod in corde . . . . legere nolebant*; ut inquit Augustinus *in Psal.* LVII. Ceremonialia externum religionis cultum praescribunt: Judicialia leges politicas. Quaestio igitur non est de moralibus illius legis praeceptis, quae ut ad naturae legem pertinentia, ne ab ipso quidem Deo mutari possunt, sed de ceremonialibus, et Judicialibus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Legem veterem a Deo ipso conditam, et bonam esse, fidei dogma est.

Prob. 1a. *pars.* In ipso Evangelio, seu lege nova, quam a Deo conditam Marcionitae fatebantur, laudatur lex vetus, ac Deo auctori tribuitur. Dicitur enim *Luc. I.* 70 *Sicut locutus est* (Deus) *per os Sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum ejus.* Et Luc. II. 23. *Sicut scriptum est in lege Domini.* Et Heb. I. 1) *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Quod et Symbolo profitemus iis verbis: *Qui locutus est per Prophetas.* Ipse etiam Christus saepe legem a Deo latam testatur. Sic *Matth.* XXII. 31. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis Exod.* III. 6. *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Et Matth. XV. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Hinc merito Concilium Toletanum I. definivit: *Si quis dixerit, esse alterum auctorem priscae legis, alterum Evangeliorum, anathema sit.*

Prob. 2a. *pars.* I. *Rom.* VII. 12. *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Et I. Tim. I. 8. *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.*

Prob. II. *ratione* 1°. Ipse Christus legem Mosaicam servavit in circumcisione, in celebratione Paschae etc. 2°. Lex ipsa in praeceptis moralibus non aliud, nisi naturae legem sanxit, quae utique bona est: in ceremoniis vero figura erat eorum, quae in novo Testamento gerenda erant *Rom. X.* 4. *Finis legis Christus.* Galat. III. 24. *Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Unde ipse Christus *Luc.* XXIV. 44. *Necesse est*, inquit, *impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* 3°. Denique lex Mosaica a Deo lata est. Atqui quod est a Deo, bonum est. Ergo. Vide haec fusius apud Augustinum in libris contra Faustum: et S.

S. Thomam 1a. 2ae. *a Q.* XCVIII. *usque ad Q.* CV. ubi de Lege Mosaica latissime disputat, et figuras omnes subtiliter explicat. Vide etiam Natalem Alex. *Dissert.* III. *et* IV. *in* IV. *Mundi aet.* ubi de Mosaicis ritibus erudite disserit. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Lex vetus aliquando dicitur lata per Angelos. *Gal.* III. 19. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*, scilicet Moysis: aliquando ab ipso Moyse lata dicitur *Joan.* VII. 19. *Nonne Moyses dedit vobis legem?* Ergo lata non est ab ipso Deo.

℟. *Dist. ant.* Lata est per Angelos, tamquam Dei nuncios, qui nomine ipsius Dei ubique praesentis loquentes, dicere potuerant: *Ego sum, qui sum*: *Ego sum Deus Abraham*: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti etc. conc.* Per Angelos, tamquam legis auctores, *neg.* Non desunt etiam Patres qui Angelum Moysi loquentem, ipsum Dei Filium intelligunt, visibili specie indutum, eo quod vocatur in Scripturis *Angelus Testamenti Malach.* III. 1. Qua de re diximus *Lib.* IV. *Cap.* 5. Idem dicendum est de Moyse, a quo tamquam mediatore, atque interprete, aut praecone lex Dei promulgata est, cum ubique Moyses in lege reperat: *Haec dicit Dominus*; *Locutus est Dominus etc.* et ipse Christus legem a Moyse latam Deo auctori tribuat, ut supra ostendimus.

Objic. II. *cont.* 2m. *part. Ezech.* XX. 25 legimus: *Dedi eis pracepta non bona, et judicia, in quibus non vivent.* Ergo lex vetus nec bona est, nec proinde Deo auctori tribuenda.

℟. Variae sunt celebris hujus loci explanationes. Graeci plerique Patres, ut Origenes *Hom.* XVII. *in Num.* Justinus *Dial. cum Tryph.* Theodoretus, Chrysostomus etc. *praecepta non bona* non de lege universa, sed de ceremoniis intelligunt, quas ideo docent appellari non bonas, non quia malae, sed quia onus grave erant populo durae cervicis bene impositum, ut ab idolatria coërceretur; nec tamen ipsae per se vitam

tam conferre poterant. Augustinus *Epist.* LXXII. Gregorius *Lib.* XXVIII. *Moral. cap.* 9. quos sequitur S. Thomas 1a. 2ae. *Q.* XCVIII. *art.* 1. putant, praecepta ceremonialia Mosaicae legis dici *non bona*, quia imperfecta, et minus bona, quam praecepta novi Testamenti: *Melioribus*, iuquit Gregorius, *novi Testamenti praeceptis subsequentibus, praecepta bona, quae rudibus data sunt, non bona esse memorantur.*

Sed attendenti totam textus seriem planior videbitur interpretatio *Hieronymi*, quae sic habet. Dedit, sive permisit eis dispersis in gentibus praecepta non bona: hoc est dimisit eos cogitationibus, et desideriis suis, ut facerent quae non conveniunt. Dixerat enim Deus paulo ante in eodem Capite *v.* 11. *Dedi eis praecepta mea, et judicia mea ostendi eis, quae faciens homo, vivet in eis.* Quibus ostendit, bona utique fuisse praecepta sua. Sed quia Israelitae illa violarunt, *Exacerbaverunt*, inquit, *me filii, in praeceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt, ut facerent ea, quae cum fecerit homo vivet in eis.* Ideo subjungit: *Ergo et ego dedi*; hoc est permisi *eis praecepta non bona, et judicia, in quibus non vivent*, hoc est: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis Psal.* LXXX. Consonat Chaldaica paraphrasis: *Quoniam perperam mandata mea observabant, et Prophetis meis parere noluerunt, eos abjeci, eosque insipientibus eorum cupiditatibus tradidi.*

Obijc. III. Lex Mosaica praecipiebat, ut Deo aliquando in sacrificium mactarentur ipsi homines. Dicitur enim *Levit.* XXVII. 28. *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum: Sanctum Sanctorum erit Domino, et omnis consecratio, quae offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur.* Quam quidem legem servavit *Jephe*, qui filiam suam Domino ex voto immolavit *Judic.* XI. Atqui a talibus victimis ipsa abhorret naturae lex. Ergo etc.

℟. *Neg. maj.* Contrarium enim praecipitur in lege Mosaica *Deuter.* XII. 31. ubi exposita impietate Chananaeorum, qui filios Diis suis immolabant, subjungitur. *Non facies similiter Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios, et filias et comburentes igni.* Nec umquam lex, quae alia sacrificia minute describit, praecipit, quo ritu homines sacrificari oporteret, nec viri sancti talia sacrificia dicuntur obtulisse. Quod ergo legitur *Levit.* XXVII. 28. intelligendum est varia ratione pro varietate victimarum, ut scilicet animalia, quae sacrificati poterant, mactarentur; homines vero, atque agri in perpetuum Dei ministerio mancipati remanerent; ut remansit *Samuel* Domino oblatus I. *Reg.* 1. De *Jephte* vero varia Patrum sententia est. Qui putant, cum revera obtuliste filiam in holocaustum; docent, eum peccasse contra legem. Alii vero arbitrantur, eum consecrasse tantummodo filiam Domino, ut in perpetua virginitate Dei ministerio mancipata esset. Utraque sententia nihil nobis incommodat. Vide Calmet *Dissert. de voto Jephte*, et Natalem Alex. *Dissert.* XIX. *in* IV. *Mundi aet.*

Objic. IV. Lex vetus vindictam fovebat, ac praecipiebat. *Exod.* XXI. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem, pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Idem praecipitur *Levit.* XXIV. *et Deuter.* XIX quod tamen Christus prohibet. *Matth.* V. 38. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Deus enim vindictam privatam prohibet. *Eccli.* XXVIII. Lex ergo talionis in Exodo lata ad publicos pertinet magistratus, ut simul crimina coercerentur, nec paena culpam excederet; unde non ad fovendam, sed ad mitigandam, aut moderandam publicam vindictam pertinebat, ut observat Augustinus *Lib.* XIX. *cont. Faust. cap.* 25.

Objic. V. Illa lex bona non est, quae est ad finem inutilis. Atqui talis erat lex Mosaica. Apostolus enim *Galat* IV. 9. vocat ejus ceremonias *infirma, et egena* elementa: et *Heb. X.* 4. *et* 11. ait *Impossibile est, sanguine taurorum, et hircorum*, aliisque hostiis

au-

auferri peccata. Et Heb. VII. 18. *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus, et inutilitatem.* Imo ait, non vacasse culpa; *Heb.* VIII. 7. *Nam si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.* Ergo.

℞. *Dist. maj.* Quae est inutilis ad finem legislatoris *conc.* Ad alium finem, *neg.* Eadem ratione *Dist. min.* Finis itaque Mosaicae legis erat Christus *Rom. X.* 4. Ad hunc finem utilissima erant praecepta legis, et ceremoniae, quibus in figura Christus, ejusque sacrificium praemostrabatur, aptae populo adhuc carnali, sicut rudiora traduntur elementa pueris, ut ad majora percipienda disponantur. Non ergo instituta est lex, ut ipsa per se peccata auferret, sanctificaret, et salvos faceret homines: ad hoc enim infirma erat, cum non possit sanguine animalium produci justitia, et sanctitas, eoque sensu dicitur imperfecta, et non vacasse culpa, sive defectu; sed ut homines ad Christum per fidem adduceret, a quo uno gratia, justitia, et sanctificatio expectanda erat.

Inst. 1.° Tantum abest, ut lex homines ad Christum adduceret, quin magis eos ab illo removeret, excitando cupiditatem, ut magis exardesceret, et in plura, ac graviora peccata labentem animum impelleret. Ait enim Apostolus *Rom.* VII. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Et I. *Cor.* XV. 56. ab eodem Apostolo dicitur lex *virtus peccati*, et II. *Cor.* III. 7. *ministratio mortis.* Ergo etc.

℞. *Neg. ant.* Quod enim homines legem servare nolint, imo occasione legis magis nitantur in vetitum, non legis, sed hominum vitium est. Si enim ad gratiam Christi confugissent; quem lex ipsa monstrabat, a peccato abstinuissent, sicut fecerunt tot viri sancti veteris Testamenti, et vitam aeternam fuissent adepti. Sed sibimetipsi fidentes, occasione accepta per legem, culpa sua in majora lapsi sunt scelera, ut ibidem explicat Apostolus.

Inst. 2.° Ipsa per se lex vetus cupiditatem fovebat, promissione temporalium bonorum *Levit.* XXVI. *Deut.* XXVIII. *et al.* Ergo.

 ℞.

℟. *Neg. ant.* Bona enim temporalia promittebantur in lege, non tamquam ultimus finis, sed tamquam adjumenta, quibus in bonum uti poterant; sicut revera iis bene usi sunt viri sancti; et tamquam figurae bonorum spiritalium, atque aeternorum.

Inst. 3.° Lex vetus impossibilia jubebat tum in moralibus, tum in ceremonialibus praeceptis. In moralibus quidem; nam praeceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, omnem culpam etiam venialem prohibens, sicut et illud, *Non concupisces*. omnem vetans concupiscentiae motum, in hac vita servari nequit: In ceremonialibus vero tot, et talia praecepta erant, ut dixerit Petrus *Act.* XV. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Atqui lex impossibilia jubens mala est. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Quod enim attinet ad praecepta moralia, quibus praecipitur perfectio dilectionis, et omnis concupiscentia prohibetur, ea ostendunt finem, quo tendere debeamus per eam perfectionem, quae in hac vita possibilis est divino adjutorio; alioquin ipsa lex Evangelica mala esset, qua praecipitur; *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est Matth. V.* 48. Quod vero pertinet ad ceremonias, vocantur quidem jugum grave, et importabile, non quia absolute servari non poterant; cum tot viri sancti eas religiose servaverint, sed quia servari non poterant sine gratia efficaci; ideoque quamplurimi eas ferre *moraliter* non poterant. Cum autem Deus in novo Testamento talem gratiam non esset pollicitus, qua ceremoniae veteris legis jam abolitae servarentur, profecto tentabat Deum, qui tale jugum gentibus imponere moliebatur.

PRO-

PROPOSITIO II.

Lex Mosaica mutari debuit, ac reipsa mutata est per Christum, novumque testamentum. Est dogma fidei.

Prob. 1.° Ipse Deus pollicitus est novum testamentum, quod vetus antiquaret. *Jerem.* XXXI. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt . . . Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam.* Porro, *dicendo novum, veteravit prius*, ut advertit Apostolus *Heb.* VIII. 13. 2°. Lex Moysis in servitutem generans, adumbrata per *Agar* ex Apostolo *Gal.* IV. 24. data erat ad tempus, *donec veniret semen, cui promiserat Gal.* III. 19. 3.° *Finis legis* erat *Christus Rom.* X. 4. unde lex *umbra futurorum* erat *Heb.* X. 1. Ergo Christo adveniente, et veritate impleta, ac refulgente, evanescere umbras, necesse erat.

Dices Genes. XVII. 13. Deus praecipiens Abrahae, posterisque ejus circumcisionem, ait: *Eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum.* Circumcisio autem ex Apostolo universae legis debitum inducebat *Gal.* V. 3. Dicitur etiam *Baruch.* IV. 1. *Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum*, quibus similia in aliis Scripturae locis leguntur. Ergo etc.

℞. *Neg. cons.* Verba enim *in aeternum*, usque in *sempiternum*, sicut et Hebraea *le holam* diuturnum tempus saepe significant, sicut de servo, qui post septennium servire maluit, quam manumitti, dicitur *Deuter* XV. 17. *Serviet tibi usque in aeternum*, hoc est quoad vivet. Ex adjunctis autem, et aliis Scripturae locis dijudicandum est, quando ea verba aeterni-

nitatem, quando vero temporis diuturnitatem significent.

Inst. Christus ipse in Evangelio *Matth.* V. 17. *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas. Non veni solvere, sed adimplere.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Non venit solvere quoad praecepta moralia, quae ad legem naturae pertinent, ideoque necessaria, et aeterna sunt, *conc.* Ea enim praecepta non solvit Christus, sed explicavit clarius, atque ad ea servanda gratiam, atque adjutorium pollicetur, et praestat, ut saepe docet *Augustinus.* Non venit solvere quoad praecepta ceremonialia, *subdist.* Non venit solvere, quatenus implevit id, quod per figuram significabant, *conc.* Non venit solvere, quatenus umbras ipsas in luce veritatis permanere voluit, *neg.*

PROPOSITIO III.

Lex Mosaica non statim ab adventu Christi mutata est; sed in ejus morte abrogata, ac mortua, non evasit mortifera, sive illicita, nisi post sufficientem Evangelii promulgationem, templo funditus everso.

Prob. 1a. *pars.* Christus ipse primum exemplo suo, deinde etiam verbo legem Mosaicam ante mortem suam servandam esse docuit. Exemplo quidem; nam et circumcisus est, et oblatus in templo; in quod saepe festis diebus ascendit, ac Pascha celebravit: verbis vero cum ait *Matt.* XXIII. 2. *Super cathedram Moysis sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite.*

Prob. 2a. *pars.* 1.° *Joan.* XIX. 28. Christus jam moriturus, *Sciens quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura; dixit: Sitio*, hoc est omnibus impletis prophetiis, ut usque ad novissimum apicem impleretur Scripturae veritas, sitivit, acceptoque aceto, dixit: *Consummatum est*, scilicet impleta sunt omnia: et inclinato capite emisit spiritum. Impletae autem figurae cessare debuerunt, ideoque velum templi-

pli scissum esse, Patres affirmant, *Adeo tunc*, inquit Leo M. *Serm.* XVII. *De pass. a lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam, quae Deus est, evidens est acta translatio, ut emittente Domino spiritum, velum yi subita scinderetur.* Ergo.

2.° Cum novus Sacerdos Christus novum sacrificium consummavit, tunc translatum Sacerdotium est, et *translato Sacerdotio, necesse fuit, ut et legis translatio fieret*, ut docet Apostolus *Heb.* VII. 12. Atqui sacrificium Christus in morte consummavit, in qua *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos Heb.* X. 14. Ergo etc.

Prob. 3a. *pars.* Post Christi mortem, legisque Mosaicae abrogationem, imo et post sollemnem ejus abrogationis promulgationem in die Pentecostes, qua lex nova promulgari coepit, Apostoli, ceterique fideles ea *Judaismo* conversi aliquandiu legis Mosaicae ritus omnes servarunt, et quidem tanta diligentia, ut controversia non levis exorta sit, utrum ipsi Gentiles Christianae religioni nomen dantes, ad Mosaicos ritus servandos cogendi essent; qua de re Concilium Apostolorum Hierosolymis est habitum *Act.* XV. Paulus ipse, qui legem Mosaicam non amplius vigere, ubique praedicaverat, tamen *Act.* XVI. 3. circumcidit Timotheum, et *Act.* XVIII. 18. ceremonias *Nazaraeorum* ex voto, ac proinde sincere, ac sine ulla simulatione observavit. Imo veniens Hierosolymam *Act.* XXI. 23. suadente *Jacobo* Apostolo, et senioribus, juxta legis ritum se cum aliis quatuor purificavit. Et Petrus *Act.* X. 14. *Absit*, inquit, *Domine, quia numquam manducavi commune, et immundum*; juxta legis praecepta. Ergo etc.

Prob. 4a. *pars.* Post Evangelii promulgationem ubique terrarum factam, everso templo, extra quod ipsis Judaeis non licebat multas legis ceremonias servare, cessantibus omnino sacrificiis, aliisque legis sollemnibus, Synagoga non solum extincta, sed veluti sepulta est; ex eo igitur tempore servare Mosaicos ritus non licuit.

Sol-

Solvuntur objecta.

Objic. I. *cont.* 2m. *part.* Si lex Mosaica in morte Christi fuisset abrogata, ac mortua, sequeretur, non solum ante sollemnem novae legis promulgationem in die Pentecostes, sed etiam post eam promulgationem, antequam Evangelii notitia per totum orbem disseminari potuerit, Judeos, praesertim eos, qui longe dissiti erant, fuisse sine ulla lege, et sine sacramento ullo, quo peccatum originale deleretur in parvulis, ideoque iis Evangelium nocuisse potius, quam profuisse. Sed hoc videtur absurdum. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Nam ante promulgationem novae legis licet vetus abrogata esset, tamen adhuc vigebat. Post sollemnem vero promulgationem, quae facta est in urbe Hierosolyma, totius Gentis, ac religionis Judaicae principe, et quidem eo tempore, quo omnium gentium populi eo convenerant, ut testatur Lucas *Act. II.* quamvis lex vetus omnino cessaverit; non est tamen putandum, eos, ad quos statim Evangelii promulgatio pervenire non potuit, si bona fide ritus veteres adhibuerint, fuisse damnandos. Ita Bernardus *Epist. LXXVII. ad Hug. Victor. Sane*, inquit, *parvulis et nondum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati praevaricatio, tamdiu credendum est, antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta fuisse non constiterit.* Erat igitur ipsa per se lex mortua, et inutilis, sed *ex accidenti* propter invincibilem hominum ignorantiam juvare poterat ex bona fide, sive *ex opere operantis*, sicut alia Sacramenta in statu legis naturae.

Inst. 1°. Primi fideles, imo ipsi Apostoli post Evangelii promulgationem Mosaicos ritus aliquandiu servarunt; et quamvis Gentiles baptizatos a tota lege Mosaica immunes declaraverint, exceperunt tamen nonnulla, quae censuerunt *necessaria*, nempe abstinentiam *ab immolatis simulacrorum*, *et sanguine*, *et suffocato Act. XV.* 29. Atqui non est existimandum, Apostolos Spiritu Sancto plenos aliquid inutile fecisse, ac permisis-

sisse fidelibus, multoque minus aliquid inutile praecepisse, tamquam necessarium. Ergo etiam post Evangelii promulgationem non prorsus inutilis putanda est lex Mosaica.

℟. *Dist. maj.* Servarunt eos ritus tamquam praecepta legis adhuc vigentis, *neg.* Ob quamdam reverentiam erga legem, et ad avertendam offensionem Judaeorum, et eorum, qui Mosaicis ritibus assueti, Christianam religionem amplexi erant, *conc.* Non igitur inutile quidquam gesserunt Apostoli, sed duabus de causis Mosaicos ritus aliquandiu servarunt; primo quidem, ob quemdam legis honorem, sive ut ait Augustinus, ut Synagoga quamvis extincta, tamen honorificentius tumulatetur; deinde vero ad vitandam Judaeorum offensionem, qui non facile Religioni nomen dedissent, si statim Mosaicas ceremonias abjicere fuissent coacti, nec Gentilibus ad Ecclesiam venientibus familiariter usi essent, nisi illi saltem ab immolatis, et sanguine, et suffocato abstinuissent: eoque sensu haec abstinentia dicitur ab Apostolis *necessaria*, non quidem ex lege Mosaica, sed ex praecepto Apostolico; cessante enim penitus ejus offensionis metu; lex ipsa cessavit; nec hodie viget, saltem in Ecclesia Latina: nam apud Graecos adhuc servatur.

Inst. 2°. In Epistola Apostolorum ex Jerosolymitano concilio data non solum abstinentia ab immolatis, suffocato, et sanguine, verum etiam a fornicatione praecipitur. *Visum est*, inquit, *Spiritui S. et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis.* Atqui abstinentia a fornicatione non ad tempus, sed absolute necessaria, ideoque absolute praecepta est. Ergo etiam abstinentia ab immolatis, suffocato, et sanguine, quae cum fornicatione conjuncta est.

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim fornicatio simul cum immolatis, suffocato, et sanguine ab Apostolis uno eodemque praecepto vetita fuerit, non hinc efficitur, paris esse necessitatis: cum fornicatio non in ceremonialibus legibus, sed in ipso vetita sit Decalogo. Ideo

autem specialem fornicationis fecere mentionem, quia apud nonnullos gentiles, quorum erat intellectus voluptatibus excaecatus, simplex fornicatio non putabatur esse peccatum, ut observant Calmetus *in Genes. XXXVIII. et alibi*, Sanctius, Grotius in *Cap. XV. Actor.* aliique.

Objic. II. *cont.* 3m. *part.* Apostoli si quando usi sunt legalibus ritibus, id per simulationem fecerunt. Ait enim Apostolus de Petro, qui coram Judaeis segregabat se a communione eorum, qui ex gentibus baptizati erant, *Galat.* II. 23. *Simulationi ejus consenserunt ceteri Judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* Ergo statim a morte Christi lex Mosaica mortifera erat.

℟. *Neg. ant.* Quod enim objicitur de Petro singularis ejus actus fuit, in quo merito a Paulo reprehensus est, dicitur autem actus ille *simulatio*, quia ita se gerebat Petrus in legis observatione, ut gentiles, ac Judaei suspicari possent, ab illo credi necessariam. Porro si lex Mosaica jam tum fuisset mortifera, ne per simulationem quidem servari potuisset, tum quia mentiri semper malum est, tum quia adhibere signa falsae, ac mortiferae religionis, atque ita aliis scandalum praebere, etiam per simulationem, semper grave est peccatum, quod absit, ut tribuamus Apostolis.

Inst. 1°. Illa Petri reprehensio ficte, et ex composito facta est; ut docerentur gentiles, et Judaei, Mosaicam legem non esse amplius servandam. Ergo ex illa Pauli reprhensione non sequitur, singularem illum Petri actum vere fuisse reprehendendum: aut in aliis actibus Apostolos sine simulatione ritibus legalibus usos esse.

℟. *Neg. ant.* quod gratis fingitur, et ipsis Scripturae verbis apertissimis mendacia tribuit, cum Paulus expresse dicat *Gal.* II. 11. *Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti; quia reprehensibilis erit.* Quapropter ipse *Hieronymus* postquam controversiae aestus deferbuit, agnovit tandum, Petrum vere et merito a Paulo fuisse reprehensum *Lib.* I. *cont.*

Peba-

Pelagian. quam Hieronymi retractationem observat, ac laudat Augustinus *Epist.* CLXXX. *al* CCLX.

Inst. 2.° Si licuisset Apostolis sincere, et sine simulatione veterem servare legem, etiam hodie liceret, modo non servaretur, ut necessaria ad salutem. Atqui id falsum esse, ex Patrum traditione, imo ex ipsa ratione theologica scimus. Ritus enim ejus legis Christum indicabant nondum venisse, sed esse venturum; ideoque si quis iis ritibus hodie uteretur, videretur adhuc cum Judaeis venturum Messiam expectare, quae ratio non minus hoc tempore, quam tempore Apostolorum falsam esse, et illicitam ostendit legem Mosaicam. Ergo.

℞. *Neg. maj.* Quod enim Deus nascente Ecclesia sapientis oeconomiae causa concessit, id firmata per orbem Ecclesia, prohibuit, saltem in iis ritibus, qui in lege erant praecipui, et ad Christum venturum expressius referebantur, ut Sacrificia, celebratio Paschae, circumcisio, aliaque sacramenta; licet quasdam levioris momenti observationes permiserit, ut abstinentiam a suffocato, et sanguine. Ratio igitur in objectione proposita sola non valeret ad evincendum, ritus Mosaicos esse nunc illicitos; nisi etiam Dei voluntas, et prohibitio addatur.

Inst. 3.° Apostolus in Epistola ad Galatas multis probat, circumcisionem esse illicitam, ac mortiferam, et veluti ejurationem Christianae religionis. *Gal. V.* 2. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit . . . Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Idemque de aliis legis ritibus in eadem Epistola vehementer inculcat. Ergo.

℞. *Dist. ant.* Si adhiberetur in sensu eorum, quos in ea Epistola confutat Apostolus, idest tamquam ad salutem omnino necessaria, *conc.* Si adhiberetur tantum honoris, et sapientis oeconomiae gratia, ut fecit ipse Apostolus, circumcidendo Timotheum, *neg.*

C A P. XI.

De lege Evangelica.

Adv. I. Lex Evangelica variis appellatur nominibus, 1°. *Lex spiritus vitae*, *lex gratiae*, vel simpliciter *gratia*, quia non solum agenda praecipit, verum etiam ad obediendum adjuvat. 2°. Lex libertatis, quia per eam a servitute peccati liberamur. 3.° Lex Evangelica. 4.° Lex nova. De ea autem duplex est quaestio, 1°. qua in re potissimum sita sit ejus natura, 2°. utrum nova praecepta contineat.

II. Lutherani, et Calvinistae passim docent nihil esse in Evangelio praeceptum, praeter fidem, ideoque omnia, praeter fidem, indifferentia esse.

P R O P O S I T I O I.

Lex Evangelica recte definitur: Gratia Spiritus Sancti qua servantur ea, quae Christus praecepit, ab Apostolis promulgata, et in aeternum duratura.

Prob. 1a. *pars.* Ipse Deus legem Evangelicam describens, eam in interiori Spiritus Sancti gratia constituit. *Jerem XXXI.* 33. *Hoc est pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam.* Unde S. Thomas 1a. 2ae. Q. CVI. art. 1. *Quod est*, inquit, *potissimum in lege novi Testamenti, est gratia Spiritus Sancti, quae datur per fidem Christi, et ideo principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti.*

Prob. 2a. *pars, quae est dogma fidei*, contra Lutheranos, et Calvinistas; nempe legem Evangelicam alia Christi praecepta, praeter fidem continere. 1°. Christus in Evangelio mandata sua servenda praecepit, *Si diligitis me, mandata mea servate* Joan. XIV. 15. *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui dili-*

diligit me Ibid. v. 21. *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* Joan. XV. 10. *Docentes eos servate omnia quaecumque mandavi vobis Matth.* XXVIII. 20. 2.° Legem naturalem explicavit clarius, eamque a fidelibus servandam praecepit, ac poenam aeternae damnationis iis, qui illam violarent, minatus est. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. XIX. 17. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis . . . . minimus vocabitur in regno coelorum . . . . dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum Matth. V.* 19. . 3.° Varia praecepit de Sacrificio, de Sacramentis etc. Ergo.

Prob. II. *ex* PP. Augustinus *Lib.* III. *cont. duas Epist. Pelag. cap.* 4. *Quis dicat*, inquit, *non debere observare christianos, ut uni Deo religionis obsequio serviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur; ne adulteria, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiscatur aliena? Quis est tam impius, qui dicat, se ideo ista legis non custodire praecepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus?* Hinc merito Tridentinum *Sess. VI. can.* 10. *Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Adde etiam *Can.* 20. *et* 21. Vide quae diximus *Lib. VI.* de Christo legislatore.

Prob. 3a. *pars.* Non ante promulgata est novae legis institutio quam cum Apostoli in die Pentecostes, quo die Judaei Mosaicae legis promulgationem celebrabant, praedicare caeperunt necessitatem baptismi, et fidei in Christum. Licet enim ante passionem praedicare missi fuerint, non aliud tamen jussi sunt nunciare, nisi proximam novae legis promulgationem: *Euntes praedicate dicentes: Appropinquavit regnum coelorum Matth. X.* 7. Ergo.

Prob. 4a. *pars*, quae est etiam fidei dogma. 1.° Sacerdotium Christi *Heb.* VII. 24. dicitur *sempiternum*, ideo-

ideoque nulla amplius Sacerdotii, ideoque nec legis mutatio fieri potest. 2.° Christus *Matth.* XXIV. 14. praedicit. Evangelium usque ad finem mundi praedicandum: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* 3.° Apostolus *Heb.* XIII. 20. Novum Testamentum vocat *testamentum aeternum.* Ergo.

Prob. II. *ratione.* Si lex Evangelica ante finem mundi mutanda foret, ipsi utique alia praestantior subroganda esset. Atqui nulla lex fingi potest Evangelica praestantior, sive spectes auctorem, qui est ipse Dei Filius, sive spectes sacrificium, quo nihil majus esse potest, sive spectes sacramentorum virtutem, sive legis ipsius justitiam, atque honestatem, sive finis excellentiam, nempe vitam aeternam, ad quam perducit. Ergo etc.

Solvuntur objecta.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Gratia est adjutorium ad servandam legem. Ergo non est ipsa lex.

℟. *Dist. ant.* Est adjutorium, quod simul demonstrat quid agendum sit, et adjuvat ut agatur, *conc.* Quod non demonstrat quid sit agendum, *neg.* Porro ratio ordinans, atque ostendens quid agendum, fugiendumve sit ad finem obtinendum, et adjuvans simul, ac movens ad agendum est perfectissima lex, supernaturaliter cordibus indita, ideoque longe praestantior naturali, quae naturaliter animo impressa est.

Inst. 1.° Lex debet esse communis; atqui ejusmodi non est gratia, ut *Lib.* VII. ostendimus. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ejusmodi non est ex natura sua *neg.* Non est ejusmodi, ex vitio subditorum, *conc.* Lex autem non ideo desiinit esse communis, quia multi eam scire nolunt.

Inst. 2.° Lex nova in Evangelio scripta est. Non est igitur ipsa Dei gratia interius in corde diffusa.

℟. *Dist ant.* Scripta est primario, quasi ejus natura ea sit, ut scribi necessario postulet, *neg.* Scripta est secundario, ne scilicet homines cupiditate abrepti, ad

ad legem interius scriptam advertere nollent , *conc.* Itaque jam promulgata , atque firmata erat nova lex ante quam Evangelium scriberetur ; ideoque non necessario ad eam legem scriptura requirebatur. Sed sicut lex naturalis licet cordibus hominum naturaliter insita, scripta est in tabulis Mosaicae legis , ut homines exterius legerent , et adverterent , quod saepe legere nolebant interius ; ita nova lex , licet per gratiam supernaturaliter animis fidelium insculpta , exterius scripta est.

Objic. II. Gratia ad mandata servanda communis est legi naturae , Mosaicae , et Evangelicae , cum , etiam fuerint sub lege naturae , et Mosaicae viri Sancti *Abel* , *Noe* , *Abraham* , *David* , *etc.* qui utique sine gratia legem nullo pacto servare potuissent. Ergo gratia non constituit naturam , ac differentiam novae legis.

℟. *Dist. ant.* Fuerunt viri sancti ex gratia novi Testamenti : *conc.* Ex gratia quae ipsius legis naturae , aut Mosaicae propria esset , *neg.* Lex igitur vetus , quantum in se erat , ostendebat tantummodo quid agendum esset, non etiam praebebat adjutorium , ut servarentur praecepta. Ideoque quisquis tunc legem servavit , ad gratiam novae legis pertinebat , atque ex fide Christi venturi , cujus gratia credebat , ac recte agebat , salutem consequebatur. *Eadem igitur fides est* , inquit Augustinus *Lib.* III. *cont.* 2. *Epist. Palag. Cap.* 4. *et in illis* , *qui nondum nomine* , *sed reipsa fuerunt antea Christiani* , *et in istis* , *qui non solum sunt* , *verum etiam vocantur* ; *et in utriusque eadem gratia per Spiritum Sanctum.*

Objic. III. *conc.* 2m. *part.* Apostolus saepe docet. Christianos a lege immunes esse. *Gal.* IV. 4. *Misit Deus filium suum . . . factum sub lege , ut eos, qui sub lege erant , redimeret.* Rom. VI. 14. *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* I. Tim. I. 9. *Lex justo non est posita , sed injustis . . . . . , et peccatoribus.* Lex autem generatim omnia praecepta complectitur , naturalia scilicet , et ceremonialia. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docet Apostolus , Christianos , si justi sint , immunes esse a lege minitante , et cogente invi-

vitam, ac reluctantem voluntatem, *conc.* Immunes esse a lege absolute, *neg.* Qui voluntatem habet in malum pronam, ei lex grave onus videtur, et veluti obex, qui voluntatem formidine poenae impedit, quominus eo feratur, quo eam peccandi cupiditas inclinat. Atque is proprie dicitur esse sub lege, quae eum quasi grave jugum premit, nec interim adjutorium praebet quo levius feratur. At contra justus, qui condelectatur legi Dei, saltem secundum interiorem hominem, non legem considerat ut jugum, aut objicem voluntati oppositum, cum ipsa ejus voluntas ea diligat, quæ lex praecipit, nec tam movetur praecepto, aut poena, quam ipsa dilectione justitiae, sicut qui jejunus est, cibum appetit, non quia lege naturali praecipitur, sed quia illo delectatur. Unde ipsa lex, quae injustos premit, qui ideo dicuntur esse sub lege, justos sublevat, sicut pennae avem mortuam graviorem reddunt, at vivam faciunt leviorem, et ad volandum expeditam. Idcirco justi non dicuntur esse sub lege, sed injusti, et peccatores. qui legem implet, inquit Augustinus *Tract.* III. *in Joan. non est sub lege, sed cum lege. Qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege.* Et *Lib. de Spir. et lit Cap.* 4. *Ubi Sanctus non adiuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est charitatem infundens in cordibus nostris, profecto nulla lex, quamvis bona, auget desiderium malum, sicut aquae impetus vehementior fit objice opposito.*

Inst. 1° Qui sub gratia est, absolute ab omni lege immunis est, solaque ab eo fides exigitur. Inquit enim idem Apostolus *Rom.* III. 27. *Ubi est ergo gloriato tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei. Aribitramur enim, justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Ubi legem Mosaicam appellat legem operum, novam vero vocat legem fidei: quae idcirco, ut distinguatur a Mosaica, debet opera excludere Ergo etc.

℟. *Neg. ant. et ad confirm. Dist. ant.* Apostolus legem novam vocat legem fidei otiosae, mortuae, qualis est fides sine operibus *Jac.* II. 20., *neg.* Vocat Legem fidei, quae per charitatem operatur *Galat. V.* et adjuvat ad servandam legem. *conc.* In hoc itaque

con-

constat inter veterem, novamque legem discrimen, quod illa praecipiebat, sed ad opera implenda non praebebat auxilium; ista vero per fidem ad ea implenda suppeditat gratiam. Ideo illa simpliciter dicitur lex factorum, haec vero lex fidei. Per legem autem factorum non justificatur homo, quia sine gratia eam non servat, et si qua videtur facere opera, non eo modo facit, quo facienda sunt. Vide Augustinum *Lib. de Spir. et lit.*

Inst. 2°. Idem Apostolus Christianos libertate donatos saepe affirmat. *Gal. V.* 13. *Vos. enim in libertatem vocati estis, fratres* II. Cor, III. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ergo.

℞. *Dist. ant.* Ait, Christianos donatos libertate a jugo veteris legis, et servilis timoris, *conc.* libertate ab omni praecepto, *neg.* Explicat enim in eodem *Cap. V. ad Gal.* quae libertas Christiana sit. Nimirum a circumcisione, ceterisque ceremoniis legis. Sed de praeceptis moralibus subjungit: *Tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum*

Objic. IV. *cont.* 3m. *part.* Ipse Christus longe ante mortem Baptismi legem tulerat. Ait enim Nicodemo *Joan.* III. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quam legem Apostoli jam ante Christi mortem, ipso utique jubente Christo, executione, usuque firmarunt. Constat enim ex Evangelio, Apostolos ante mortem Christi baptizasse, non utique baptismo Joannis, sed baptismo Joannis, Atqui baptismus est totius novae legis professio, sicut circumcisio legis Mosaicae. Ergo non ab Apostolis post Christi mortem, sed ab ipso Christo lex nova promulgata est.

℞. *Dist. maj.* Christus Baptismi legem ante mortem tulerat, hoc est instituerat, sed suo tempore, nempe post ipsius mortem ab Apostolis promulgandam, *conc.* Secus, *neg.* Sicut enim ante Eucharistiae institutionem

eam

eam promisit *Joan.* VI. sic Nicodemo ante praedixit futuram baptismi legem, ac necessitatem. Apostoli autem per anticipationem baptismum dare coeperunt, quamvis nondum promulgata lege, ut homines ad legem ipsam paratiores essent.

Corollaria.

I. Ex iis, quae duobus his capitibus explicata sunt patet, differentiam inter vetus, novumque Testamentum eam esse, quod vetus exterius jubeat, scriptum in tabulis lapideis, et metu poenae coercens; novum interius impressum adjuvet gratia, et charitate Spiritus Sancti per Christum, quem vetus Testamentum per tot praecepta ceremonialia promittebat, et adumbrabat. Hinc quicumque hac gratia adjuti veterem legem servarunt, ad novum Testamentum pertinebant, et quicumque sine gratia suis viribus putant, se legem servare, sub veteri Testamento sunt, quos littera occidit. *Hoc discernit Testamentum novum a veteri, quod in veteri data est lex in tabulis lapideis, in novo autem in cordibus, quod fit per gratiam*, inquit Augustinus *Q.* XI. *in Deuteron.* Et *Lib. cont. Adimant. Cap.* 17. *Haec est brevissima, et apertissima differentia duorum testamentorum, timor, et amor.* Unde Apostolus II. *Cor.* III. 3. *Epistola*, inquit *estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Et Rom. VIII. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*

II. Hinc sequitur legem novam esse veteri leviorem, ut merito dicat Christus *Matth.* XI. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos ... ... et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Non in eo igitur sita est Evangelicae legis suavitas, ac levitas, quod Christus naturae legem, quae immutabilis est, ulla in parte emollierit, quo sensu quidem *Casuistae iis* Christi verbis abutuntur, sed quod aboli-

litis Mosaicae legis ceremoniis, quae Christum adumbrabant, et numero, et pondere opprimeb nt, per gratiam leve efficiat, ac suave, quod naturae corruptae asperum erat, et grave, ut advertit Augustinus *Lib. de nat. et grat. Cap. 69. et alibi*, et Bernardus *Epist.* CCCXLI.

III. Quoniam Christus non mutavit naturae legem, quae in veteri Testamento scripta est, sed illam explicavit clarius; atque a falsis Scribarum, et Pharisaeorum interpretationibus vindicavit; ceremonias vero non solvit, sed implevit per sacrificium crucis, cujus sacrificii signa sunt, et fructus omnia sacramenta a Christo instituta; hinc sequitur, novum Testamentum quoad substantiam praeceptorum non differre a veteri, nisi ut perfectum ab imperfecto. Quod enim veteres Judaei minus clare intelligebant in lege naturali, nos intelligimus clarius; quod autem illi per legis ceremonias credebant futurum, nos per sacramenta profitemur factum. Objecta quidem fidei per novas mysteriorum Trinitatis, Incarnationis etc. revelationes plura sunt in nova lege, sed eadem est in utroque Testamento lex credendi quaecumque a Deo revelata sunt.

Scholion.

Quamvis moralia legis Evangelicae praecepta sint ipsa naturae lex accuratius a Christo explicata, ita ut observatio Evangelicae legis hominem constituat absolute perfectum, quem votis suis vetus philosophia non potuit aequare: tamen ad removenda impedimenta, quae hominem a lege illa religiose observando removent, adjecit Christus Evangelica *consilia*. Matth. XIX. 21. *Si vis perfectus esse, vade vende quae habes, et da pauperibus .... et veni sequere me.* Et *ibid. v.* 11. *et* 12. de castitate ait *Non omnes capiunt verbum istud ..... qui potest capere capiat*; unde Apostolus I. *Cor.* VII. 25 *De virginibus praeceptum domini non habeo, consilium autem do.* Haec autem consilia absolute quidem obligationem non afferunt, alioquin non distinguerentur a praeceptis, sed ea contemnere, grave peccatum est omittere vero ex sola rerum terrenarum cupiditate, levi aliquo pec-

cato non caret, non propter ipsam consiliorum omissionem, sed propter immoderatiorem cupiditatem: ex accidenti tamen fieri potest, ut eorum consiliorum omissio ad damnationem perducat, si quem divina vocatio ad majorem vitae perfectionem destinaverit. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Hinc Christus ex duobus adolescentibus, alterum sequi volentem non admisit, sed remisit ad suos *Marc. V.* alterum vocatum, et sequi detrectantem, difficile salvari posse pronunciavit *Matth.* XIX.

Ceterum cum consilia data sint, ut praecepta perfectius serventur, non in observatione consiliorum, sed in ipsa praeceptorum observatione perfectio Christiana consistit, ad quam mirifice conducit observatio consiliorum. *Charitas enim perfecta, perfecta justitia est* ut inquit Augustinus *Lib. De nat. et grat. Cap.* 70. Praeclare Paulinus *in Epist. ad Sulpit. Sever. Quae nobis gratia si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus, idest de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro diligentes Deum? Quamobrem temporalium bonorum relictio, sive distractio non decursus studii, sed ingressus, nec ut meta, sed ut janua est. Non enim tum vincit cum exuitur athleta, qui ideo nudatur, ut incipiat dimicare.* De lege Mosaica, et Evangelica omnium accuratissime pertractat S. Thomas 1a. 2ae. *a Q.* XCVIII. *usque ad Q.* CVIII. Vide in eas Quaestiones Sylvi *Commentaria.*

CAP.

C A P. XII.

De lege humana tum Ecclesiastica, tum politica.

Adv. I. Quamvis una sit aeterna lex, et ratio servari jubens ordinem rerum in finem, ut supra docuimus; isque ordo pro variis hominum circumstantiis, in ipsa aeterna, atque ordinatissima ratione dispositus sit; tamen ne homines eam rationem aut ignorarent, aut contemnerent duplicem constituit in terris potestatem Deus, Ecclesiasticam, et politicam, quae homines in rebus tum spiritalibus, tum temporalibus regerent, legesque statuerent, quibus ad finem tum temporalis, tum aeternae felicitatis pervenirent.

II. Hanc potestatem ferendarum legum tum Ecclesiae, tum principibus, Waldenses, Wicleffistae, ac Lutherani negarunt. *Clamo confidenter*, inquit Lutherus *Lib. de Capt. Babyl. Christianis nihil ullo jure posse imponi legum sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt; liberi enim sumus ab omnibus* At *Samuel Pufendorfius Lib. De habitu rel. Christ.* quem recentiores passim Lutherani sequuntur, potestatem omnem solis principibus esse asserit tum profana legibus moderandi; nullam vero Ecclesiae Pastoribus (*a*). Hic igitur primo refutandus est, et castigandus error.

(a) Valde absurdum est *Boehmeri* systema *Dissert.* III. *De confoederata Christianorum disciplina, et al.* qui docet, nullum esse in Ecclesia jus, nisi *Confoederatam* quamdam *disciplinam*, qua Christiani omnes inter se aequales secum mutuo paciscebantur, ut aliquorum criminum rei aut publicae subjicerentur poenitentiae, aut e societate excluderentur. Presbyteri autem, seu seniores, qui populum repraesentabant, monendi tantum, non praecipiendi potestatem ex foedere habuisse; quae potestas in principes, qui jam populo praesunt, translata est. Quis ista concoquat? Quis serio refellat?

PROPOSITIO I.

Possunt supremi Ecclesiae Pastores ferre leges canonicas; quae obligandi vim habeant. Est dogma fidei.

Prob. I. Christus Ecclesiae Pastoribus pascendi, sive regendi gregis potestatem fecit. *Act. XX.* 28. *Attendite vobis, et universo gregi; in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* I. Pet V. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* Joan. XXI. 15. *Pasce agnos meos . . . . pasce oves meas.* Atqui nullo pacto constare potest pascendi, regendique ratio sine praecipiendi potestate. Quis enim est pastor, qui nullam cogendi gregis potestatem habet? Quis rector sine auctoritate jubendi? Unde ipse Christus *Luc. X.* 16. ait Apostolis, *qui vos audit; me audit*; audire autem, sicut et Graecum *ακɛειν* idem esse atque obtemperare; omnes norunt. Et *Matth.* XVIII. 18. *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Ergo.

Prob. II Id possunt supremi Ecclesiae pastores, quod Apostoli, eorumque successores a primis Ecclesiae saeculis et potuerunt, et fecerunt. Atqui cum Apostoli, tum eorum successores a primis Ecclesiae saeculis leges canonicas condiderunt. Nam 1°. Apostoli in Concilio Jerosolymitano legem abstinendi ab idolothytis, suffocato, et sanguine omnibus Christianis imposuerunt *Act. XV.* 28. Quam legem veram habuisse obligandi vim, et potestatem, patet tum ex ipsis ejus verbis, quibus dicitur: *Visum est Spiritui S. et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria etc.* tum ex modo, quo eam Paulus Apostolus promulgabat: *Perambulabat autem Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et seniorum.* 2°. Paulus I. *Tim.* III. Tit. I. legem condidit de biga-

bigamis, ac Neophitis non ordinandis; variaque tum in Epistolis suis, tum verbo praecepta dedit, de quibus generatim ait I. *Thessal* IV. 2. *Scitis quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.* 3°. Primi Apostolorum successores varias in Conciliis condidere leges, ut ex canonibus Apostolorum, aliorumque Conciliorum manifestum est. Ergo.

Objic. Ecclesia non habet imperium. Ait enim Christus *Luc.* XXII. 25. *Reges gentium dominantur eorum . . . Vos autem non sic.* Et I. Pet V. 3 *Non dominantes in Cleris, sed forma facit gregis.* Ergo etc.

Dist ant. Non habet imperium civile, *conc.* Spiritale, *neg.* Ideo non civili dominatu, ac fastu Pastores praeesse debent, quod significare voluit Christus, et Apostolus Petrus. Atque hac de causa Ecclesia leges suas *canones*, seu regulas appellare maluit, quam leges.

Inst. Non aliam Christus Apostolis potestatem fecit, quam docendi ipsius Christi mandata. *Docentes*, inquit, *servare omnia quaecumque mandavi vobis Matth. XXVIII.* Ergo etc.

℟ *Neg. ant.* Dedit enim praeterea potestatem praecipiendi ea, quae ad servanda Christi mandata putarent necessaria, ut ex ipsis Apostolorum Actis perspicuum est.

PRO-

PROPOSITIO II.

Principes civiles supremi, etiam infideles, potestatem habent jubendi leges. Est dogma fidei.

Prob. 1°. Deus ipse principibus se dedisse ait potestatem condendi leges. Prov. VIII. 15. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* 2°. Christus de lege tributorum ab infidelibus principibus condita ait *Matth.* XXII. 21. *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari.* 3°. Apostolus de legibus Imperatorum infidelium loquens *Rom.* XIII. 1. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi a Deo, quae autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt . . . . Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram* (sive poenam temporalem); *sed etiam propter conscientiam.* 4.° Petrus I. Pet II. 13. *Subjecti*, inquit, *estote . . . . . . sive Regi tamquam praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.* Atqui nulla constaret subjectio, imo nullus ordo in regimine publico, nisi principibus potestas esset jubendi leges, coercendi scelestos etc. Ergo.

Solvuntur objecta.

Objic. I. Solus Deus in animos hominum potestatem habet. Non ergo homo potest hominem lege aliqua obligare; saltem in conscientia.

℟. *Neg. cons.* Nam Deus ipse jubet parere legibus, quae a legitimis principibus sive Ecclesiasticis, sive civilibus conditae sunt. De Ecclesiasticis habetur. *Luc.* X. 16. *Qui vos audit, me audit.* De civilibus vero est illud *Prov.* VIII. *Per me reges regnant. etc.*

Objic. II. Nulla potest esse vera lex, quae non ab aeterna Dei lege manat, quae est summa ratio dispo-

nens

nens quid in quocumque hominum statu agendum, fugiendumve sit, ut supra ostendimus. Vel ergo leges principum cum aeterna Dei lege consonant, et frustra fiunt; vel ab ea discrepant, et non sunt verae leges, nec ullam ligandi vim habent.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia non frustra jubetur, quod licet jam sit in aeterna ratione dispositum, tamen a subditis vel ignorari, vel contemni potest. 2°. Quia variae temporum, atque hominum circumstantiae varias requirunt leges, ut supra docuimus. Eas autem circumstantias expendere, Principum est; alioquin quot hominum vivunt, totidem leges essent, ac summa inde sequeretur perturbatio Hinc licet quid in tempore jubendum, vetandumve sit, in aeterna Dei lege jam sit ordinatum; tamen excepta lege naturali, nulla erit obligatio ante latas leges *positivas.*

Inst. 1.° Ergo leges humanae non nova obligationem possunt imponere, sed explicare dumtaxat, quid spectatis, atque perspectis circumstantiis, ab aeterna lege jubeatur.

℟. *Neg. conc.* Nam cum Deus potestatem fecerit principibus jubendi leges, quae pro variis circumstantiis necessariae sunt, lex aeterna non αμεσως *immediate* praecipit, sed disponit, et ordinat quid sit in tempore jubendum, ac vetandum: unde vere novam obligationem imponunt leges positivae.

Inst. 2°. Homo jure naturae liber est a jugo legum civilium. Atqui injustum est, aliquem jure suo spoliare. Ergo.

℟. *Transeat maj.* quae negari posset, cum homo a natura ipsa socialis factus sit; societas autem sine legibus stare non possit, Sed, *data maj. Dist. min.* Injustum est, aliquem jure suo spoliare invitum, *conc.* Consentientem, *neg.* Cum itaque homo vel ipse civitati dat nomen, vel in civitate natus ejus commodis libere fruitur, jam libertati illi, quae fingitur, libere cessisse existimatur.

Q. I. *Quinam Ecclesiasticas leges ferre possint.*

℟. 1.° Concilium generale in universa Ecclesia 2.° Con-

Concilia Nationalia, Provincialia, Dioecesana in universa natione, provincia, dioecesi: sicut et *Capitula generalia* ordinum *regularium* in ordine ipso. 3.° Summus Pontifex in tota Ecclesia. 4.° Episcopus, et qui jurisdictionem quas Episcopalem habet, in sua Dioecesi et vacante Sede Episcopali, Capitulum Ecclesiae cathedralis. Eademque ratione, vacante Romana Sede, Cardinalium collegium si ab eligendo Pontifice prohibeatur; gravisque urgeat causa, quae praesens remedium postulet, potest ex nonnullorum sententia legem aliquam modo *provisionis* ferre: sicut post mortem *Fabiani*, Clerus Romanus, quem Cardinalium collegium repraesentat, statuit, dandam esse lapsis in periculo mortis Eucharistiam; licet nondum absoluto poenitentiae curriculo. Id tamen verum est, si *electio prohibeatur*; nam alioquin electioni Pontificis unice intenti esse debent *Cap. 2. De elect. in* 6. (*a*).

Q. II. *Quinam leges politicas ferre possint?*

R. Eos, penes quos est summum imperium, quique superiorem id communitate perfecta non habent. Tales sunt Imperatores, Reges, Principes supremi, Respublicae.

Co-

(a) Utrum Declarationes *S. Congr.* Cardinalium vim legis, ac potestatem habeant, dubitatum est: nonnulli negant, quia non promulgantur; alii affirmant, quia non sunt novae leges, sed priorum interpretationes, quae promulgatione non egent. Alii melius distinguunt: si a Pontifice approbatae sunt, et in S. C. publicatae, vim legis habere docent in similibus causis. Si a sola Cardinalium Congr. inconsulto Pontifice editae sint aliter sentiendum; magnae tamen esse auctoritatis.

Corollaria.

I. Cum potestati jubendi respondeat obediendi necessitas; si principibus potestas est jubendi leges, subditis est obediendi obligatio tum canonicis, tum civilibus legibus. Hinc Augustinus: *Praeceptum est*, inquit, *cui non obedire peccatum est Lib. De Sancta Virginit. Cap.* 15. Quando autem grave, aut leve sit peccatum, legis aut Ecclesiasticae, aut civilis violatio, dicemus inferius, ubi de peccatis agemus (* Generatim tamen hic affirmare possumus, gravitatem obligationis tum ex intentione legislatoris, quae ex ipsius legis verbis, et poenae comminatione cognoscitur, tum ex materiae gravitate, quae scilicet ad commune bonum magnopere conducit aestimandam esse. Materia igitur, quae ipsa per se levis est ad commune bonum non leviter conducit, gravem obligationem parit. Utrum autem possit legislator rem omnino levem gravi obligatione praecipere, aut rem gravem levi obligatione, disputatum est. Verisimilior videtur sententia utramque negans. (*a*) Levem enim omni ex parte rem gravi obligatione praecipere stultum, atque intolerandum est: Gravem vero levi obligatione injustum; nisi gravis aliqua ob commune bonum circumstantia aliter suadeat (*b*) *).

II. Disputatum est tamen a Theologis, si lex *in praesumtione*; ut ajunt, *fundata sit*, utrum illa obliget etiam non extante ea re, vel fraude, vel facto, quod lex extare *praesumebat*; cum ex generali regula *omnis praesumtio veritati cedat*. Et quidem si lex non solum ad fraudes, verum etiam ad ipsum fraudis periculum amovendum instituta sit; cujusmodi sunt pleraeque leges quae necessarias quasdam in contractibus sollemnitates requirunt, servanda lex est, etsi in peculiari aliqua causa nulla fraus extiterit, cum semper fraudis periculum

(a) *Vasquez, Bellarminus etc.*
(b) *Concina etc.*

riculum exstet, quod ob publicum bonum amoveri legislator voluit. Si vero lex solum in praesumtione alicujus vel fraudis fundata erat, tunc non extante facto ipso vel fraude, *in conscientia* non obligat, ut praeter alios docet *Antonius Tract. De Leg. Sect.* III. *Cap.* 2. *)

III. Cum omnis jubendi potestas in principes a Deo manet, patet, ipsius Dei praecepta sive naturalia, sive positiva legibus hominum esse potiora. Si quando igitur humanae leges divinis adversantur. Deo magis obediendum est, quam hominibus. *Act. IV.* 19 *Si justum est vos potius audire, quam Deum, judicate:*

IV. Si igitur humanae legis observatio cum vitae periculo conjuncta sit, nulla est obediendi obligatio, nisi cum ipsa naturae lex jubet vitam communi utilitati, et majori bono postponere. Juris enim naturalis, quod vitam servare jubet, major est auctoritas. Quod autem de vita diximus, idem etiam de sanitate, valetudine, libertate, fama, bonisque fortunae quae gravis momenti sinet, intelligendum est: quo sensu est accipiendum illud quod passim dicitur; *leges humanae cum gravi incommodo non obligant.* *) Imo ipsae divinae leges positivae cum eo periculo non obligant. Unde legimus in Scripturis, Davidem fame cogente, manducasse panes propositionis I. *Reg.* XXI. 6. quod et Christus laudavit *Matth.* XII. 3. et Machabeos pugnasse die Sabati I. *Machab.* II. 41 Qui tamen aliquid voluntarie, ac sine ulla necessitate faceret, quod eum a lege servanda impediret, is violatae legis reus existimandus esset *)

V. Sed cum ipsa naturae lex jubeat, vitam majori bono communi postponere, tunc etiam cum vitae periculo positivae leges divinae, aut humanae servandae sunt. Sic miles etiam cum vitae periculo de statione decedere non debet. Sic etiam qui ob religionis injuriam, et contemtum, cogeretur violare jejunium, aut aliud facere, quod Deus, aut Ecclesia prohibuerit, mori potius debet, quam legem transgredi, ut fecit *Eleazarus* cum carnem porcinam compelleretur contra legis vetitum manducare II. *Machab.* VI.

VI.

VI. Hinc si plura simul praecepta occurrant, quae simul servari nequeunt, quod majus, et gravius est, minori, et leviori est anteponendum. Itaque naturae lex positivae divinae, et humanae praeferenda est: divina vero positiva humanae. Sic jejunia, preces, divini officii recitatio, aut Sacrificii celebratio, et auditio, omittenda sunt, cum ur et charitatis praeceptum erga proximum, nec illi succurri potest, nisi illa religionis officia omittantur.

VII. Quoniam ad supremos principes sive Ecclesiasticos, sive civiles spectat jubere leges; ad eosdem etiam pertinet legum interpretatio in rebus dubiis. Est autem legis interpretatio duplex; altera, quae ex auctoritate fit a principe, vimque ligandi non secus ac ipsa lex habet: altera privata, quae a Jurisconsultis est tradita, quaeque nisi recepta jam fuerit ex consuetudine; de qua dicemus inferius, tantum valet; quantum ipsa Doctorum auctoritas.

(* VIII. Sed ne in privata hac interpretatione facienda ullus sit errori locus, non proprio ingenio, atque judicio, sed ex regulis Juris, quae praesertim in titulis *De verborum significatione*, et *De Regulis Juris* habentur, interpretandum est. Sunt autem regulae istae praecipuae 1.° *Optima legum interpres est consuetudo*. 2°. *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere, debemus*, hoc est ubi lex generatim scripta est, nullam inde speciem, aut caussam excipere possumus. 3.° Ubi verba legis ambigua videntur, ex antecedentibus, et consequentibus, et fine legislatoris interpretatio facienda est. *Intelligentia enim dictorum ex caussis est assumenda dicendi.* 4.° Verba legis in propria, et communiter recepta significatione intelligenda sunt, nisi ubi sic intellecta injustum aliquid, absurdum, aut communi bono prorsus inutile continerent. 5.° Poenae strictius interpretandae sunt, neque ad similes caussas, imo etiam graviores extendendae. *Odia enim restringi, et favores convenit ampliari Reg. XV. Jur. in* 6°. 6.° Cum lex de singulari caussa, vel persona scripta est, ut sunt multae in civili jure, atque Canonico, tunc tantum ad similes caussas extendi debet, cum singularis il-

illa caussa posita est exempli loco, praesertim si ratio in ipsa lege scripta sit, cur ita statutum fuerit, eaque ratio in similibus etiam, aut majoribus caussis valeat. 7.° Cum nulla lex est de peculiari aliqua caussa; a similibus caussis in lege definitis sententiam ferri in judiciis aequum est, 8.° Quod a communi jure deficit, vel *exorbitat*, strictae interpretationis est; et quaecumque communis juris limitatio, vel *exceptio firmat legem in aliis*, ut ait *Glos. in L.* 15. *ff. De legib.* *).

C A P. XIII.

De legum humanarum objecto, sive materia.

Adv. Legis humanae materia est quidquid ad commune bonum, sive ad finem communitatis, cui Legislator praeest, conferre potest; modo sit honestum, atque possibile. Quod enim sive natura sua, sive ex positiva sublimioris potestatis lege inhonestum est, juberi non potest, cum ab aeterna Dei lege prohibeatur, quod autem humanae infirmitati *moraliter* impossibile est, id si generali lege praecipiatur, ad malum potius, quam ad bonum communitatis valet, certoque duntaxat hominum statui, quem libere quis eligere potest, aut respuere, praecipitur, ut continentia majoribus clericis, *Religiosis* regulae morum severiores. (* Ex quo fit, ut non possit humana lex heroicas virtutum actus generatim praecipere, aut omnia simul etiam minima vitia prohibere, ut recte S. Thomas concludit. *) Haec quidem generatim dicta sufficerent ad varias solvendas, quae hac de re agitantur a Theologis quaestiones Duo tamen juvat hic explicare diligentius. 1°. Cum humana societas duabus regatur potestatibus Ecclesiastica, et politica, quid cujusque potestatis materia sit, distinguendum est, ne altera in alterius provinciam invadat, et omnia perturbet. 2°. Cum

Cum actus humani partim interni sint, partim externi, videndum est, utrum legislatores, saltem Ecclesiastici, non solum externus, verum etiam internos actus praecipere valeant.

PROPOSITIO I.

Principes politici de rebus mere spiritualibus leges ferre nequeunt, nec Ecclesiastici de rebus mere civilibus.

Prob. 1a. *pars.* Non civitatis principibus, sed Ecclesiae pastoribus a Christo dictum est *Matth.* XXVIII. 20. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos . . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Matt. XVIII. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Et ab Apostolo *Act. XX.* 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, cujus Ecclesiae, et gregis ipsi civiles principes in rebus spiritalibus membra, et oves sunt. Ergo haec pars ad fidem pertinet.

Prob. 2a. *pars* Sicut Ecclesiae pastoribus a Deo datum est, ut res mere spiritales ad aeternam salutem pertinentes curarent, ita saeculi principibus divinitus datum est, ut iis praeessent, quae proxime ad temporalem hominum tranquillitatem, et pacem pertinerent. *Dei enim minister est tibi in bonum Rom* XIII. 4. nempe *ut quietam, et tranquillam vitam agamus* I. *Tim.* II. 2. quamvis haec ipsa ultimo ad Dei gloriam et ad aeternam hominum felicitatem referri debeant. Frustra autem Deus civilem potestatem instituisset; si iidem Ecclesiae pastores de rebus civilibus leges ferre possent; imo maxima inde sequeretur rerum perturbatio. Ergo sicut ex eo quod Deus res spiritales Ecclesiae pastoribus commisit, recte sequitur, civiles principes non posse de iis ferre leges: ita e contrario ex quo Deus principibus politicis rerum temporalium curam mandavit, recte concluditur, Ecclesiae pastores eam usurpare non posse.

Haec

Haec autem apud Ecclesiae Patres exploratissima sunt. Sufficiant pro omnibus verba *Osii* Cordubensis ad Constantium Imperatorem, quae recitat Athanasius *Epist. ad Solitar. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita et tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, et sacrorum potestatem habes, Imperator* (a).

Solvuntur objecta.

Objic. I. *contr.* 1m. *part.* Ecclesia est in Republica, non Respublica in Ecclesia. Ergo ad Reipublica moderatores spectat ferre leges de omnibus, quae in republica sunt, etiam sacris.

℟. *Neg. ant. quoad* 2 m *part.* In rebus enim temporalibus Ecclesia est in Republica, rebus sacris, et spiritalibus Respublica est in Ecclesia; si tota Resp. Christiana est; vel esse debet, si non est.

Objic. II Etiam in rebus sacris, quae ad disciplinam pertinent, potest inesse aliquid, quod Reipublicae tranquillitatem, et pacem aut fovat, aut perturbet. Ergo haec ordinare Principum est.

℟. *Dist. ant. quoad.* 2 m *part.* Potest in disciplina esse aliquid, quod pacem perturbet, si Pastores Ecclesiae potestate sua non abutantur, *neg.* Christiana enim religio ad Reipublicae tranquillitatem fovendam, nullo modo ad perturbandam valet. Si potestate sua abutantur, *conc. ant. et neg. cons.* Etenim ne quis esset abusus, cautum est in plerisque Regnis, ac Rebuspublicis, ex ipsa etiam Sedis Apostolicae consensio-

(a) Adde Nazianz. *Orat.* XV I. Isidor. Pelus. *Lib.* III. *Ep.* 249 Chrysostom *Hom XV. in Ep* II. *ad Cor* Gelasium *Epist. ad Anastas.* Vide Petrum de Marca *Concord. Sacerd. et Imp. Lib.* I. *Cap* 1. §. 4. Bossuet *Defens. Declar. Part.* I. *Lib.* I. *Sect.* 1. *Cap.* 33.

sione, ut leges ad disciplinam pertinentes a Principibus etiam *Regio placito* munirentur; ut viderent, an quid in ipsis esset, quod moribus civitatum, quibus ipsi praesunt, aptari non posset, idque Ecclesiae Pastoribus significarent.

Objic. III. *cont.* 2.m *part.* Ecclesiae est judicare de peccatis. Atqui in ipsa Reidublicae administratione innumera possunt esse peccata. Ergo Ecclesia saltem indirecte potest de iis decernere, ac praecipere.

℟. *Dist. ant.* In foro interno Sacramenti poenitentiae, *conc.* In foro externo, *subdist.* Si peccatum est contra canones, *conc.* Si contra leges civiles; *neg.*

Scholion.

Quamvis principes de rebus spiritualibus leges ferre nequeant, possunt tamen sua potestate providere, ut Ecclesiae canones serventur. Quod a piissimis Imperatoribus factitatum non solum non reprehendit Ecclesia, verum etiam laudavit. Hinc *Leo M. Ep. LXXV. ad Imperatorem*: *Debes*, inquit, *incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae bene statuta sunt defendas.* Hinc mira illa est inter Sacerdotium, et Imperium a Christo instituta concordia, dum Ecclesiae Pastores obedientiam civilibus legibus praedicant: civiles vero Principes canonicas constitutiones sua etiam auctoritate defendunt (* Quam concordiam aegre ferentes Athei, aliique increduli, qui principatum simul, ac religionem evertere moliti sunt, ac moliuntur; principibus callide suaserunt, ut Ecclesiam, ejusque canones, ac ministros deprimerent (*a*) *)

PRO-

(*a*) V. Tassoni opus egregium *Della necessità ed utilità della Religione.*

PROPOSITIO II.

Possunt legislatores, praesertim vero Pastores Ecclesiae praecipere indirecte actus internos, qui cum externis necessario conjuncti sunt.

Hanc propositionem multi impugnant recentiores *Casuistae*, qui asserentes, Ecclesiam solos externos actus posse praecipere, monstrosa inde consectaria eruunt, quae si vera essent, ad solum externum Dei cultum tota fere coarctaretur religio.

Prob. 1°. Possunt legislatores eos actus externos praecipere, qui ad publicum communitatis bonum necessarii sunt. Atqui ex actibus externis nonnulli sine actibus internis irriti sunt natura sua, et inanes, ut contractus, juramenta, sacramentorum administratio, atque susceptio, orationes etc. Ergo si legislatores actus illos externos praecipere possunt; etiam internos, sine quibus illi irriti sunt, possunt praecipere.

2°. Possunt legislatores, praesertim pastores Ecclesiae praecidere actus externos bonos, et honestos, qui ad communitatis bonum, praesertim ad animarum salutem, et cultum religionis conducunt. Atqui nonnulli actus externi sine internis non boni, atque honesti, sed mali sunt, ut confessio Sacramentalis sine contritione, communio Eucharistica sine praecedenti sui ipsius probatione, precum recitatio sine attentione, Sacrificii oblatio sine devotione. Ergo si legislatores, praesertim pastores Ecclesiae, actus illos externos praecipere valent, etiam internos praecipere poterunt, sine quibus illi mali sunt. Sic praecipitur Clericis, ut divinum officium studiose, et devote celebrent *Cap. Dolentes De celebr. Mis.* Hinc merito damnata est ab *Alexandro* VII. illa propositio: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* Et ab *Innocentio* XI haec altera. *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Dices. Ecclesia non judicat de occultis *Cap. Sicut* 2. *De Simon.* Ergo de iis praecipere non potest,

Dist,

R. *Dist. ant.* Non judicat in Tribunali externo, in quo crimen externis actionibus ac testibus probari debet, *conc.* Non judicat in Tribunali poenitentiae, in quo judicantur etiam peccata, quae penitus interna, et hominibus prorsus occulta sunt, *neg.* Ex eo igitur quod Ecclesia, et quicumque legislator crimen internum in foro externo judicare, et plectere nequit, non sequitur, nihil posse de internis praecipere, cum non desit Deus vindex violationis etiam legum humanorum.

Scholion.

Utrum autem internos actus directe praecipere possit Ecclesia disputatum est inter Theologos. Benedictus quidem XIV. *Lib.* IX. *De Synodo cap.* 4. communem esse ait inter Theologos sententiam negantem. Sed non desunt etiam inter *Probabilistas*, qui affirmant, ex generali illa sententia Christi Domini *Matt.* XVIII. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo.* (a)

(a) V. Pighium. *de Hierarch. Eccles.* Sylvium *in* 2. 2. *Q. CIV. Collet. Tom.* I. *Tract. de Legib.*

CAP. XIV.

De iis, qui legibus humanis subjecti sunt.

Adv. Quoniam lex est ordinatio rationis ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata, perspicuum est, eos esse legibus humanis subjectos, qui ad eam communitatem aliquo modo pertinent, cui legislator praeest; modo adulti sint. Ex hoc autem evidenti principio facile solvuntur variae, quae hac de re solent agitari, quaestiones.

Q. I. *Utrum infideles Ecclesiasticis legibus subjecti sint.*

℟. Non esse subjectos, quia ad eam communitatem non pertinent, cui praesunt Ecclesiae pastores. Hinc Apostolus *I. Cor. V.* 12. *Quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt, judicare?* Quapropter neque peccant, neque censuris, ac poenis Ecclesiasticis obnoxii sunt infideles, ea tantum ratione, quia Ecclesiae praecepta non servant, licet alias peccent, quia se Ecclesiae non adjungunt, nisi infidelitas sit *negativa.*

Q. II. *Utrum haeretici, ac Schismatici legibus Ecclesiae sint subjecti.*

℟. Subjectos esse, quia jam per Baptismum Ecclesiae subditi sunt, quamvis ab ea per haeresim, aut schisma desciverint.

(* Q. III. *Utrum infantes, perpetuo amentes, ac furiosi, ebrii legibus teneantur.*

℟. Quoad infantes explorata res est, eos humanis legibus non teneri; imo nec naturalibus, cum rationis impotes sint. Sed de perpetuo amentibus, ac furiosis licet constet, eos non peccare si leges non servent, cum ab infantibus non differant; quaestio tamen est, utrum absolute dici possit, eos non esse legibus subjectos, ideoque liceat illis praebere carnes *ex gr.* diebus vetitis manducandas. Hoc tamen certum est, nunquam licere infantes, amentes, furiosos incitare ad aliquid agendum, quod sit vetitum lege naturae; hoc enim idem esset, ac uti illis veluti instrumentis ad actio-

actiones, quae intrinsecus ac natura sua malae, ac deformes sunt. Denique ebrios, ac brevi tempore delirantes legibus esse subjectos constat; ebrios quidem quia voluntarie se in eum rationis defectum conjecerunt; brevi vero delirantes, quia non sunt habitu rationis impotes, licet eo tempore, quo delirant, nullo modo peccent nisi forte ex voluntaria causa delirium oriatur. Porro infantes, anno saltem septimo completo, qua circiter aetate rationis usus solet incipere, iis tenentur legibus, quae eorum aetati congruunt, ut audiendi Missam, abstinendi a carnibus etc. *).

IV. *Utrum ipse legibus suis sit subjectus legislator.*

℟. Cum legislator pars sit communitatis, turpis autem sit pars, quae toti non est congruens; cumque exemplum principis ceteros ad servandas leges maxime moveat; aequum est, ut legislator servet legem, quam ipse tulerit, si ea ejusmodi sit ut omnes omnino communitatis partes comprehendat. Hinc preclare ait Imperator *L. 4. C. De legib Digna vox majestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri.* Si vero aliquas spectet communitatis partes, vel subditorum officia erga principem praescribat, tunc ab ea princeps immunis erit. Ceterum poenis a lege latis non est subjectus princeps, cum superiorem in civitate non habeat, a quo damnari possit. Unde ajunt Scholastici, principem teneri generalibus communitatis legibus quoad vim *directivam*, non quoad vim *coactivam*, et ita conciliant veterum sententias, quae sibi invicem videntur adversari. Ceterum haec de regimine mere Monarchico intelligenda sunt, non mixto

Q. V. *An peregrini, advenae, vagi legibus locorum in quibus versantur, subjecti sint.*

℟. Peregrini sunt, qui a patria sua ad tempus egressi brevi alibi morantur, mox in patriam redituri. Advenae sunt, qui e patria egressi alibi sedem, ac domicilium fixerunt. Denique vagus est, qui sedem nullo in loco fixam habet. Leges autem vel personas *immediate* afficiunt, vel *immediate* regionem, sive *territorium*; *mediate* vero personas in eo commorantes.

His igitur explicatis, certum est, leges, quae personas afficiunt, eas sequi quocunque perrexerint. Si quis in sua dioecesi censura excommunicationis, suspensionis, interdicti ligatus est; ea manet irretitus ubicumque versetur, donec absolutus fuerit. At leges, quae regionem ipsam, sive *territorium* afficiunt, eos omnes, et solos obligant, qui in eo versantur, sive advenae sint, sive peregrini, sive vagi. Id enim ad tranquillitatem, ordinem, ac pacem politici regiminis necessarium est. Quapropter qui ex regione illa sine fraude recedit, ejus legibus non tenetur. Nam *extra territorium jus dicenti impune non paretur Cap. Ut animarum De Constit. in* 6. Sine fraude, inquam; nam qui de industria a regione recedit, ut leges cludat, huic sua *fraus patrocinari non debet. Cap. Ex tenore de Rescript.* Qui vero in regionem venit, ubi lex aliqua viget sive municipalis, sive communis, a qua tamen ille in patria sua ex consuetudine, aliave causa immunis erat, legi ipsi subjectus est. Unde Ambrosius apud Augustinum *Epist.* LIV. *al.* CXVIII. *Cum Romam venio. Sabatum jejuno, cum Mediolani sum, non jejuno. Sic et tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva.* At si una, eademque die a regione, ubi lex viget *ex. gr.* jejunii, vel festi observandi, ad aliam, ubi non viget, proficiscatur, tunc solum tenetur servare legem, cum tantam facit moram eo in loco, ubi lex viget, quanta sufficit ad legem servandam. Non tamen tenetur susceptum iter intercipere, ut diutius in loco moretur ad servandam legem. Haec apud graviores Theologos recepta sunt. Non enim eos moramur, qui advenas, peregrinos, vagos nullis legibus teneri comminiscuntur.

Q. VI. *Utrum Clerici legibus civilibus teneantur.*

℞. Cum Clerici partes sint civitatis, ejusque commodis fruantur, aequum est, eos legibus teneri, quibus civitas ipsa continetur, ac regitur, salvis tamen eorum privilegiis, Apostolus enim *Rom.* XIII. 1. nemine excepto, ait. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, hoc est, inquit, Theodoretus, *sive est Sacerdos aliquis, sive Antistes, sive monasticam vi-*

vitam professus, iis debet parere, quibus mandati sunt principatus. Salvis tamen, inquam, *eorum privilegiis*. Nam ipsi civiles Principes ratione, pietate, ac Religione suffragante, in multis Clerum voluerunt esse immunem; idque etiam Ecclesiae canones sanxerunt. Atque eo sensu Concilium Tridentinum *Sess.* XXV. *De Ref. Cap.* 20. *Immunitas*, inquit, *Ecclesiae, et personarum Ecclesiasticarum Dei ordinatione canonicis sanctionibus constituta est.* Haec autem immunitas varia pro variis locis est, ideoque suae unusquisque patriae consuetudines consulere ac sequi debet.

(* Q. III. *Utrum* Regulares *ab Episcoporum legibus, ac jurisdictione exemti sint, in quorum dioecesi merantur.*

℟. Olim omnino Episcopis subjecti erant, ut ex Concilio Chalcedonensi patet. Deinde paulatim quidam ab Episcoporum jurisdictione subducti Romanae sedi *immediate* subjecti esse coeperunt, qua in re nonnullorum ambitionem, atque abusum *S. Bernardus* valde reprehendit. Mox in tantum aucta eorum privilegia fuerunt, ut omnes ab Episcoporum legibus, ac jurisdictione omnino exemti sint. Denique a Concilio Tridentino et a R. deinceps Pontificibus privilegia illa, atque exemtiones redactae sunt ad aequiorem modum. Sancitum enim est, ut Regulares, salvis eorum privilegiis, Episcopo, in cujus dioecesi versantur, tamquam Apostolicae sedis delegato multis in rebus subjecti essent, ab eoque etiam coërceri, et puniri possent. Quae quidem quoniam longiorem disputationem requirunt, a *Canonistis*, ad quos peculiarius pertinent accipienda sunt. Generatim tamen Episcopis obtemperare debent quoad praedicationem, Missae sacrificium, S. Eucharistiae cultum, nec non quae ad censuras, interdicta festosve dies publice indictos. Vide Benedictum XIV. *Lib. VII. de Syn. cap.* 12.

Ca-

CAP XV.

Utrum humanae leges ut valeant, a consensu, sive ab acceptatione communitatis pendeant.

Adv. I. Magna est haec quaestio etiam inter Theologos agitata, utrum humana lex (uam de naturali, aut divina dubitatio esse non potest) ab *acceptatione* communitatis pendeat, ut valere, atque obbligare possit.

II. Et in regimine quidem populari, a consensu populi pendere legem, vel eorum, quibus suffragia ferendi potestatem populus commisit, perspicuum est. Item in Aristocratico regimine, vel etiam in Monarchico, si Aristocratia mixtum est, ut in Imperio olim Germanico, consensum optimatum ad valorem legis esse necessarium, quivis facile potest intelligere. Quamobrem de solo regimine pure Monarchico quaestio est.

III. Gregorius Valentia *Dips.* VII. *Dub.* 5. *p.* 5. affirmantem sententiam sequitur, quam non recte dicit esse inter Theologos, ac Jurisconsultos communem. Contra Vasquez *Disp.* CLVI. *Cap.* 5. Suarez *Lib.* III. *De Leg. Cap.* 19 aliique passim Theologi negant, a populi acceptatione pendere legem, sive ea civilis sit, sive Ecclesiastica. Alii distinguunt inter politicas, et Ecclesiasticas leges: et illas quidem non pendere volunt a consensu populi, has vero utpote mansuetudinis spiritu dictatas, ac temperatas, requirere ajunt consensum majoris, ac sanioris partis fidelium. Quam sententiam post *Cabassutium* tuetur *Jueninus.*

PRO-

PROPOSITIO.

In regimine pure monarchico lex ut obliget, a consensu, sive acceptatione communitatis non pendet. Æquum tamen est, ut Legislator eam legem, quae a majori, ac saniori communitatis parte respuitur, vel corrigat, vel temperet, vel abroget.

Prob. 1a. *pars.* I. Iis, qui Principi ac legislatori subjecti sunt, nihil aliud, nisi obedientiam sacrae litterae commendant. *Heb.* XIII. 17. *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis* Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit etc.* Sed hoc non omnino constaret, si lex a subditorum consensu, atque acceptatione penderet; unde damnata est ab *Alexandro* VII. illa propositio: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Ergo.

Prob. II. *ratione.* 1°. Si lex a communitatis consensu penderet, rectius in populo, quam in principe potestas ferendarum legum esse diceretur. Princeps enim proponeret tantum leges, ut olim magistratus apud Romanos; quae quidem, nisi populi consensu firmarentur, leges non essent.

2°. In populari, sive democratico regimine, quod placuit iis, qui suffragii ferendi jus habent, non pendent a reliquae communitatis consensu, ut vim, ac robur obligandi habere censeatur; quia scilicet populus in eos condendarum legum transtulit potestatem, sibique tantum obsequendi legibus gloriam reliquit. Ergo etiam in Monarchico regimine, in quo vel expresse ipse populus, vel tacito consensu potestatem transtulit ad unum, vel ipse Deus id instituit; quod principi placuit, legis habet vigorem.

3°. Haec duo, ut supra diximus, sibi mutuo respondent, nec ab invicem divelli possunt, praecipiendi potestas, et necessitas obediendi. Si ergo in principe pra-

praecipiendi potestas est, in subditis est obediendi necessitas, et ipsam legem acceptandi, nec ab eorum consensu pendere legem putandum est.

Prob. 2a. *pars.* Lex debet esse justa, atque ad commune bonum ordinata. At cum major, saniorque communitatis pars legem improbat, ac respuit, clarum est, legem communitati non esse utilem, ut legislator existimabat. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. In *Can. In istis* Dist. 4. habetur apud Gratianum: *Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Quod et docet *JCtus in L.* 32. *ff. de Legib. Ipsae leges non alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt.* Ergo.

Neg cons. Gratianus enim non ait, tunc leges ligandi vim habere, cum moribus approbantur. Imo potius contrarium asserit in eodem Canone: *Leges*, inquit, *instituuntur, cum promulgantur. Firmantur vero*, hoc est stabiles redduntur, *cum moribus etiam populi probantur*, alioquin contraria consuetudine abrogarentur. Idque etiam significat *JCtus*, nisi dicere mavis à *Triboniano* sine delectu infertas fuisse *Pandectis* eorum JCtorum sententias, qui secundum R. reipublicae, non secundum monarchiae principia scripserunt.

Inst. 1.° Potest communitas contraria consuetudine legem latam abrogare; ergo nonnisi ex ejus consensu legis robur proficiscitur.

℟. *Dist ant.* Accedente consensu legislatoris vel tacito, vel expresso, *conc.* Secus, *neg.* Non ergo ex consuetudine populi proprie, sed ex ipso legislatoris saltem tacito consensu abrogata lex censetur esse.

Inst. 2.° Lex inutilis, aut perniciosa communitati, non est lex, ut ex ipsa patet definitione legis. Atqui cum major, et sanior communitatis pars legi contradicit, lex ipsa inutilis, ac perniciosa est. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Lex inutilis, aut perniciosa non est lex,

lex, sed utrum talis sit judicare non ad populum, sed ad legislatorem pertinet, *conc.* Pertinet ad populum, *neg.* Fatemur quidem, ex contradictione sanioris populi partis debere principem rem considerare maturius, et legem ipsam, si opus sit, aut temperare, aut antiquare; sed tunc non populi contradictio legem infirmat, sed ipse princeps ex contradictione populi admonitus.

Inst. 3.° Quid communitati sit utile, quid noxium, melius judicat populus, aut sanior ejus pars, quam princeps. Ergo ad populum djiudicare spectat, utrum utilis lex futura sit, an potius perniciosa.

℟. *Neg. ant.* Cum enim monarchicum est regimen, de quo hic dumtaxat disputamus, signum est, eam esse communitatis dispositionem, ac mores, ut si ejus arbitrio bonum publicum committeretur, propter varias, atque contrarias civium opiniones nihil boni in Republica fieri posset; ideoque satius visum est, ut potestas omnis uni committeretur; qui cum legem jubet, putandum est, consuluisse prius sapientes homines, ac peritos; ideoque *praesumtio stat pro lege*, ut ajunt; nisi contrarium longa cousuetudine declaretur, ut infra de consuetudine dicemus; ideoque primi, qui legem infrignunt, et contemnunt ut noxiam, peccant.

C A P. XVI.

De legum humanarum divisione.

Adv. Lex humana sive Ecclesiastica ea sit, sive civilis, dividitur 1.° in scriptam, et non scriptam, quae et consuetudo dicitur. Scripta lex est, quae principio a Legislatore scripto promulgata est. *Non scripta* vero, seu consuetudo est, quae principio moribus est inducta, licet posteaquam firmata est, ad lites praecavendas scripto consignetur. 2.° In legem mere poenalem, et poenalem mixtam. 3.° in prohibentem, et irritantem. De his igitur est quaestio triplex. 1.° Utrum consuetudo vim legis habeat. 2.° Utrum lex poenalis reos faciat culpae, an poenae dumtaxat subeundae. 3.° Utrum omne, quod lege prohibetur, sit etiam irritum.

PROPOSITIO I.

Consuetudo legitime inducta, atque firmata vim legis habet, ita ut prioribus etiam legibus deroget, et abroget.

Prob. I. Consuetudo tunc censetur legitime inducta, atque firmata, cum tres conditiones habet. 1.° ut sit rationabilis. 2.° ut longo tempore servata sit a subditis, nempe a majori, ac saniori parte communitatis, ex animo sese obligandi. 3.° ut tacitus accedat legislatoris consensus. Cum autem tres istae conditiones aut simul, aut ex parte deficiunt, non consuetudo, sed morum corruptela existimanda est. Atqui cum haec tria adsunt, nihil deest consuetudini, ut vim legis obtineat non solum ad novam legem constituendam quae consuetudo dicitur *praeter legem*, sed etiam ad priorem abrogandam quae consuetudo *contra legem* appellatur. Quid enim aliud est lex, nisi ordinatio rationis ab eo, qui curam habet communitatis promulgata? Cum ergo legislator tacite assentitur publicae observationi rationabilis consuetudinis, veram illa habet legis rationem. Tacite autem assentiri existimatur, cum sciens consuetudinem non ei contradicit, cum facile possit, vel cum longo tempore consuetudo firmata est, quo tempore fieri non poterat, ut eam ipse ignoraret, aut non contradiceret, si improbaret.

Prob. II. Ipsae leges tum Ecclesiasticae, tum Civiles consuetudini vim legis attribuunt. Ecclesiasticae quidem, uti constat ex toto Titulo Decretalium *De Consuetudine*: civiles vero, ut habetur sub Titulo Codicis *Quae sit longa consuetudo*, et *Leg.* 32. et 33. *ff. De Legibus*. Ergo ex ipsis legibus consuetudo vim legis habet, ut priores etiam leges abroget; » *Rectissime illud receptum est, ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur Leg.* 32 *ff. De Legib.* Hinc merito hac in re Theologi omnes, ac Jurisconsulti consentiunt.

Q

Q. *Quodnam censeatur longum tempus ad consuetudinem inducendam sufficiens.*

℟. In jure saltem canonico non est id expresse definitum, cum semper generales occurrant in legibus voces *usus longaevi*, aut *longae consuetudinis*. Hinc variae tum Theologorum, tum Jurisprudentum opiniones. Verisimilius est, idem tempus requiri, quod ad bonorum usucapionem, ac praescriptionem. Quapropter leges quidem civiles per decem annorum contrariam consuetudinem abrogantur, cum anni decem in jure civili longum tempus esse censeantur. Leges vero ecclesiasticas nonnulli volunt, nonnisi quadraginta annorum contrario usu abrogari, cum tantum temporis spatium ad praescribenda Ecclesiae bona requiratur. Sed verisimilius alii docent, idem decem annorum spatium ad leges etiam canonicas abrogandas sufficere. Jus enim canonicum nonnisi *longum tempus* requirit. Longum autem tempus in jure existimatur decennium, nisi longius spatium expresse sit a lege canonica definitum, quod hac in re non accidit; cum nusquam Jus Canonicum ad inducendam consuetudinem spatium decennio majus postulare videatur. Vide Benedictum XIV. *De Synodo Dioeces. Lib. XIII. Cap.* 5.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Ut consuetudo vim legis haberet, et priorem abrogaret legem, deberet esse, ut a nobis ponitur, rationabilis. Atqui nulla consuetudo contra legem rationalis esse potest. Lex enim, si vere est lex, est ordinatio rationis in bonum commune; ergo quidquid fit contra illam, est contra ordinem rationis. Ergo

℟. *Neg. min.* Quamvis enim lex cum primum lata est, rationabilis esse debuerit; fieri tamen potest, ut mutatis rerum circumstantiis, rationabile sit illam mutari.

Inst. Si mutatis circumstantiis, rationabile sit mutari legem; tunc lex ipsa rationabilis esse desinit; ac proinde cessat ipsa per se, non a consuetudine abrogatur. Ergo.

℟.

℟. *Neg. ant.* Licet enim mutatae sint rerum circumstantiae, tamen ne summa fiat in societate perturbatio, si uniuscujusque arbitrio permittatur judicare, utrum leges rationabiles esse pergant, aut desinant; aequum est, et rationabile, ut lex servetur, donec vel alia lege, vel contraria consuetudine abrogetur Quapropter licet, immutatis rerum circumstantiis, aequum sit mutari legem; primi tamen, qui illam infringunt, contra rationem agunt, et peccant; alii vero etiam ante tempus legitimum, cum possunt de tacito legislatoris adsensu facere conjecturam, a culpa immunes sunt.

Objic. II. Consuetudo contra legem nullius roboris esse declaratur tum canonico, tum civili jure. Canonico quidem, nam habetur *Cap.* 3. *De consuetud. Consuetudo, quae canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.* Civili vero, nam expresse scriptum est in *L.* 2. *Cod. Quae sit longa consuet. Consuetudinis, ususque longaevi non levis est auctoritas, non tanti tamen suo valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.* Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Legenti enim laudatos Canones, legesque civiles constat, ibi agi de consuetudine, quae contra rationem est, ac rectum ordinem, et cui Legislator contradicit, ideoque non tam consuetudo, quam corruptela putanda est. Vide ista fusius apud Gonzalez *Comment. in Tit. Decretal. de consuetudine.*

Corollaria.

I. Quoniam nihil contra legem naturae, aut Evangelii potest esse rationabile; hinc sequitur, legem naturalem, aut Evangelicam nulla posse consuetudine infirmari. Frustra igitur consuetudinis obtentu se tuentur, qui in rebus ad legem naturalem, aut Evangelicam pertinentibus, exemplum multitudinis, aut usus diuturnitatem opponunt: qui quidem usus tanto pejor est, ac turpior, quanto diuturnior, *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animum detinent alligatum: nemo sanae mentis intelligit, naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit,*

eit, *quacumque consuetudine*, *quae dicenda est verius in hac parte corruptela*, *posse aliquatenus derogari*, inquit Gregorius IX. *Cap.* 11. *de Consuet.*
II. *Cum adhuc manet ratio*, *propter quam prima lex utilis erat*, inquit S. Thomas 1a. 2ae. *Q.* XCVII. *art.* 3. *non consuetudo legem*, *sed lex consuetudinem vincit. Nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur*, *quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriae*, *quae erat una de conditionibus legis*; *difficile enim est consuetudinem multitudinis removere.*

PROPOSITIO II.

Lex sive mere poenalis, *sive mixta*, *violatores non solum poenae*, *sed etiam culpae reos facit.*

Prob. 1a. *pars.* Lex mere poenalis est, quae nullo expresse imposito praecepto, poenam minatur eis, qui aliquid faciunt, *ex. gr.* Quicumque arma detulerit, in exilium pellatur. Atqui hujusmodi lex non solum poenae, sad etiam culpae reos facit. Poena enim nonnisi culpam sequitur.* *Omnis poena si justa est*, *peccati poena est*, inquit Augustinus *Lib. I. Retract. Cap.* 9. Ergo etc. Hinc si quando legislator expresse significet, nolle se ad culpam obligare, et veluti subditorum arbitrio relinquat; ut utrumlibet eligant, aut aliquid facere, aut aliquid poenae nomine solvere (quod nescio an umquam contingat; nisi forte in aliquibus *Regularium* constitutionibus, ut testatur S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* CLXXXIX. *art.* 9.) tunc non veram censetur ferre legem, sed regulam quandam dirigentem, et a subditorum pendentem voluntate.

Prob. 2a. *pars.* 1°. Lex poenalis mixta est, quae utrumque continet, praeceptum scilicet, et poenam in praecepti violatores. Atqui ea lex non solum poenae reos facit, sed etiam culpae. Poena enim adjecta est non ad minuendam, sed ad augendam, ac firmandam legis vim, ac potestatem; unde Apostolus ait *Rom.* XIII. 5. *Necessitate subditi estote*, *non solum propter iram*, *sed etiam propter conscientiam.* Ergo etc. 2°. Si lex nulla poena sancita esset, ipsa per se obligaret,

ut supra ostendimus. Absurdum ergo est, ut adiecta poena, vim suam amittat.

Dices Non est putandum, legislatores praeter poenam temporalem, quam in lege minantur, velle etiam subditos aeterna poena plecti, si legem violaverint; hoc enim contra praeceptum charitatis est, quae ita omnibus legibus antecellit, ut si quid contra eam praecipiatur; non sit vera lex, utpote irrationabile; et injustum. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non est putandum, legislatores id velle directe, *conc. Indirecte*, quatenus necessario connexum est cum obligatione, quam leges natura sua imponunt ex ipsa aeterna lege Dei, *neg.* Putandum itaque est, legislatorem velle totam illam obligandi vim legibus inesse, quam natura sua habent. Quod autem ex hac obligatione sequatur aeterna poena, id oritur ex lege aeterna Dei, cujus legislator minister est. Nollet quidem ille, subditos aeterna poena plecti, et ad hanc etiam avertendam perniciem, minatur temporalem poenam; quod quis non videt charitati esse maximè conveniens?

Inst. Idem delictum bis puniri non debet; id enim ipsi aeternae legi adversum est. Non est igitur existimandum, aut Deum directe, aut hominem *indirecte* velle, unam eamdemque legis violationem temporali, et aeterna poena castigari.

℟. *Dist. ant.* Idem delictum bis puniri non debet ab eodem legislatore, eadem lege, poena ejusdem generis, *conc.* Secus, *neg.* Cum igitur violatio humanae legis duas simul infringat leges, temporalem, et aeternam, mirum non est si duabus poenis plectatur: cum praesertim si subditus temporalem poenam patienter ferat, et peccatum detestetur, aeternam poenam possit evadere.

Ge-

Corollaria.

I. Falsa ergo est sententia quorumdam recentiorum; (a) qui volunt, eo tantum ex capite peccare legum poenalium violatores, quod se objiciant periculo poenae gravis subeundae; puta carceris, exilii, triremis, bonorum publicationis etc. ita ut qui caute leges violaret, a culpa immunis esset, quo nihil dici potest publicae tranquillitati, et ordini repugnantius. (b)

II. Qui merces vetitas aut important, aut exportant, qui justa vectigalia, aut tributa non solvunt, qui in fluminibus piscantur, aut prata depascuntur, aut ligna caedunt contra leges poenales, ii non solum poenae, verum etiam culpae obnoxii sunt (c).

III. Cum poena sequatur culpam, ut supra diximus, qui a culpa excusatur ob ignorantiam, eum etiam a poena excusari aequum est. Item si excusatur saltem a gravi culpa, etiam a gravi poena excusatur, quae ut justa sit, culpae proportionalis esse debet. Quapropter si a judice damnetur, eo quod invincibilem ignorationem probare non potuit, poterit se poenae subducere, si sine scandalo fieri queat.

IV. Sed si quis legem non ignorans, ignoret tamen poenam, is sicut a culpa immunis non est, ita nec a poena immunis erit, (d) nisi sit censura Ecclesiastica, ad quam contumacia requiritur. Hinc si quid utraque lege prohibeatur, naturali, et humana, ut furtum, homicidium etc. qui legem naturalem non ignorans, ignoret tamen humanam, nihilominus poenae reus erit, exceptis tamen, ut paulo ante dixi, censuris Ecclesiasticis.

Scho-

(a) *P. Viva*, *Dianae etc.*
(b) *Salmanticenses*, *Ligorius etc.*
(c) Vide dicenda *Lib. XI. Cap.* II.
(d) *Laymannus*, *Ligorius* etc.

Scholion.

I. Lex poenalis aliquando ante judicis sententiam, aliquando nonnisi post sententiam ad poenam subeundam obligat. Quod tum ex verbis legis, tum ex ipsius poenae natura dijudicandum est. Verba quidem legis aliquando poenam *ipso facto* subeundam minantur, quae poena dicitur *latae sententiae*: aliquando poenam a judice infligendam statuunt, quae poena *ferendae sententiae* appellatur. Item poenae aliae sunt *negativae*, quae sine ulla rei actione cum bonis aliquibus privant, ut excommunicatio, suspensio, interdictum, privatio suffragii, testamenti etc. aliae positivae, quae aliquam rei actionem requirunt, ut beneficii jure adquisiti, ac possessi resignatio exilium, triremes, multae solutio etc. Si ergo poena in lege statuatur *ipso facto*, et mere *negativa* sit, ante judicis sententiam obligat. Si vero aut *ferendae* sententiae sit, aut *latae* quidem *sententiae*, sed quae sine ipsius rei actione executioni mandari non possit, cum nimis durum sit, ut reus ante judicis sententiam a seipso poenam patrati criminis reposcat, nonnisi post judicis sententiam ligat; nisi aut levissima poena sit, ut aliquarum precum recitatio, jejunium etc. aut aliud expressius in lege sit cautum. Quod quidem judicium, si poena erat *latae sententiae*, est tantum, ut ajunt, *declaratorium*, et retro ad tempus admissi criminis trahitur. Haec generatim dicta, si rite teneantur, facile ad singulares species aptari possunt.

II. Ceterum post judicis sententiam poenam luere reus debet, non expectata executione ministrorum justitiae, *ex. gr.* in exilium proficisci, jejunare etc. Nisi poena ejus sit generis, quam sine feritate ipse sibi infligere non potest, ut mors, mutilatio, et quae sunt ejusdem generis; quas tantum a ministris pati debet, sibi infligere sine peccato non potest, quamvis id judex praeciperet. Hoc enim natura non patitur, ut contra *Lessium*, aliosque, communis Theologorum sententia est.

PRO.

PROPOSITIO III.

Non omnis actus lege prohibitus censendus est irritus, sed ille tantum, quem lex vel explicite, vel implicite irritum pronunciat.

Prob. 1a. *pars.* Ipsi legislatores non semper dum prohibent actum, eum si contra legem fiat, irritum esse volunt, ut patet ex *Cap. Ad Apostolicam de Regular,* ubi clare dicitur: *Multa fieri prohibentur, quae tamen facta tenent.* Ergo.

Prob. et explicatur 2a. *pars.* Lex *explicite* actum declarat irritum, cum ait: *sit ipso facto, ipso jure irritus, inanis, infectus, nullus.* Implicite vero irritum declarat actum, cum conditiones praescribit ad ejus valorem necessario servandas. Atqui illi actus tali modo a lege reprobati, irriti sunt; alioquin lex ipsa nullius esset roboris, quod absurdum est. Ergo.

Scholion.

I. Cum lex irritum decernit actum, non licet quidem eo uti tamquam rato; sed non semper lege tenemur, ut ab actu ipso abstineamus; *ex. gr.* ne testamentum faciamus minus sollemne: ne paternae hereditati renunciemus in caussis, quibus irrita renunciatio illa declaratur, et quae ejusdem sunt generis: sed tantum cum lex simul actum prohibet, eumque, si fiat, irritum esse jubet, nisi jam ille alia lege, naturali scilicet, aut divina erat prohibitus, aut inhonestus.

II. Cum lex aliquid declarat irritum in poenam alicujus culpae; ubi culpa non est, ibi ut plurimum actus irritus non est. Sic qui beneficium possidet Ecclesiasticum, si naturali oblivione, sine culpa, canonicas horas omittat, beneficii fructus suos facit.

III. Ceterum cum quis scit, actum esse prohibitum, licet sine culpa ignoret esse irritum, irritus nihilominus erit actus. Sic beneficiarius, qui ignorat, irritam esse fructuum perceptionem, si horarum canonicarum

recitatio omittatur, nihilominus eas recitare amittens fructus suos non facit.

IV. Item si lex irritum declarat actum, non in culpae poenam, sed in commune bonum, irritus semper erit actus, etsi sine culpa fiat: ut professio religionis ante aetatem legitimam, matrimonium clandestinum, filiorum familias contractus contra Macedonianum Senatus consultum etc. (a)

V. Cum autem lex irritum actum facit, omnia etiam irrita judicanda sunt, quae ex actu ipso consequuntur; ideoque nullum inde emolumentum percipi jure potest.

C A P. XVII.

De Privilegiis.

Privilegium est *privata lex, qua speciale aliquod beneficium contra, vel praeter jus commune alicui justa de causa a Principe conceditur.* Dicitur quidem 1.° privata lex, non quatenus ad eum refertur, cui conceditur privilegium, sed quatenus refertur ad communitatem, quae jubetur privilegii usum privato concessum non impedire. Idque etiam ad commune bonum redundat; interest enim Reipublicae, ut qui de illa benemeriti sunt, speciali aliquo favore augeantur. Dicitur 2.° *contra, vel praeter jus commune*, quia duplex est privilegiorum species, alia enim sunt contra communem civitatis legem; ut immunitas a tributis; alia non communibus legibus adversantur; sed aliquid amplius concedunt, ut nonnulla Principis beneficia, quae in aliorum incommodum, aut detrimentum non cedunt; item potestas absolvendi, dispensandi, etc. Dicitur 3.° *justa de causa*, alioquin vere legis nomen non mereretur. Dicitur 4.° *a principe concessum*, quia cum privilegium privata lex sit, ab eo solum concedi potest, qui praeest communitati, legesque jubere po-

(a) Vide dicenda in *Lib. X. Cap. II.* § 3.

potest. Ideoque nomine principis non solos civiles, verum etiam Ecclesiasticos, eosque supremos legislatores intelligimus.

II. Privilegia autem vel contra, vel praeter jus commune rursus duplicis generis sunt, *realia*, et *personalia*. Realia rei ipsi, puta loco, Ecclesiae, dignitati etc conceduntur, ideoque tamdiu perdurant, et ad heredes, aut successores transeunt, quamdiu res ipsa manet; nisi posteriori lege abrogentur. *Personalia* personae ipsi adhaerent, et cum ea extiguuntur.

III. Porro quatuor modis amitti privilegia possunt; 1.° Morte, non concedentis, (a) sed ejus, cui est concessum, si privilegium *personale* sit *Cap.* 7. *De reg. Jur. in* 6. vel interim ipsius rei, si sit *reale*, vel espressa revocatione concedentis, ejusve successoris. Quae tamen vel in remunerationem egregii operis, vel cum pacto, et onere adjecto, ac praestito, concessa privilegia sunt, ea revocari, nisi ob publicam caussam, et cum ablati juris compensatione, non possunt. 2.° Lapsu temporis in privilegio definiti, vel cessante causa. 3.° Libera renunciatione, *praesumitur* autem renunciasse privilegio, qui vel eo uti neglexit tempore, quod ad legitimam prescriptionem sufficit, vel actus facit privilegio contrarios (*b*). 4.° Abusu; *Privilegium* enim *meretur amittere*, *qui permissa sibi abutitur libertate Cap. XXIV. De privilegiis.* Judicis tamen sententia requiritur.

IV. Inter privilegia, quae contra jus commune, et ea, quae praeter jus commune conceduntur, illud interest, quod priora, utpote odiosa, et vulnera quaedam legis, strictioris juris, et interpretationis esse debent, praesertim si in aliquod alterius detrimentum cedaut, posteriora vero latius accipi, et quantum fieri potest, ampliari debent juxta generalem illam juris regulam, *Odia restringi, favores convenit ampliare.* Illud

(a) Nisi forte concessum sit cum ea clausola *ad nostrum beneplacitum.*

(b) Adverte tamen, tunc privilegium praescriptione amitti, cum alios gravat.

lud tamen certum est ex *Cap.* 81. *De reg. Jur.* in 6.° quod *In generali concessione non veniunt quae quis non esset in specie verisimiliter concessurus*; ideoque privilegia quaedam specialem rei explicationem requirunt, nec in generalibus concessa intelliguntur.

CAP. XVIII.

De legis cessatione.

I. Cessat, sive desinit obligare lex vel generatim communitatem totam, vel aliquem privatum. Generatim respectu totius communitatis cessat lex vel ipsa per se; cum scilicet mutatis temporibus, vel injusta, vel inutilis evasit, aut cum respectu totius communitatis tota ratio, ac finis legis omnino cessavit: vel per abrogationem, aut desuetudinem. Per abrogationem quidem aboletur lex, cum ab ipso Legislatore, vel ejus superiore, aut successore promulgatur veteris legis abolitio. Cujus enim est legem condere, ejusdem est, vel ejus superioris, aut successoris eam abrogare, justa tamen, et rationabili causa, quae praeponderet tum rationi, qua lata est lex, tum incommodis, quae ex legum mutatione oriri solent. Porro legislator abrogare etiam legem censetur per novam legem, quae cum priori servari nequit. Sed si lex illa specialis, aut municipalis erat, non censetur per novam legem abrogata, nisi legislator de ea mentionem faciat, saltem per generalem abrogationis clausulam; quod et de revocatione privilegiorum et canonum Concilii generalis intelligendum est. Si autem non tota lex aboleatur, sed aliqua ejus pars; non abrogatio, sed *derogatio* dicitur. Per desuetudinem vero cessat lex, cum ab ipsa communitate, sive majori, ac saniori ejus parte moribus non servatur, legislatore per tempus legitimum tolerante. Sicut enim moribus populi induci consuetudo potest contra legem, sic et legis ipsius desuetudo.

II. At respectu privatorum cessat lex per dispensationem, et *epiikiam*, de quibus hic dicendum est. Di-

Dispensatio est legis ab eo, qui legitimam potestatem habet, justa de causa, facta relaxatio in aliqua singulari circumstantia, in qua lex alioquin obligaret (*a*). Duo igitur ad dispensationem necessaria sunt, potestas, et causa.

III. Potestatem dispensandi in lege humana ille habet, qui legem tulit, vel ejus superior, aut successor; aut delegatus. In lege autem superioris nemo inferior jure suo dispensare potest. Si quando enim aut Pontifex in lege divina, aut Episcopus in lege Pontificia dispensat; id saepe proprie dispensatio non est; sed legis interpretatio: cum autem vera fit dispensatio, tunc agit inferior, ut delegatus a Christo, vel Ecclesia, vel Pontifice.

IV. Hinc dispensandi potestas alia *ordinaria* est, alia *delegata*. Prior est, quae alicui ex sui ipsius muneris ratione inest; altera, quae alicui ab eo qui ordinariam habet potestatem conceditur. Ordinariam dispensandi facultatem in civilibus quidem legibus princeps habet: in omnibus vero ecclesiasticis legibus etiam iis, quae ab Apostolis, tamquam Ecclesiae pastoribus positae sunt, Romanus Pontifex, Archiepiscopi, et Episcopi in canonibus Concilii generalis, nationalis, provincialis, et in S. Pontificis constitutionibus ordinariam dispensandi potestatem non habent, sed in aliquibus caussis delegatam; cum scilicet vel a S. Pontifice, sive a Concilio haec ipsis facultas commissa est, vel aliquod urgens negotium occurrit, in quo propter grave detrimentum, aut scandalum, necessario dispensandum est, nec ad Pontificem ullo pacto, vel sine magna difficultate accedi potest. Addit etiam *Antonius* (*b*) aliique Theologi, cum dubitatur, an res dispensatione revera indigeat: quae sententia quamvis aliis non arrideat, verisimilior videtur. Item cum ex.

(a) Qua in re dispensatio a privilegio differt; quod est permanens facultas aliquid contra legem, vel *praeter* legem agendi.

(b) *Antoine*.

ex consuetudine inductum est, ut Episcopi dispensare possint; cumque agitur de rebus levioribus, quae frequentius occurrunt, vel de lege ad unam dumtaxat provinciam, vel dioecesim pertinente. Denique advertendum est, non habere Archiepiscopos in canonibus Episcoporum suae provinciae ordinariam dispensandi potestatem.

V. Sed de delegata dispensandi potestate duo quaeri solent unum est utrum delegata potestas morte, vel abdicatione concedentis finiatur, sive expiret: alterum utrum delegatus delegare possit. Quod igitur ad primum attinet, si delegatio certam aliquam respiciat vel causam, vel personam morte vel abdicatione concedentis, si res adhuc integra est, nec inceptum negotium fuerit, finitur; ut ex *Cap. Relatum*: *De offic. delegari*, et *Cap. Sicut*: *De praebend. in* 6.° recte colligitur. Si vero non ad certam aliquam causam, vel personam data sit, sed veluti munus ipsius delegati gratia concessum, adhuc manet *Cap. Si tibi absenti*: *De praeb. in* 6.° Quod vero ad alterum, generalis quidem regula juris est: *Delegatus subdelegare non potest*; sed si vel ipse ordinarius delegandi etiam potestatem fecerit vel delegatus quis fuerit a S. Pontifice, delegare alterum poterit *Cap. ult. De offic. Deleg.* Idem dicas, si delegatio sit ab ipso jure in perpetuum dignitati vel officio concessa; ea enim ordinariae potestati aequiparatur.

VI. Quamvis autem non solum expressa, sed etiam tacita dispensatio esse possit, ut si Superior sciens legem, et causam id concedat, quod sine legis dispensatione concedere non posset; non tamen tacita dispensatio Superioris est, cum videns, legem a subditis violari non contradicit. Potest enim hoc vel metu mali gravioris, vel sui muneris negligentia facere. Neque vero quemquam juvat dispensatio futura, aut quam vocat *interpretativam*, quam scilicet concederet Superior si id ab eo peteretur, sed revera non concessit (*a*). *)

Porro

(a) *Suarez* etc.

VII. Porro si legislator alios a lege dispensare potest, poterit etiam dispensare seipsum, modo justa sit causa; qua tamen in re facile ex inordinato sui ipsius amore peccari potest, ideoque consultius aget legislator, si alteri potestatem committat, ut ipsum, si justa causa esse videatur, dispenset; vel saltem viri prudentis in eo negotio consilium requirat, ut post alios monet non severioris doctrinae auctor *Laymannus*.

VIII. Causa autem dispensandi talis esse debet, ut praevaleat bono, quod ex observatione legis in aliqua particulari specie sperari potest. Nimirum legislatores non omnes peculiares caussas praevidere, aut excipere debuerunt. Si quando igitur contingat, ut lex in aliqua particulari causa nimis dura videretur, ideoque noceret pótius, quam proficeret, ejus severitas relaxanda est; ut fecit Apostolus, partem satisfactionis incesto Corinthio remittens, ne abundantiori tristitia absorberetur *II. Cor. II.* 7. Ita ratiociaatur S, Thomas 1. 2. *Q. XCVII. art.* 4.

IX. Sed disputatur, utrum dispensatio sine justa causa licita sit, et rata. Qua quidem in controversia distinguendum est. Si enim dispensatio ab ipso legislatore, vel ejus superiore sine justa causa fiat, rata est, ex communi Theologorum sententia (*a*), paucis exceptis (*b*), sed illicita. Rata quidem, quia lex ex voluntate legislatoris obligat; cum ergo in aliqua peculiari causa voluntas legislatoris est, ut non obliget, quod per dispensationem significat, licet justa causa non sit, non tamen lex obligabit. Illicita vero, et quidem graviter, si gravis sit materia, ejusmodi dispensatio est. Nam legislator legum observationem urgere ex officio deberet. *Defensores divinorum canonum, et custodes sumus, non praevaricatores*, inquit Martinus I. *Epist.* V. Hinc Bernardus *Lib.* III. *De Consid. Cap,* 4. *Quid ergo, inquit, prohibeo dispensare? Non sum tam rudis, ut ignorem, positos* vos

(a) *Habert, Suarez*, etc.
(b) Scilicet *Covarruvias, Concina*, etc.

vos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; Utilitas, dico, communis, non propria: nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Idque repetit fusius in aureo opere *De praecepto, et dispensatione.*

X. Ex quo sequitur etiam, adversus justitiam, et charitatem peccare eum, qui sciens sine justa causa dispensationem petit, nec ea licite uti posse.

XI. Quod si dispensatio ab inferiore delegato fiat sine justa causa, illicita simul, atque irrita censenda est (a). Non enim censetur superior, ei potestatem fecisse sine justa causa dispensandi, quod ipse Superior sine peccato facere non potuisset. Quapropter omnis dispensatio in voto, aut juramento sine justa causa irrita est, et inanis, licet a summo Pontifice obtineatur; Pontifex enim legibus divinis inferior, non superior est (b). (* Idem dicas, si dispensationis quidem materia juris humani sit, sed quod a jure naturali proficiscitur *).

XII. Hinc sequitur, dispensationem *subreptitiam*, et *obreptitiam* illicitam esse, atque irritam; quando scilicet in supplici libello aut tacetur quod juxta leges exponi debuerat, quod dicitur subreptio, aut narratur falsum, quod *obreptio* vocatur. Atque id si fraudulenter fiat, semper illicita, atque irrita dispensatio est. Si vero sine culpa postulantis, tunc irritam dispensationem reddit, cum tale est quod tacetur, aut falso narratur, ut si superior rei veritatem cognovisset, dispensatio non fuisset concedenda *Cap. Super litteris. De Rescriptis*: (* praesertim si falsa sit ipsius dispensationis causa *finalis*; nam causa dumtaxat impellens, sive, ut ajunt, impulsiva sine culpa postulantis

---

(a) *Suarez, Sanchez*, etc.
(b) *Ligorius*, etc.

lantis falso proposita dispensationem irritam non facit. *)

XIII. Sequitur etiam ex dictis, ut si vel ante, vel post emissum dispensationis rescriptum, cum res adhuc integra est, cesset omnino dispensandi causa, dispensatio ipsa cesset, nec ea licite, imo nec *valide* in usum deduci possit, cum jure censeatur superior noluisse, sine justa causa legem infringi. Si autem dispensatio sit in materia individua; tunc postquam semel executioni dispensatio mandata est, et in usum deducta, revocari amplius, etiam cessante causa, non potest. At si dispensatio sit in materia dividua, ut si quis a jejunio *Quadragesimali* ob infirmitatem solutus sit; tunc etsi quis dispensatione uti coepit; tamen cessante caussa, sive infirmitate; dispensatio ipsa cessabit.

XIV. Ἐπιείκεια *Epiikia* est benigna quaedam legis interpretatio, cum caussa aliqua contingit, quae ob peculiares circumstantias merito judicatur a lege excipienda; licet eam legislator verbis non exceperit. Aequum enim est, ita mentem legislatoris interpretari, ut eam rem lege comprehendi noluerit; imo *non est dubium, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem L. Non est dubium C. De legib.* Tunc autem peculiares circumstantiae epiikiam suadent, cum ejusmodi sunt, ut lex vel prudenti judicio nimis dura privato reddatur sine publica utilitate, vel reipublicae ipsi noxia. Leges enim humanas cum gravi vel privatorum vel Reip. incommodo non obligare, communis est sententia Theologorum. *Quia humani actus*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. CXX. art.* 1. *in singularibus contingentibus consistunt, quae infinitis modis variari possunt, non fuit possibile, aliquam regulam institui, quae in nullo casu deficeret; sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus casibus servare, est contra bonum commune, quod lex intendit.* Ita quamvis Ecclesiae canones jubeant adesse sacris, recitare canonicas preces, abstinere a carnibus; id tamen cum gravi valetudinis detrimento servari non debet; sicut nec abstinere a servili opere in diebus festis, si id fieri

fieri sine gravi bonorum jactura non potest; aut sine reipublicae, vel Ecclesiae ipsius damno. Sed magna opus est attentione, et animo a cupiditatibus libero; ne quis sibi indulgens facile putet, utendum *epiikia*, ubi vel nulla ratio est, vel satius est ob bonum publicum servari legem cum aliquo privatorum incommodo. Imo idem S. Thomas 1a. 2ae *Q. XCVI art. 6.* monet, valere *epiikiam* in subitis periculis, in quibus adeundi superiorem tempus, et spatium non datur; adde etiam in rebus evidentibus.

XV. Sola autem positiva lex *epiikiam* potest admittere, non vero naturalis, quae nullas excipit peculiares causas. Si quando enim aliqua naturae lex in peculiari circumstantia non ligat, id non ex *epiikia* proficiscitur, sed ex alia naturae lege graviori, quae tunc servanda est.

(* XVI. Antequam ex hac legum tractatione discedamus, nonnullae expediendae quaestiones sunt, quae ad modum ipsum pertinent, quo legibus obtemperandum est.

Q. I. *Utrum ad praecepta, legesque servandas necessaria sit intentio iis obtemperandi.*

℟. Si lex negativa est, scilicet actionem aliquam fieri vetans, nulla necessaria est intentio; qui enim ab actione illa abstinet, quae lege prohibetur, jam legem servavit, quamvis de illa nihil omnino cogitaverit. Si vero lex positiva fuerit, aliquam scilicet actionem praecipiens, requiritur quidem intentio aliqua praeceptum opus faciendi, alioqui non humanus, nec voluntarius erit actus; sed non expressa necessaria est intentio servandi legem; sive ideo opus illud faciendi, quia lege praeceptum est; satisque est intentio illa *implicita*, et ut ajunt *interpretativa*, quae in ipsa voluntate faciendi opus illud continetur, modo intentionem servandi legem expresse non excludat. Ita qui die festo sacris adest, etsi non cogitet, id esse praeceptum, jam legi satisfacit. Sed si quis expresse deliberaverit, nolle se per illam actionem praecepto satisfacere, si quidem id ex contemtu faciat, sine dubio peccabit; sed si quadam religione moveatur, volens scilicet non per illam, sed per aliam ejusdem generis actionem, postea

postea praecepto satisfacere, utrum et ille per priorem actionem satisfecerit, nec amplius lege teneatur, inter Theologos disputatum est. Nonnulli eum satisfecisse negant, quia, inquiunt, *actus non valent ultra intentionem agentium*, ut commune habet effatum, sicut qui voto tenetur, ut preces aliquas recitet, voti adhuc reus est si easdem preces alio animi proposito recitet; et qui alteri centum lege justitiae debet, tenetur adhuc si ex liberalitate donet. Alii contra affirmant, illum revera satisfecisse, cum enim lex non aliud, nisi actionem ipsam praecipiat, profecto qui actionem illam revera facit, non potest voluntate sua efficere, ut non satisfaciat: sicut qui ambulat, non potest contraria voluntate facere, ut simul non ambulet. Qua in re distinguendum videtur. Si enim ille, mutata congruo tempore voluntate, statuat, ut actio illa prima pro satisfactione praecepti valeat, revera satisfecisse putandus est. Si vero adhuc in priori voluntate perseveret, ut actio illa non valeat ad praeceptum servandum, nec tamen aliam congruo tempore faciat; tunc cum se adhuc praecepto obligatum putet, nec illud, cum possit, servare velit, praecepti violator habendus est. Si vero non possit, nihil differt ab iis, quibus legem positivam servare impossibile est: nec lege tenetur. Dispar est autem ratio de voto atque justitiae debito. Actus enim illi non pendent ex intentione legislatoris, quae una est; sed ex intentione agentium, quae duplex esse potest.

Q. II. *Utrum ad servandam legem, finem etiam legislatoris intendere animo oporteat.*

℟. Repetendum est quod in *Cap. IV.* diximus, finem alium esse *internum*, ad quod opus natura sua tendit, quique ab opere ipso sejungi nequit, alium *externum*, ad quem aliquis actionem dirigit. Quo posito, finis quidem internus intendi sine dubio debet, cum ab ipsa re, quae praecipitur, separari nequeat. Finis vero externus, quem legislator propositum habuit, nisi in ipsa lege praecipiatur, non est ad servandam legem necessarius, eoque sensu intelligendum est quod passim dicunt; *finis praecepti non cadit sub praecepto.* Qui enim praeceptum opus facit, jam legi sa-

satisfecit, cùm non aliud legislator jusserit. Haec apud Theologos explorata sunt.

Q. III. *Utrum ille praecepto satisfecisse putandus sit, qui actionem, quae praecepta est, pravo fine facit, pravaque circumstantia.*

R. 1.° Contra legem quidem naturalem sine dubio peccat, quae omnes hominis actiones ex fine, omnibusque circumstantiis bonas fieri jubet; ut suo loco diximus.

2.° Contra legem vero humanam tunc peccat, cum rectus finis, rectave circumstantiâ vel expresse a Legislatore praecepta est, vel ad ipsam operis substantiam pertinet. Hac ratione praecepto non satisfacit, qui sacramentum poenitentiae, aut Eucharistiae sacrilege suscipit, aut canonicas preces sine debita attentione recitat, aut Missae sacrificio adest, ut amasiam, aliasve impudice aspiciat.

3.° Sed si rectus finis, aut circumstantia, ad praecepti operis substantiam non pertinet, neque a legislatore praeceptus sit, satisfacit quidem praecepto, qui ipsam externi operis substantiam facit, quamvis opus ipsum pravo fine, aut circumstantia, tamquam *vitio operantis* inficiat. Sic civis qui impositum a legislatore laborem, aut opus, ex inani gloria, aut cum indignatione exequitur, jam legi humanae satisfacit. Idem dicas, si quis actionem facit ex recto fine, et circumstantia ad substantiam operis pertinente, quamvis alius finis venialiter malus aut ad agendum impellat, aut actionem comitetur.

Q. IV. *An qui totum opus praeceptum facere non potest, partem tamen quam potest, facere teneatur.*

R. Si opus individuum fuerit, ita ut qui totum non fecerit, nihil fecisse existimetur, qui totum non potest nec partem facere tenetur. Sed si opus sit dividuum, ita ut singulae seorsim partes aliquid ad finem legislatoris conferant, ut singulae divini officii horae, singula in tota Quadragesima jejunia qui totum non potest, partem tamen, quam potest, tenetur facere. Unde merito illa propositio ab *Innocentio XI.* damnata est: *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

Q. V. *Utrum per plures actus possit quis eodem tempore pluribus praeceptis satisfacere.*

℟. Si actus ejus naturae sint, ut unus alterum, vel attentio ad unum, attentionem alteri debitam impediat, manifestum est, id fieri non posse: ideoque si quis tempore sacrificii Missae peccata Sacerdoti confitetur, praecepto Missam audiendi non satisfacit. Sed si plurium actuum ea sit natura, ut unus alterum non tollat, nec impediat, contraria ratione sentiendum est. Hinc verisimilius est, eum, qui die festo Missae adest, et Canonicas horas cum debita intentione, atque attentione recitat, utrique praecepto satisfacere.

Q. VI. *Utrum uno eodemque actu pluribus praeceptis satisfieri possit.*

℟. Pendet hoc totum a voluntate legislatoris. Si enim vel ipsa operis natura, vel finis, et circumstantiae, vel denique communis usus suadeant, voluisse legislatorem, ut actu uno pluribus praeceptis satisfieri posset; poterit. Secus est in contrariis causis. Hinc si festum aliquod in Dominicam diem inciderit, si Vigilia in Quadragesimam, aut in Quatuor tempora; una Missa, unoque jejunio utique praecepto satisfiet. Idem dicas, si Sacerdos poenitenti loco satisfactionis praecipiat, ut quotidie Missam unam audiat; die enim festo una ille Missa utrique praecepto satisfacit. Contra vero si quis ex voto, vel imposita sibi poenitentia jejunare, vel Missam audire debeat, non potest opus illud servare ad eam diem, qua ex lege etiam Ecclesiastica praeceptum jejunium vel Missa est; item si ex sola poenitentia tenebatur, non potest eodem actu etiam voto satisfacere. Sed ordinarie qui actum aliquem praecipit, aliquid aliud praecepisse censetur, quam quod alias debitum erat, nisi contrarium ex paulo ante dictis rationibus constet; ideoque cum de mente legislatoris dubitatur, satius est, ut pluribus praeceptis pluribus etiam actibus satisfiat. *)

CAP.

C A P. XIX.

De applicatione legis ad singulares actus humanos, quae fit per conscientiam, sive de conscientia, eiusque divisione.

Adv. I. Diximus supra *Cap. V.* bonitatem, aut malitiam humanorum actuum ex eorum convenientia, aut repugnantia cum rationali natura repetendam esse. Quinam autem actus naturae rationali conveniant, aut repugnent ex lege, tamquam ex regula cognosci. Sed non sufficit nosse legem, nisi intellectus judicet, eam *hic*, *et nunc* actum aliquem praecipere, aut vetare; quod judicium *conscientia* dicitur; quae in hoc differt a *synderesi*, quae est generalis cognitio primorum legis naturalis axiomatum, *ex. gr. malum est fugiendum.* Hinc conscientia dicitur a Theologis regula proxima humanorum actuum, quia scilicet regulam remotam, sive legem ad singulares actus applicat.

II. Definitur autem conscientia: *judicium practicum, quo intellectus dictat, aliquid hic et nunc a lege praeceptum esse, aut vetitum, ideoque agendum, aut fugiendum.* Judicium autem illum per ratiocinationem instituitur, qua ex cognitione legis, et actus singularis, illum aut licitum, aut illicitum esse concluditur. Sit in exemplo. Lex vetat homicidium; Atqui si venenatum hoc poculum huic homini porrexero, certe illum occidam. Ergo actus hic a lege prohibitus est, atque illicitus.

III. Cum ergo omnis humana ratiocinatio vel vera sit, vel falsa (quae quidem falsitas vel vincibilis est. vel invincibilis); item vel sit certa, vel dubia, vel probabilis; hinc ipsa conscientia dividitur in veram, sive rectam, et falsam sive *erroneam*; eamque duplicem, vincibilem scilicet, et invincibilem: item in certam, dubiam, et probabilem. Ad falsam autem conscientiam refertur etiam *perplexa*, *scrupulosa*, et lata, sive laxa. Omnes igitur istae conscientiae species explicandae sunt.

IV. Conscientia vera, sive recta est, quae ex principio vero, sive lege revera promulgata, atque vigente, per rectam ratiocinationem recte concludit, actum aliquem singularem esse licitum, aut illicitum. Falsa vero conscientia est, quae vel ex falso principio, vel vero quidem, sed perperam adhibito, falso concludit, licitum esse quod est illicitum. Brevius, conscientia vera est judicium practicum verum, sive legi consentaneum; conscientia vero falsa, est judicium falsum, sive legi repugnans. Sed conscientia falsa vel est vincibiliter, vel invincibiliter *erronea*. Conscientia invincibiliter *erronea* est, cuius error, nulla adhibita diligentia deprehendi potest. Vincibiliter vero *erronea* est, cujus error, adhibita necessaria diligentia, deprehendi potest, ac superari.

V. Conscientia certa est, quae ex certo principio deducitur evidenti ratiocinatione, quae formidinem omnem excludit. Conscientia dubia est, quae inter aequales rationes fluctuans nihil affirmat, aut negat; unde non judicium, sed judicii suspensio est. Conscientia denique probabilis est, quae vel ex principio probabili, vel ratiocinatione non prorsus evidenti, aliquid affirmat esse licitum, vel illicitum, cum aliqua errandi formidine: unde dicitur etiam opinio probabilis. Sed opinio a conscientia in eo differt, quod opinio quidem rem generatim et *speculative* considerat; conscientia vero in praxi; semper tamen conscientia probabilis opinioni probabili nititur.

VI. At conscientia perplexa est judicium *erroneum*, quo utrumque contradictionis extremum affirmatur esse peccatum: ut si quis judicet, peccatum esse, si non mentiatur ad servandam hominis vitam; et item peccatum esse si mentiatur.

VII. Denique *scrupulosa* conscientia est, qua conjecturis levissimis, quae virum prudentem movere non debent, affirmatur aliquid esse illicitum, vel utrum illicitum sit, dubitatur. Huic opponitur conscientia lata, sive laxa, qua ex levissimis rationibus cupiditati faventibus affirmatur, esse licitum, quod revera illicitum est. His igitur explicatis, expendendum est, quaenam conscientiae species sit regula proxima actuum humanorum.

VIII. Omnis autem conscientiae species vel actum praeteritum respicit, et dicitur conscientia consequens, vel actum mox faciendum, et conscientia antecedens appellatur. De conscientia consequente, quae actum praeteritum, ut bonum approbat, aut reprehendit ut malum, inquit Apostolus Rom. II. 15. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die eum judicabit Deus occulta hominum.* De antecedente vero *I. Cor. VIII. 7. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli quasi idolothytum manducant, et conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur.*

CAP. XX.

De conscientia recta, et erronea.

PROPOSITIO I.

Omnis actus humanus, qui sit contra conscientiam rectam, malus est.

Prob. Actus humanus contra legem aeternam Dei malus est; quia lex aeterna Dei est regula, ex qua cognoscitur, actionem naturae rationali convenire, vel repugnare. Atqui actus humanus contra conscientiam rectam est contra legem aeternam Dei; quia conscientia recta est judicium verum, et legi consentaneum. Ergo etc.

PRO-

PROPOSITIO II.

Omnis actus humanus secundum conscientiam invincibiliter erroneam malus non est; imo malus est omnis actus, qui contra ipsam sit.

Prob. 1a. *pars*. Ignoratio invincibilis tollit voluntarium, ideoque et malum morale, cum non possit esse actus *moraliter* malus, nisi sit actus humanus, ac proinde voluntarius. Atqui conscientia invincibiliter errans ignorantiam affert invincibilem legis in singulari actu praecipientis, aut vetantis. Ergo quod fit conscientia invincibiliter errante, malum non est.

Prob. 2a. *pars*. Qui agit contra conscientiam invincibiliter errantem, invincibiliter putat, se malum agere, illudque nihilominus agere vult, neque tamen invincibiliter ignorare potest legem naturalem, quae praecipit malum esse fugiendum. Ergo ejus actio est contra naturae legem, satis ab. operante cognitam, ideoque mala est. Unde Apostolus *Rom. XIV.* 23. *Omne* inquit, *quod non est ex fide, peccatum est* quae verba multi Patres de conscientia intelligunt; ita ut omne, quod non est secundum conscientiae judicium, malum sit existimandum.

Dices. cont. 1m. *part.* Qui agit ex conscientia invincibiliter errante, putans scilicet esse bonum quod revera est a lege prohibitum, is non facit actionem natura sua bonam; quia Deus omnis bonitatis regula cognoscit actionem illam legi contrariam, licet id ab operante ignoretur. Ergo actio ejus mala est.

℟. *Dist. ant.* Non facit actionem bonam in seipsa, seu *materialiter*, *conc.* Respectu ipsius operantis, seu *formaliter*, *neg.* Licet ergo *objectum materiale* actionis ex invincibili ignorantia factae malum sit, et legi adversum, tamen *objectum formale*, seu ratio, quae ad agendum movet, bona est.

Inst. Ergo, actio illa praemium etiam aeternum meretur; ideoque Deus praemio afficiet hominem ob violatam naturae legem, *ex. gr.* ob mendacium prolatum ex conscientia invincibiliter errante, ac suadente men-

tiendum esse ob salutem proximi. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Non enim ipsa actio materialis bona est, ac praemio afficitur, sed bonus operantis animus rectaque intentio, sive ratio ad agendum movens. Vide Contensonum *Dissert. De Probabilismo.*

PROPOSITIO III.

Actio, quae fit contra conscientiam vincibiliter errantem, semper mala est; quae vero fit secundum ejusmodi conscientiam, tunc mala est, cum revera est contra legem.

Prob. 1a. *pars.* Qui operatur contra conscientiam vincibiliter errantem, judicat, actum esse contra legem, illumque nihilominus eligit, et efficit. Sed hoc est contra immutabilem naturae legem. Ergo ejus actio semper mala est.

Prob. 2a. *pars.* Ignorantia vincibilis non aufert omnino voluntarium, ac malum morale, ut supra diximus *Cap.* 2. Ergo qui ex ignorantia, seu conscientia vincibiliter errante legem violat, putans licere, quod revera per legem non licet, ejus actio nihilominus mala esse non cessat. Sic non excusabatur Apostolus, qui zelo legis ecclesiam persequebatur; nec ii, qui discipulos Christi occidebant; putantes obsequium se praestare Deo.

Scholion.

I. Malitia actionis, quae fit contra conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter errantem, ejus est speciei, cujus est malum, quod ex conscientia errante in *objecto* esse judicatur; voluntas enim in objectum fertur prout ab intellectu repraesentatur. Non tamen eam actionem sequitur poena, quam quis falso putat actioni esse impositam. Sic qui contra errantem conscientiam aliquid facit, quod falso credit esse vetitum poena excommunicationis, non tamen idcirco in excom-

communicationem incidit. Poena enim a legislatoribus imposita est contra verae legis violatores.

II. Error conscientiae corrigendus est, ut malum vitetur. Corrigendus autem non levi, et imprudenti ratione, sed gravi, ac prudenti, tantique ponderis, ut vel evidenter falsae appareant rationes, quae in errorem induxerant, vel adeo leves, ut virum prudentem movere non debeant.

Objectio:

Dices cont. 1m. *part. prop.* Conscientia vincibiliter errans non est regula actuum humanorum. Ergo malum non est agere contra ipsam.

℟. *Neg. cons.* Qui enim agit contra conscientiam vincibiliter errantem, agit contra legem Dei aeternam, quam ignorare non potest, ut supra diximus. Lex autem aeterna est utique morum regula.

Inst. Ergo si malum est agere contra errantem conscientiam, tenetur homo talem conscientiam sequi, quod absurdum est.

℟. *Neg. seq.* Tenetur enim homo errorem corrigere, ut in *Scholio* II. animadvertimus..

PROPOSITIO IV.

Qui conscientiam vincibiliter perplexam habet, is ut plurimum male aget, nisi errorem prudenti ratione corrigat, atque deponat.

Prob. Conscientia perplexa est, qua judicatur, utrumque contradictionis extremum malum esse, *ex. gr.* sive mentiaris ob salutem proximi, sive non mentiaris. Quae quidem conscientia semper errans est, cum non possint duo contradictionis extrema simul esse vera. Sed error ille non semper vincibilis est. Cum ergo aliquis vincibili ille errore illuditur, utrumlibet eligat contradictionis extremum, semper illud malum existimat, atque ut plurimum libere vult; negligens debitum ad errorem corrigendum adhibere studium ac diligen-

ligentiam; ac proinde ut plurimum contra naturae legem operatur. Dixi autem *ut plurimum*, quia aliquando tanta potest esse angustia temporis, necessitas alterutrum agendi, atque animi perturbatio, ut homo non libere velit, quod malum existimat Tunc ergo satis erit eligere quod minus apparet malum; in iis enim angustiis qui levius malum eligit, recedit a malo quantum valet, nec aliud ab eo postulari potest, nisi ut eum negligentiae poeniteat, ex qua in errorem lapsus est.

PROPOSITIO V.

Qui conscientiam habens invincibililer perplexam necessario debet alterutrum eligere, non peccat, si a peccato abhorrens illud eligat, quod ei minus malum videtur.

***Prob.* I.** ex auctoritate *Gregorii M. Lib. XXXII. Mora. Cap.* 17. *Est tamen*, inquit, *quod ad destraendas Behemot versutias utiliter fiat, ut dum mens inter minora, et maxima peccata obstringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur; quia et qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam praecipitat, ubi brevior murus invenitur.*

Prob. II. ratione paulo ante in superiori propositione explicata. In ea enim angustia non est liber animus, ut utrumque vitet extremum, cum ponamus, eum necessario alterutrum eligere debere; ita ut non aliud ab eo postulari posse videatur, quam ut iuvitus, ac moerens illud eligat, quod ei minus malum videtur; si modo quod minus malum est discernere valeat.

Prob. III. ex communiori saniorum Theologorum consensione, a qua etiam non recedunt Antonius *Tract. De Consc. Cap.* 1. Q. 4. Colletus *Tract. De Actib. hum. Cap.* 7. *art.* 2. Habert *Tract. De Consc. Cap.* 2. aliique.

Scho-

Scholion.

I. Ad falsam conscientiam reducitur etiam conscientia *scrupulosa*. Est autem scrupulus rationis perturbatio, qua peccatum ex inani timore mente apprehenditur, ideoque a dubitatione, atque opinione differt; a dubitatione quidem, quae est inter aequales rationes suspensio judicii; ab opinione vero, quae est mentis judicium, et assensus cum aliqua formidine. Oritur autem scrupulosa conscientia vel a corporis infirmitate, puta *melancholia*, aliisve morbis, quae cerebrum debilitaverint; vel animi, puta ex ignorantia, superbia, diaboli suggestione etc. Contra conscientiam scrupulosam non solum licet, verum etiam debet agi. Licet enim scrupuli judicium rationis aliquantulum obscurent; non tamen omnino tollunt.

II. Sed ad ipsum habitum *scrupulosae* conscientiae curandum, expendendum ante omnia est, utrum ex corporis, an ex animi infirmitate oriatur; atque ita contrariis uti remediis. Generatim tamen scrupulosus orationi instare debet, obedire Directori, fugere otium, summam saepe Dei bonitatem meditari. Ipse vero director debet summam ab illo exigere obedientiam: ceterum benigne illum excipere, ne abundantiori tristitia absorbeatur, nisi forte sit ex eo genere scrupulosorum, qui Pharisaeorum more *camelum deglutientes, et culicem percolantes*, parum videntur de maximis Dei praeceptis, ac de aeterna salute solliciti. Vide Duguetum in *Tractatu De Scrupulis*, et Opera *Ludovici Granatensis*.

CAP.

C A P. XXI.

De conscientia certa, et dubia.

Adv. I. Conscientiam certam, quam supra definivimus, nemo negat, esse rectam morum regulam proximam, sive regulae ipsius, scilicet legis, rectam applicationem. De dubia autem conscientia disserendum est.

II. Si pressius loqui velimus, conscientia dubia non proprie conscientia est, sed improprie, cum non sit judicium practicum, sed suspensio judicii de bonitate, aut malitia actionis, propter rationes utrinque pugnantes: nam si ideo dubitatur, quia nulla omnino ratio suppetit affirmandi, aut negandi, dicitur tunc dubitatio *negativa*, seu potius ignoratio.

III. Dividitur autem dubitatio, seu *dubium*, ut Scholae ajunt, 1°. in dubium juris, et dubium facti, 2.° in speculativum, et practicum, Dubium juris est cum ambigitur, utrum lex extet, vel utrum actio aliqua sub lege, quae certo extat, comprehendatur. Dubium facti est, cum de facto aliquo ambigitur, *ex. gr.* utrum debitum solutum sit, utrum votum sit emissum: quod quidem dubium facti saepe dubium juris parit, an in ea facti dubitatione agendum aliquid sit, vel omittendum.

IV. *Dubium speculativum* est, cum generatim an aliquid sit licitum dubitatur. *Dubium* practicum est, cum *in individuo* ambigitur, an actus aliquis, omnibus circumstantiis stipatus, *hic et nunc* licitus sit, an illicitus. His explicatis, quaeritur, utrum actus ex conscientia dubia factus, bonus sit, an malus,

PRO-

PROPOSITIO I.

Actus humanus ex conscientia practice *dubia semper est malus*; *nisi via tutior eligatur. Est apud omnes Theologos, et philosophos certissima.*

Prob. I. Ex Apostolo *Rom. XIII.* 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quae verba, ut multi Patres interpretantur, et ex ipso contextu eruitur, significant, omne id, quod non agitur ex intima animi persuasione, qua actus creditur licitus, esse peccatum. Atqui in dubitatione practica non agitur ex illa animi persuasione. Ergo.

Prob. II. *ratione.* 1.° Non solum ille peccat, qui certum malum expresse eligit, verum etiam qui malum vult *interpretative*, ut Scholae ajunt, nempe qui ita agit, ut opus absolute exequi velit, etsi fortasse sit contra legem Dei; hoc enim divinae majestati, atque auctoritati injuriosum esse, nemo non videt. Atqui ita se gerit qui agit ex conscientia *practice* dubia. Ergo.

2°. Qui voluntarie se objicit proximo peccandi periculo; is procul dubio peccat; *Qui enim amat periculum, in illo peribit. Eccli.* III. 27. Sed is, qui in practica dubitatione operatur, proximo peccandi periculo se committit, ut patet. Ergo etc. Unde Augustinus *Lib. I. De Bapt. cap.* 3. *Graviter*, inquit, *peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, quod certis incerta praeponeret.* Et S. Thomas *Quod lib. VIII. art.* 13. de eo, qui dubitat, utrum plures praebendas possidere sibi liceat. *Si ille*, inquit, *in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, et sic manente tali opinione, plures praebendas habet, periculo se committit, et sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam aeternam salutem.*

3°. Qui dubitans utrum in esca, aut potu venenum lateat, is procul dubio male ageret; imo amens haberetur, si in ea dubitatione escam illam comederet, aut

aut poculum ebiberet. Atqui longe major cura habenda est animae, quam vitae corporis. Ergo.

Corollaria.

I. Ergo in dubitatione practica ab opere abstinendum est, si necessitas agendi non urgeat. Quod et Gentiles Philosophi viderunt. *Bene praecipiunt*, inquit Cicero *Lib. I. De offic. qui vetant quidquam agere, quod dubites aequum sit, an iniquum.*

II. Si urgeat agendi necessitas in *dubio* practico, tutior pars eligenda est. Quo quidem veluti generali effato nihil est in jure praesertim canonico certius, ac saepius repetitum: *in dubiis partem debemus eligere tutiorem.*

PROPOSITIO II.

In iis, quae pertinent ad legem naturalem, dubitatio speculativa necessario dubitationem practicam parit, idque etiam verum est de lege divina positiva; secus vero se res habet in rebus ad legem humanam pertinentibus.

Prob. 1a. *pars.* 1.° Lex naturalis aeterna est, et immutabilis, nec ab hominum dubitatione, aut opinionibus, imo nec ab ipsa Dei voluntate pendet; sed ab aeternis, atque immutabilibus Dei ideis; ac proinde quaecumque dubitatio hominum, aut opinio, non aufert legem, nec malitiam actionis, si revera sit lex, quae eam vetat. Quod ergo *speculative* dubium est in lege naturali, etiam in praxi dubium esse debet. 2.° Judicium practicum nihil aliud est, nisi quaedam argumentatio, qua ex duabus *praemissis* propositionibus una de jure, altera de facto, inferimus, aliquid in praxi agendum; aut omittendum. Atqui in omni argumentatione cum una ex *praemissis* dubia est, nec est a voluntate hominum mutabilis, conclusio necessario dubia esse debet, ut ex logicis manifestum est. Ergo posita *speculativa* dubitatione in rebus ad legem naturae pertinentibus, quae non sunt a voluntate homi-

hominum mutabiles, conscientia praetice certa nullo modo fieri potest, sed semper, ac necessario dubia esse debet.

Prob. 2a. *pars.* Lex divina posititiva licet non sit necesssaria, ut lex naturalis: non pendet tamen ab hominum opinionibus, sed a voluntate Dei. Ergo eadem ratione, quam de lege naturali paulo ante explicavimus, quod in lege divina positiva *speculative* dubium est, etiam in praxi dubium esse debet.

Prob. 3a. *pars.* Leges humanae ab hominum voluntate pendent, et a populi consuetudine cum legislatoris tacito adsensu mutari possunt. Cum ergo legislator novit, varias esse, et contrarias jurisconsultorum opiniones, quae dubiam faciunt legem; nec ipse eas corrigere satagit, consentire censetur, ut lex non obliget. Ideoque dubitatio speculativa, utrum extet lex humana, certum efficere potest judicium, legem vel non extare, vel non amplius ex voluntate legislatoris obligare. *Fatendum est*, inquit Ludovicus Habert. *Tract. de conscient. Cap.* 4. *in hypotesi, quod lex humana sit obscura, nec secundum communem Theologorum sententiam constet de mente Legislatoris, liberum, et tutum esse in conscientia amplecti alterutram ex oppositis opinionem, quia per usum praescribitur contra legem humanam, praesumiturque legislator silentio suo consentire in oppositas legis suae interpretationes.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. cont. 1m. *prop.* Lex dubia non potest certam parere obligationem, alioquin effectus esset major sua causa, quod absurdum est. Ergo cum dubitatur generatim, an aliquid sit lege prohibitum, certum est in praxi, illud non esse prohibitum.

℟. *Dist. ant.* Non potest lex dubia certam parere obligationem sua ipsius vi, *conc.* Vi alterius legis naturalis certissimae, quae vetat; quemquam peccandi periculo se objicere, *neg. Dist.* etiam *cons.* Cum dubitatur de lege humana, de qua contrariae opi-

opiniones, quas sciens legislator non corrigit, *conc.* Cum dubitatur de lege naturali, aut divina *neg.* Itaque cum lex naturalis, aut divina dubia est, ipsa quidem per se certam obligationem non parit, sed obligatio oritur ex alia lege naturali, eaque certissima, quae nos vetat peccandi discrimen adire. Cum vero dubitatio est de lege humana, secus se res habet, ut supra diximus.

Inst. 1.° Nullum est peccandi periculum, ubi lex certam non parit obligationem, cum nemo adigi possit ad id certo servandum, cujus certa obligatio non est. Atqui *ex concessis* lex dubia, licet naturalis, non parit ipsa per se certam obligationem. Ergo fictitia est lex illa naturae, quae vetat id agere, quod utrum sit licitum, generatim dubitatur.

℟. *Dist, maj* Si de lege naturali, aut divina dubitatur, *neg.* Si de lege humana, cum contrariae sunt sapientium opiniones, *conc.* Cum itaque dubitatur de lege naturali, aut divina, nostra utique dubitatio non efficit, ut lex non extet; ideoque non efficit, ut actio in praxi mala non sit, si illa revera extet lex, de qua dubitamus. Hinc qui, posita illa dubitatione, operatur, voluntarie discrimen adit naturalis, aut divinae legis violandae, quo in discrimine certa est naturae lex, ut ab opere abstineamus, vel quod tutius est eligamus. Hinc Augustinus *Lib. I. de Bapt. cont. Don. cap.* 5. *Accipere*, inquit, *in parte Donati* (baptismum) *si incertum est esse peccatum, quis dubitat, certum esse paccatum; non ibi potius accipere, ubi certum est, non esse peccatum?*

Inst. 2.° Cum de lege etiam naturali dubitatur, sicut fieri potest, ut lex revera extet, ita fieri potest, ut non extet, ideoque abstineamus ab opere, quod nulla lege prohibetur. Atqui nimis durum esset obligari hominem non solum ad ea fugienda, quae certis legibus prohibentur, verum etiam ea, quae fortasse nulla lege prohibita sunt. Ergo gratis fingitur lex naturae, quae certo jubet abstinere ab opere, vel tutiorem partem eligere, ubi lex etiam naturalis dubia est.

℟. *Neg. min.* 1°. Quia durum non est quod charitas erga Deum, ac nosmetipsos jubet, et si naturae de-

durum est, suave id efficit ipsa charitas. 2.° Quia dubitatio, atque obscuritas in lege naturali ac divina effectus est, et poena peccati originalis, cum Deus primo homini, ante lapsum, clarissimam totius naturae legis notitiam indidisset. Poena autem peccati si dura nobis videtur, caeci sumus, qui quantum malum sit peccatum, quantaque poena dignum, metiri nescimus. Non autem esset poena, si nos a lege faceret immunes.

Inst. 3.° Si quis dubitet, utrum aliquid a Deo sit revelatum, non tenetur illud credere ut dogma fidei. Ergo cum dubitat, utrum sit lege prohibitum, non tenetur ab eo abstinere, utraque enim lex divina est credendi, et agendi.

℟. *Neg. cons. et parit.* Fides enim cum virtus sit intellectus, omnimodam requirit certitudinem divinae revelationis. Non enim virtus, sed vitium intellectus est, credere ut certum, quod dubium est. At contra actus humani ad virtutes voluntatis pertinent. Est autem virtus voluntatis, in dubio abstinere, aut tutiorem partem sectari.

Reliquas objectiones refutabimus *Cap. seq.*

C A P. XXII.

De conscientia, sive opinione probabili.

Adv. I. Conscientia, et opinio probabilis, ut eam recentiores Theologi definiunt, ea est, quae nititur vel auctoritate, vel ratione adeo gravi, ut virum prudentem movere possit, cum aliqua tamen formidine contrarii. Quapropter probabilitas duplex ab iisdem Theologis esse dicitur, *extrinseca* scilicet, et *intrinseca*. *Extrinseca* est; quae sola nititur gravi auctoritate: *intrinseca*, quae nititur ratione, Scriptura, vel traditione. Constat autem hodie inter Catholicos, non sufficere, ad probabilitatem alicujus opinionis, ut ea inveniatur apud unum aliquem recentiorem Theologum; damnata enim est ea prop. *ab Alexandro* VII. et Clero Gallicano: *Si liber sit alicujus junioris, et moderni*

demi, *debet opinio censeri probabilis*, *dummodo non constet*, *rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.*

II. Conscientia autem, et opinio probabilis considerari potest vel sola, vel in conflictu contrariae opinionis, quae etiam aliqua nititur ratione vel auctoritate. Si sola consideretur, dicitur *unice probabilis*; si vero in conflictu contrariae, tunc potest conscientia, et opinio esse vel *minus probabilis*, vel *aeque probabilis*, vel *probabilior* contraria, prout ratio, vel auctoritas, cui prima opinio nititur, est vel minus gravis, vel aeque gravis, vel gravior opposita.

III. Inter duas contrarias opiniones, ea quae affirmat aliquid esse praeceptum, dicitur *favere legi*; quae vero affirmat, non esse praeceptum, *favere* dicitur *libertati*. Quod quidem improprie dictum est; lex enim non est contraria libertati, quam non destruit, sed moderatur, ac regit, ut advertit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XLIV. art.* 1. ideoque adversatur potius cupiditati: nos tamen in sequentibus hanc impropriam locutionem, cum jam apud multos invaluerit, retinebimus. *Tutior* vero opinio dicitur, quae magis a peccandi periculo removet. Non semper autem opinio tutior est etiam probabilior.

IV. *Probabilistae* dicuntur recentiores quidam Theologi, qui a saeculo XVI. docere coeperunt, licitum esse, sequi in praxi opinionem probabilem faventem libertati, etiam in conflictu probabilioris opinionis, quae legi favet. Cujus doctrinae *P. Concina* in *Historia Probabilismi* primum auctorem facit *Bartholomaeum Medinam* Dominicanum Saeculo XVI. licet alii hunc honorem *P. Mercato* ejusdem ordinis deferant, qui eodem saeculo scripsit, paucis annis ante *Medinam*. *Alphonsus Ligorius* hanc sententiam temperavit, licere docens in praxi opinionem sectari probabilem pro libertate, in conflictu contrariae aeque probabilis, quae legi favet, non tamen probabilioris. Dividuntur autem probabilistae in partes duas. Nonnulli enim dicuntur *directi*, qui docent, hominem directe ipsi minori probabilitati inniti posse, atque ita operari. Alii vero dicuntur *reflexi*, qui putant, hominem non di-

recte

recte quidem minori probabilitati inniti posse, sed judicio cuidam *reflexo*, quo, posit a utrimque probabilitate opinionum, certo statuitur, legem utpote dubiam, non obbligare, et libertatem possidere jus agendi quod libuerit. Qui vero ex adverso tenent, numquam licere probabilem sectari opinionem, sed solam sequendam esse tutiorem. *Tutioristae* vocitantur.

V. Jam vero Romana Sedes *Tutioristarum* sententiam damnavit. *Alexander* enim VIII. hanc inter ceteras proscripsit propositionem: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* At *probabilismum* licet adhuc conceptis verbis nondum damnaverit, satis tamen eam doctrinam improbavit, dum varias damnavit theses, quae vel a *Probabilismo* ipso non differunt, vel cum eo ita intimo nexu junctae sunt, ut damnari non possint, nisi Probabilismus ipse damnetur, ut infra videbimus. Nos de hac celebri controversia scripsimus aliquando fusius in nostris *Dissertationibus contra Bolgenium* (a); hic tamen pressius, quantum brevitas instituti patitur, mentem nostram explicabimus sequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Si conscientia, et opinio est unice probabilis, non est illicitum, eam in praxi sectari.

Prob. Conscientia, et opinio probabilis ea est, quae nititur ratione, aut auctoritate adeo gravi, ut virum prudentem movere possit. *Unice* autem *probabilis* est, cui nulla ratio, aut auctoritas adversatur. Atqui in actibus humanis non aliud in praxi exigitur in hac humanae mentis infirmitate, nisi ut prudenter operemur, hoc est moveamur ratione, aut auctoritate adeo gravi, quae virum prudentem movere possit. Ergo. etc.

Dices.

(a) Dissertazioni contro la regola del possesso di Gio: Vincenzo Bolgeni.

Dices. Opinio utcumque probabilis, certa non est, alioquin non opinio, sed certum esset, firmumque judicium. Potest igitur esse falsa, ideoque eam sequentes peccandi periculo nos objicimus.

℟. *Dist. cons. quoad 2m. part.* Nos objicimus periculo peccandi *materialiter*, sicut qui operantur ex ignorantia invincibili, *conc. Formaliter*, *neg.* Licet autem peccatum etiam materiale malum quoddam sit; ideoque illud quantum possumus vitare debeamus, tamen ipsum materialis peccati periculum in nostra hypothesi nos vitare non debere, nec posse, ratio ipsa suadet, cum nulla sit proposita menti ratio, ex qua actus malus esse videatur.

PROPOSITIO II.

Non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati in conflictu contrariae aeque probabilis, quae favet legi naturali, aut divinae.

Prob. I. ex Script. 1.° *Eccli. XXXVII.* 20. *Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile*: et *Rom. XIV.* 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* At nullum potest stabile esse consilium, ac fides, sive certa persuasio, ubi de lege naturali, aut divina duae sunt contrariae, et aeque probabiles opiniones, quae consilium dubium, non stabile reddunt. 2.° *Eccli. III.* 27. *Qui amat periculum in illo peribit.* At qui inter duas contrarias, et aeque probabiles opiniones eam eligit, quae libertati, sive cupiditati favet, evidenti, ac proximo periculo se objicit. 3.° Qui inter opiniones, aeque probabiles boni, ac mali, timet, et abstinet, dicitur sapiens; stultus vero, qui confidenter operatur. *Prov. XIV.* 16. *Sapiens timet, et declinat a malo stultus transilit, et confidit.* 4.° Deuteron. XVII. 8. *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, caussam et caussam lepram, et lepram, et judicium intra portas tuas videris verba variari*, quibus verbis ponitur, contrarias oriri de divina lege doctorum opiniones, ac rationes; qua

qua in ambiguitate non edicit Dominus, licere unicuique quod libuerit agere; sed *surge*, inquit, *et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore; quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Quod si quis non potuisset adire summum Pontificem, aut ille respondere neglexisset, declarat Dominus, peccaturum esse eum, qui interea opinionem sequeretur libertati faventem. II. Parap. XIX. 10. *Omnem*, inquit, *causam, quae venerit ad vos fratrum vestrorum . . . ubi quaestio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum, et non veniat ira Dei super vos, et super fratres vestros.* Ergo.

Prob. II. ex PP. 2.° Augustinus *Lib. I. De Bapt. cont. Donat. cap.* 3. certum esse, ait, et a nemine in dubium revocari, eum, qui in rebus dubiis ad legem divinam pertinentibus, incerta certis anteponit, graviter peccare: *Graviter*, inquit, *peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta praeponeret.* Et Cap. 5. supra laudato; *Accipere in parte Donati* (baptismum) *si incertum est, esse peccatum, quis dubitat, certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est, non esse peccatum?* 2.° Gregorius M. *Lib. V. Moral cap.* 6. in ea verba Job: *Viro, cujus abscondita est vita. Unde*, inquit, *Sancti viri . . . sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera labes putredinis sub boni specie lateat coloris*; quod desumtum videtur ex ipso Augustino *Lib. XXIII. De Civ. cap.* 13. At si in rebus dubiis, ubi aequae probabilis opinio est pro lege, ac pro libertate, liceret utrumlibet agere, nulla esset ratio formidandi. 3.° S. Thomas *Quodlib. XI. Q. VII. art.* 5. expendens, utrum habere sine *dispensatione* plures praebendas sine cura animarum; sit peccatum mortale, ait: *Omnis quaestio, ubi de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur, quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum*

tum mortale, *conscientiam non excusat a toto*, *licet forte a tanto. Praecipue autem periculosum est ubi veritas ambigua est*, *quod in hac quaestione accidit.* Nullum autem esset periculum, si ubi quaestio ambigua est, utrumlibet sequi liceret. Et *Quolib. VIII. art.* 15. *Dicendum*, *quod quando sunt duae opiniones contrariae de eodem*, *oportet esse alteram veram*, *et alteram falsam. Aut ergo ille*, *qui facit contra opinionem magistrorum*, *utpote habendo plures praebendas*, *facit contra veram opinionem*, *et sic cum faciat contra legem Dei. non excusatur a peccato*, *quamvis non faciat contra conscientiam.* Nihil dici potest clarius. Ergo etc.

Prob. III. ex S. Pontificum Constitutionibus, qui in quaestionibus decidendis constanter eo principio usi sunt: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, quod quidem principium apud ipsos Philosophos ethnicos fuisse receptum osseudit Grotius *Lib. II. De jur. B. et P. cap*, 23. Ita videre est *in Cap. Ad audientiam* 12. *De Homic.* Cap. *Petitio* 24. *eod. tit. Cap. Juvenis* 3. *De Sponsal. Cap. Illud.* 5. *De Cler. excom. ministr.* Vanas autem, ac frivolas Probabilistarum exceptiones in nostris *Dissertationibus contra Bolgenium* satis, ut arbitror, confutavimus. Atqui ubi duae sunt contrariae, et aeque probabiles opiniones, res est in dubiis. Ergo non licet eam sequi, quae libertati favet, sed tutiorem viam eligere debemus.

Prob. IV. ex sententia totius Cleri Gallicani in Comitiis anni MDCC. quae habetur apud Nat. Alexandrum *Tom. II. Theol. Dogm. et Mor. Primum est*, inquiunt Patres, *ut in dubiis de salutis negotio*, *ubi aequalia utrimque se offerunt rationum momenta*, *sequamur id*, *quod tutius*, *seu id quod est in eo casu unice tutum*, *nec id consilii*, *sed praecepti loco habeamus*, *dicente Scriptura*: *qui amat periculum in illo peribit.*

Prob. V *ratione.* Ubi duae opiniones contrariae aeque probabiles sunt de lege naturali, ac divina, etiam in praxi dubitatio esse debet, licitane actio sit, an illicita, ut supra ostendimus *Cap.* 20. *prop.* 2. Sed ubi du-

dubitatio in praxi oritur, actus humanus semper malus est, nisi via tutior eligatur, ut ibidem docuimus. Ergo.

Diximus autem *de lege naturali, ac divina*, quia ubi quaestio est de lege humana, aliter est sentiendum, ut supra post *Ludovicum Habert* advertimus.

PROPOSITIO III.

Non licet sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, sive cupiditati, in conflictu probabilioris, quae faveat legi naturali, aut divinae.

Haec propositio evidenter sequitur ex praecedenti. Si enim sequi non licet opinionem probabilem faventem libertati, in conflictu alterius aeque probabilis, quae legi faveat; multo minus sectari licet probabilem libertati faventem, in conflictu probabilioris, quae pro lege est. Nihilominus praeter argumenta, quae in praecedenti propositione explicavimus.

Prob. prop. I. ex Script. quae docet, enixe orandum Deum, ut sensum legis suae nobis patefaciat, praesertim in rebus ambiguis, eamque a nobis diligendam esse legem *super aurum, et topazion*. et interim ab omni specie mali abstinendum esse. *Jac. I. 5. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat*; unde David praesertim in *Psal. CXVIII.* saepe orat: *Da mihi intellectum, et discam mandata tua; dilexi mandata tua; super aurum, et topazion etc.* I. Thessal. V. 22. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Sed qui opinionem minus probabilem sequitur contra legem, is nec orat, ut cognoscat; nec diligit, sed contemnit legem, nec abstinet a specie mali, dum id facit, quod verisimilius est, esse malum. Ergo etc.

Prob. II. ex PP. 1.° Augustinus disputans contra Academicos, qui hanc regulam morum statuebant: *Cum agit unusquisque quod probabile est, non peccat, neque errat*, totis viribus eam refutat, et evertit

tit Lib. III. conc. Academ. Taceo, inquit *Cap. 16. de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quae fieri, aut cogitari possunt, aut facinoribus, quae paucis verbis, et quod gravius est, apud sapientississimos judices defenduntur. Quomodo enim non facerent, quod probabile visum est? Qui autem non putant, ista probabiliter defendi posse, legant orationem Catilinae, qua patriae parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si haec ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum sit, esse faciendum, non solum sine scelere, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.* Quod nostris temporibus probavit eventus, cum nihil in tota divina lege intactum et intemeratum *Probabilistae* reliquerint. 2.° Chrysostomus *Hom. XIII. in II. ad Cor. Non igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas, idest rei veritatem inquiramus.* Qui autem minus probabilem opinionem probabiliori anteponit; is utique nec amat, nec quaerit veritatem. Ergo.

Prob. III. Summi Pontifices etsi adhuc expresse *Probabilismum* non damparunt, satis tamen illum se improbare professi sunt. Nam 1.° *Alexander VII.* in Decreto *anno* 1665. *die* 7. *Septembris* haec habet. *SS. D. N. audivit non sine magno animi sui moerore, complures opiniones Christianae disciplinae relaxativas, et animorum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro certa regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset vitae Christianae corruptela.* Quibus verbis Pontifex non solum opiniones laxiores, verum etiam ipsum *opinandi modum* improbavit, quem pro regula morum irrepsisse conqueritur. 2.° Innocentius XI. in *Brevi* 26. *Junii anni* 1680. mandavit *Thyrso Gonzalez Soc. Jesu, ut ipse libere, et intrepide praedicet, doceat, et*

et calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet sententiam asserentem, licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu probobilioris . . . Injunxit pariter Generali Soc. Jesu, ne ullo pacto permitteret Patribus societatis scribere pro opinione minus probabili, et impugnare sententiam asserentium, licitum non esse sequi opinionem minus probabilem, in concursu magis probabilis. Idem *die* 4. *Martii anni* 1679. varias damnavit propropositiones, quae necessario nexu cum *probabilismo* junctae sunt. 1a. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, dummodo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 2a. *Probabiliter extimo, judicem posse judicare secundum sententiam etiam minus probabilem.* 3a. *Ab infidelitate excusabitur infidelis ductus opinione minus probabili.* 4.° Benedictus XIII. in Concilio Romano *Tit. V Cap. IX. statuit, ut casus definiantur eis doctrinis, quae veriores, magisque fundatae judicabuntur.* 5.° Benedictus XIV. idem docet in Epistola Encyclica 26 *Junii an.* 1749. italice scripta ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos.

Prob. IV. ex innumeris conciliis provincialibus, et Dioecesanis synodis, nec non litteris *Pastoralibus* Episcoporum, quae *probabilismum* damnarunt, ut videre est apud *Merbesium*; aliosque auctores, qui fusius de hoc argumento scripserunt. Unde Clerus Gallicanus in laudatis comitiis anni MDCC. definivit: *Ut circa probabiles de Christiana morali sententias sequamur id, quod Viennense Concilium Oecumenicum* Clement. VII. De summa Trin. et fide cath. *circa infusas tam parvulis, quam adultis in baptismate virtutes decrevit his verbis: Nos hanc opinionem tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, et modernorum Theologiae Doctorum magis consonam, et concordem duximus eligendam. Quod Concilii judicium eo magis ad dirigendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas, ac salus constat . . . Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc no-*

 vum

novum, hoc inauditum, hoc certis, ac notis auctoribus postremo demum saeculo proditum, et ab eisdem pro morum regula positum, repugnat huic effato a Patribus celebrato: quod ubique quod semper quod ab omnibus: nec habere potest Christianae regulae securitatem.

Prob. itaq. V. Illa doctrina rejicienda est, quae est nova, et Patribus incognita, imo contraria, ut in *Dissertatione Prodromá*, aliisque in locis ostendimus; unde Tertullianus *Lib. de Praescript. Falsum*, inquit, *quod recens inventum, quod posterius immissum*. Atqui talis est doctrina, quam impugnamus. Eam enim primi *Probabilistae Mercatus*, et *Medina* medio saeculo XVI. timide primum proposuerunt, quique illos secuti sunt, fatebantur, veterum sententiam esse contrariam; imo communem Theologorum doctrinam sua aetate ipsis adversari. *Scio*, inquit *Ludovicus Lopez in Instructor. Conscient. Part. I. Cap. 30.* edito *an.* 1585. *communem esse sententiam Soti, Coraubae, Cajetani, Conradi, et Navarri; non satis esse, sequi probabilem opinionem, sed probabiliorem esse consequendam.* Nec *Probabilistae* posteriores per annos fere ducentos veterum monumenta summó conatu relegentes, ullum *probabilismi* vestigium apud Patres invenire potuerunt. Ergo etc.

Prob. VI. ratione 1.° In rebus ad salutem corporis pertinentibus non licet sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Quis enim amens manducaret escam, quam probabilius est esse venenatam? Atqui multo major diligentia; et cautio adhibenda est in rebus ad animae salutem pertinentibus. Ergo etc. 2.° Lex naturalis, et divina semper obligant, nec ulla ignorantia excusat, nisi invincibilis. Sed is, qui probabilius putat, aliquid esse lege naturali, aut divina prohibitum, dici non potest, eam legem invincibiliter ignorare; quaevis enim vel minima mali suspicio, jam ignorantiam reddit vincibilem. Ergo etc. 3.° Si liceret sequi minus probabilem opinionem in lege naturali, ac divina, actum esset de lege, et effraeni licentiae laxaretur via; legenti enim *Probabilistas* patet, nihil esse in tota naturae lege, quod non contrarius,

et ut ipsi jactant, probabilius rationibus obscurare tentaverint, ut per singula Decalogi praecepta excurrens ostendit *Contensonus*. 4.° Liceret sequi opinionem, quam quis judicat falsam, dummodo sint aliqui, qui eam dicat probabilem; hoc enim multi *Probabilistae* docuerunt. 5.° Liceret ei, qui vult indulgere cupiditati, varios adire *Casuistas*, donec unum inveniat (inveniet autem sine dubio aliquem) qui doceat, probabile esse quod concupiscit. Sed haec absurda sunt. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Leo M. *Epist. ad Rustic. Narb.* docet, sufficere ad bene agendum, ut opinio non sit Scripturae, aut Traditioni evidenter contraria. Ait enim: *In iis, quae dubia sunt, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum.* Sed talis est opinio probabilioris, aut saltem aeque probabilis. Ergo.

℟. *Neg. maj. et min. Major.* quidem propositio falsa est. Nam ait quidem S. Doctor, necesse esse, ut opinio non sit Scripturae, aut Traditioni contraria, sed non dicit, id sufficere. *Minor* etiam similiter falsa est; nam negamus, sententiam, quae docet, licere uti opinione probabili, in conflictu probabilioris, aut aeque probabilis, non adversari Scripturae, aut Traditioni.

Objic. II. Nazianzenus *Orat.* XXXIX. disputans contra Novationes, qui secundas nuptias damnabant, haec habet: *At haec minime post baptismum*, *inquis*, (licent) *Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas, et facilitas.* Ergo in conflictu opinionum saltem aeque probabilium uti licet ea, quae libertati favet.

℟. *Neg. conj. Nazianzenus* enim loquitur de re apud Catholicos non tantum probabili, sed certissima, imo de fidei dogmate, quod *Novatianus* nullis rationibus impugnabat, quem praeter Scripturae, et Ecclesiae auctoritatem, ea ratione confutat, quod si adhuc ipse di-

dubitet, cum nullae dubitationis suae possit proferre rationes, vincatur saltem ratione humanae imbecillitatis.

Objic. III. S. Thomas *Quod- lib.* VIII. *art.* 13. docet, eum, qui plures simul praebendas possidet, *si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur . ... non committit se discrimini, nec peccat* Atqui agit ex opinione probabili, nixus *Probabilistarum* principiis, in nullam ex contrariis opinionibus dubitationem inducitur. Ergo.

℟. 1.° *Dist. maj.* Et S. *Thomas* ponit, eum, qui plures praebendas habet, sequi opinionem, quae in se ipsa vera est, nec ei probabilem videri contrariam *conc.* Secus, *neg.* Non mutilus, sed integer legendus est S. Doctoris textus. *Dicendum*, inquit, *quod quando sunt duae opiniones contrariae de eodem, oportet, alteram esse veram, et alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem magistrorum, utpote habendo plures praebendas, facit contra veram opinionem, et sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod vere liceat habere plures praebendas; et tunc distinguendum est. Quia vel talis habet conscientiam de contrario, et sic iterum peccat contra conscientiam, quamvis non contra legem; aut non habet conscientiam de contrario, seu certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, et sic manente tali opinione plures praebendas habet, periculo se committit, et sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, et sic non committit se discrimini, nec peccat.*

℟. 2.° *Neg. min.* Cum enim illud *Probabilistarum* principium sit per nos evidenter falsum; et operanti debeat saltem apparere dubium, propter gravissimos auctores, qui contrarium sentiunt, et maximi ponderis rationes, fieri non potest, ut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducatur.

Objic.

Objic. IV. Celeberrimum est utriusque juris Civilis, et Canonici principium: *In pari causa, et in pari dubio, melior est conditio possidentis.* Atqui humana libertas, quae prior est omni lege, possidet jus agendi quod libet. Ergo nisi ex hac possessione deturbetur per legem certam, potest in rebus dubiis agere quod est vel aeque probabile, vel etiam minus probabile.

℟. 1.° *Dist. maj.* In foro externo, et in rebus ad legalem sive potius forensem justitiam pertinentibus, quae indivisibiles sunt, *conc.* In rebus ad alias virtutes spectantibus, et in foro conscientiae, *neg.* Cum bona, quae sunt justitiae *objectum*, legibus humanis subjecta sint, possitque Legislator ob commune bonum dominium ex uno in alium transferre; ut aliquis esset inter cives litium finis, sapienter cautum est, ut in pari dubio potior esset eius conditio, qui possideret, si res, quae in controversiam venit, non est dividua; nam si dividua est, etiam *in pari dubio* transactio inter actorem, et reum iniri debet. In *pari* inquam *dubio*; nam si minus probabilis est causa possessoris, judex non secundum possessionem, sed secundum probabiliorem rationem judicare debet. Unde nescio quid ex hoc axiomate pro opinione minus probabili concludi possit. At in actibus humanis ad alias virtutes pertinentibus, quae non a voluntate principum; sed a lege Dei aeterna pendent, qua lex ex hominum opinionibus, et dubitatione non mutatur, *in pari dubio semitam debemus eligere rationem*, ut supra ex jure Canonico, imo et naturali ostendimus.

℟. 2.° *Neg. min.* Missa enim *metaphysica* illa quaestione, utrum libertas prior sit lege naturali, ac divina, absurdum est, libertatem hominis possidere jus agendi quod libuerit sive bonum, sive malum, cum ne in Deo quidem hujusmodi libertas sit. Quod autem lege naturali, ac divina prohibetur, malum est; ac proinde cum dubitatur, an lex aliquid prohibeat, etiam utrum illud malum sit, an bonum, dubitatur; ideoque dubia possessio libertatis est. Ipsi saniores *Probabilistae* hanc impietatem exhorruerunt, qua asseritur, libertatem hominis contra legem Dei, hoc est contra ipsum Deum possidere. Inquit enim Vasquez *in* 1a. 2a.

2a. *Disp. LXV. Cap. 3. Nec potest quis contra Deum opponere, quod melior sit conditio possidentis. Et sane quis imaginari umquam poterit, Deum litigare, et contendere nobiscum de anterioritate, et potioritate possessionis, quinimo, et succumbere in causa; si nostra possessio anterior sit?* Idem docent *Sayrus*, *Salas*, *Azorius* etc. Sed nos multa disputavimus ex professo de hoc argumento in citatis *Dissertationibus*, ubi etiam varias S. Pontificum responsiones explicavimus, quas *Probabilistae* falso contendunt, inniti possessioni libertatis; ut *Cap. Si Vir De cognat spirit. Cap. Laudabilem De frigidis*, *Cap. Litteras De restit. Spoliat. Cap. Inquisitioni De sent. excom.*

Objic. V. In jure tum canonico, tum civili statuitur, ut favores amplientur, poenae minuantur. *Cap.* 30. *De reg. Jur. in* 6. *In obscuris quod minimum est sequimur.* L. 36. ff. De reg. Jur. *Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt*, aliaque sexcenta his similia. Ergo in dubiis benigniorem pro libertate opinionem sectari debemus.

℟. *Dist. ant.* Favores ampliandi, minuendae poenae, ubi non quaeritur, utrum aliquid licitum sit, an illicitum, *conc.* Secus, *neg.* Poenae igitur in dubiis semper mitius debent intelligi, atque intelligi. Nam vel de sensu legis ambigitur, vel de crimine admisso. Si de sensu legis dubitatio est, censetur merito Legislator poenam statuisse mitiorem; alioquin mentem suam clarius explicasset; praesertim sciens contrarias de sensu Legis Doctorum opiniones. Si vero dubitatur de crimine, in mitiorem semper partem inclinandum est ex illo juris principio: *in dubiis tutior pars eligenda est*: satius enim est, absolvi nocentem, quam innocentem damnari *L.* 5. *ff. De poenis.* At cum quaeritur utrum licita, an illicita sit actio, non est benignior, sed crudelior sententia, quae libertati, seu cupiditati favet, utpote quae periculo aeternae damnationis nos objicit.

Objic. VI. Opinio probabilis est, quae nititur gravi ratione, quae virum prudentem movere possit. Ergo qui illam sectatur, prudenter agit, licet in contrarium

trarium alia sit opinio, vel aeque, vel magis probabilis.

℟. *Dist. ant.* Innititur ratione, quae virum prudentem movere posset, si contraria vel aequali, vel majori ratione non vinceretur, *conc.* Si vinceretur, *neg.* Non enim prudens, sed maxime imprudens est, qui relicta verisimiliori opinione, minus verisimilem sectatur, aut inter duas contrarias aeque probabiles opiniones positus, eam sectatur, quae cum periculo aeternae damnationis conjuncta est.

Inst. 1.° In conflictu contrariae opinionis vel probabilioris, vel aeque probabilis, non amittit prior opinio probabilitatem suam, alioquin non amplius probabilis, sed improbabilis esset opinio. Ergo habet adhuc eam vim, ut virum prudentem movere possit.

℟. *Dist. ant.* Non amittit probabilitatem suam, quae tamen in conflictu probabilioris, vel aeque probabilis, virum prudentem movere nec possit, nec debeat, *conc.* Secus, *neg.* In conflictu igitur probabilioris, vel aeque probabilis opinionis, prior illa opinio non amittit eas rationes, quae si seorsim spectarentur, virum prudentem movere possent; ideoque dicitur, non amittere probabilitatem suam. Sed in conflictu, rationes illae virum prudentem movere non possunt. Quapropter opinio non evadit improbabilis absolute, quia seorsim spectata rationes habet suas, sed in conflictu alterius improbabilis est.

Inst. 2.° Qui tutam viam ingreditur, non tenetur eligere tutiorem, alioquin omnes monasticam vitam profiteri deberent. Ergo *a pari* qui probabilem opinionem sectatur, non tenetur eligere probabiliorem, vel aeque probabilem.

℟. *Neg. cons. et parit.* Non enim peccatur contra legem; si via tutior non eligitur, quae praecepta non est, nisi sorte divina vocatio ad perfectionem viam sectandam destinaverit. At sectando probabilem in conflictu probabilioris, aut aeque probabilis, quae legi favet, periculum peccandi eligitur, et lex contemnitur.

Inst. 3.° Etiam in conflictu probabilioris opinionis mens libera est, ut assentiri possit opinioni minus probabili; licet enim ipsa fides omnibus *credibilitatis mo*-

ti-

tivis stipata proponatur, libere tamen mens assentitur. Potest igitur intellectus considerare tantummodo rationes, quae probabilem opinionem suadent, atque ex iis prudenter judicare, actionem esse licitam, idque multo magis, si rationes sint utrimque aeque probabiles.

℟. *Dist. ant.* Libera mens est, sed tamen imprudens, si minus probabili opinioni assentitur in conflictu probabilioris, *conc.* Prudens, *neg.* Quare si assentitur mens minus probabilibus mota rationibus in conflictu probabiliorum, quae rem verisimilius esse falsam suadent, imprudenter judicat, et agit. Sicut qui probabilius putare potest, escam aliquam esse venenatam, imprudenter se gerit, si ex rationibus minus probabilibus eam judicat innoxiam, et comedit. Atque idem dicas si rationes utrimque sint aeque probabiles, quae non magis uni, quam alteri parti assentiendi fundamentum praebent.

Inst. 4.° Haec exempla, quae ex periculo veneni, mortis, alteriusve gravis damni saepe proferuntur a *Probabilioristis*, ad rem non faciunt. Nam judicium operantis ab esca venenum non tollit, aut adimit, si revera sit, ideoque non aufert ab actione periculum. At qui secundum opinionem minus probabilem judicat, et operatur, aufert ab actione peccati periculum, et sine ulla dubitatione, aut scrupulo rem gerit, nixus ejusmodi ratiocinatione, seu judicio, ut ajunt, *reflexo*: *Lex dubia non obligat; sed positis utrimque probabilibus rationibus, Lex dubia est: non ergo obligat, ideoque non est malum operari quod libeat.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Lex enim naturalis, et divina, de qua hic agimus, ex dubitatione, aut opinione hominum nequaquam immutatur, ideoque semper certa est naturae lex, quae vetat agere, quod utrum malum sit, prudenter dubitari potest. Sicut ergo judicium operantis non aufert ab esca venenum, si revera est; sic et operantis judicium non aufert ab actione malitiam, si revera est ex lege naturali, aut divina, in quibus sola excusat invincibilis ignorantia: ac proinde fallax est ratiocinatio illa, quae in objectione posita

est,

est, quaeque si invalesceret, ad intolerandam traheret morum corruptelam.

Inst. 5.° Ignorantia ejus, fluctuat inter duas vel aeque, vel non aeque probabiles opiniones, invincibilis est. Cum enim et rationes, et viri doctissimi utrimque semper certarunt, et certant, non potest ad liquidam veritatem perveniri. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Si enim nemo judicat invincibilem ignorantiam ejus, qui aliquid facit natura sua malum, dum aliquis vel levis pungebat scrupulus, multo minus invincibilis ignorantia ejus est, qui ex probabilibus utrimque rationibus prudenter dubitat, Quamvis autem ad liquidam ille veritatem ejus rei, de qua contrariae opiniones sunt, pervenire non possit; non pótest tamen invincibiliter ignorare naturae legem, quam ipsi Gentiles cognoverunt, ut in dubiis partem eligamus tutiorem, et peccati, atque aeternae damnationis periculum vitemus.

Inst. 6.° Lex non satis promulgata non obligat. Atqui ubi contrariae opiniones sunt, gravibus utrinque rationibus, et auctoritatibus confirmatae, lex satis promulgata non est. Ergo non obligat, ac proinde non extat naturae lex, quae in dubiis abstinere praecipiat; aut sequi tutiorem partem.

℟. *Neg min.* Quis enim sanus dixerit, Deum legem suam non satis promulgasse? Ignorantia ergo illa, et dubitatio non ex lege oritur, sed ex hominum vel infirmitate, vel cupiditate, quae poenae sunt originalis peccati. Objectio igitur valere dumtaxat poterit in lege humana, quam legislator sciens vario sensu a doctoribus intelligi, explicare non curat; ideoque ut non servetur, tacite videtur assentiri.

Objic. VII. Nihil est in religione periculosius, quam privatus ille spiritus, qui proprio ingenio, ac judicio omnia metiri, atque aestimare conatur; unde enim nata sunt haereses, nisi ex privato spiritu? quem si semel statueris ut regulam vel credendi, vel operandi, tot erunt diversa religionis dogmata, quot capita. Atqui doctrinà eorum, qui affirmant, non posse agi secundum probabilem opinionem, moralem Theologiam, quae religionis non ultima pars est, trahit ad privatum

tum spiritum. Quod enim uni probabilius videtur, alteri videbitur minus probabile, et auctores, qui apud unum graviores sunt, apud alterum leviores, et ignobiliores habentur; nec major auctorum numerus probabiliorem opinionem facit, ut patet experientia, qua vidimus, in morali Theologia saepe majorem auctorum partem numero vincere, ac superare meliorem. Nulla igitur ratio inveniendi, qua probabilior opinio sit, nisi privatus cujusque spiritus. Ergo.

℟. *Neg. min.* Qui enim docent, aut inter opiniones aeque probabiles sectandam esse tutiorem, aut non esse sectandam minus probabilem, quae libertati, sive cupiditati favet, non asserunt, majorem probabilitatem proprio ingenio, ac spiritu esse aestimandam; sed ex Scripturarum, et Patrum auctoritate, quod longe abest a spiritu privato haereticorum. Ipsi *Probabilistae*, Scripturis, et Patribus neglectis, *modum opinandi invexerunt alienum ab Evangelica simplicitate. Sanctorumque Patrum doctrina*; ut loquitur *Alexander VII.* atque hac ratione varias vulgarunt opiniones quasi probabiles, quae ipsos Epicureos pudore affecissent. Mirum est igitur, haec ab illis objici. Quod vero pertinet ad auctorum gravitatem, scimus, *Probabilistas* nihili facere auctoritatem adversariorum. Sed nos dicimus, eos esse graves auctores, qui nec aliquid docuerunt a Sede Apostolica damnatum, nec modum opinandi adhibuerunt alienum ab Evangelica simplicitate, et Sanctorum Patrum auctoritate; imo vel ab ipsa Sede Apostolica, vel a plurium Episcoporum judicio commendantur.

Inst. In opinionum conflictu pauci sunt, si qui sunt, qui valeant utriusque partis librare rationes, ac definire, quaenam probabilior sententia sit. Atqui regula morum communis omnibus esse debet. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Qui enim tardiori sunt ingenio, doctiores consulere possunt, aut proprios Pastores. Ad hoc etiam institutae sunt *Casuum Congregationes*, ac veluti concilia, in quibus plurium Theologorum collatis consiliis *Benedictus XIII.* in Concilio Romano statuit, decidendas esse quaestiones iis doctrinis, quae *veriores, magisque fundatae* videbuntur. Regula quidem com-

munis

munis est omnibus ipsa lex. In ejus regulae applicatione qui proprio ingenio diffisus falli metuit, metuere autem unusquisque debet, consilia cum sapientioribus conferre poterit.

Objic. VIII. Omnes fere saeculi XVI. Theologi, qui sunt innumeri, multi etiam doctrina, et pietate illustres, paucissimis exceptis, *Probabilismum* sectati sunt. Quis autem dicat, aut omnes illos esse damnatos, aut Ecclesiam fuisse toleraturam eorum doctrinam adeo publicam, et communem, si falsa esset, tantamque perniciem afferret, quantum nos praedicamus? Ergo.

℞. *Dist. maj.* Et ille auctorum numerus; quorum alter alterum velut ovis ovem secuti sunt, non aufert doctrinae novitatem, quae patet legenti veterum Patrum monumenta, *conc.* Secus, *neg.* Itaque tot illis auctoribus Ecclesiae totius per XVI. saecula traditionem opponimus. Nec concedimus, *Probabilismi* doctrinam fuisse ea aetate communem, licet longe lateque pervagantem. Nam ipsi veteres *Probabilistae* fatebantur, contrariam doctrinam communem esse. Deinde non desuerunt in Ecclesia viri docti, qui *Probabilismum* confutarint. Ceterum quidquid fuerit de privatis Theologis, quid Concilia, quid Sedes Apostolica de *Probabilismo* sentirent, supra declaravimus. Unde Ecclesia novam illam doctrinam non probabat, sed prudenti consilio nondum censuit ad eam expresse damnandam, propter temporum iniquitatem, veniendum esse. Utrum autem damnati sint *Probabilismi* auctores, quis est adeo temerarius, qui judicet, cum jam illos judicaverit Deus, qui, ut nos credimus, illis bona fide errantibus pepercit?

Inst. 1.° Nuper *S. R. Congregatio* opera *Alphonsi Ligorii* ad examen revocavit, iisque mature expensis, eum declaravit *Venerabilem* (a), nihilque in ejus scriptis esse declaravit, quod ejus *canonizationi* impedimento esset. Ergo probavit ejus doctrinam de opinionibus aeque probabilibus.

R.

(a) Haec scilicet scribebat auctor antequam *Ligorius* in Beatorum album relatus esset.

℟. *Neg. cons.* Numquid enim Ecclesia *S. Cyprianum* venerans probat ejus doctrinam de baptismo haereticorum? Potuit ergo errare bona fide *Ligorius*, et ex aliis ejus virtutibus, et miraculis, judicari, nihil ejus sanctitati offecisse, quod erraverit (*a*).

Inst. 2.° Si potuit ille vir, *Probabilismum* totis viribus defendens, salvus fieri; quidni poterunt et alii ejus doctrinam sequentes? cum certe gravius sit peccatum docere malum, quam alterius sequi doctrinam. Ut quid ergo laqueum aliis injicere volumus doctrinis tetricis, et rigidioribus?

℟. Poterunt et alii salvi esse, si ejus virtutes adeo exaequent, ut judicari possit, illos eadem bona fide, non superbia, aut cupiditate, doctrinam cupiditati faventem esse amplexos. Sed non inde sequitur, mutari posse veritatem doctrinae, quam asseruimus, aut Traditionem aboleri (*b*).

Objic. IX. Sententia duabus his propositionibus exposita, viros religiosos innumeris subdit anxietatibus, ac

---

(a) Adversarii, qui hoc decretum S, C. jactant, audiant id quod ait Benedictus XIV. *Lib II. de Beatorum canonizat. Cap.* 34. *Hoc unum pro coronide addendum esse videtur nunquam posse dici a S. Sede approbatam Servi Dei doctrinam, sed ad SUMMUM dici posse non reprobatam, si revisores retulerunt, nihil in ejus operibus reperiri, quod adversetur decretis Urbani VIII. et judicium Revisorum fuit a Sacra Congregatione approbatum, et a S. Pontifice confirmatum; praedictamque idcirco doctrinam debita cum reverentia posse citra ullam temeritatis notam impugnare, si modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei servus, qui scripsit, inter Beatos, aut sanctos fuerit relatus.* Celebris est responsio Nicolai Monachi *in Epistola ad Petrum Cellensem quae est* 9. Lib. 9. *inter Epistolas Petri Cellensis*: Sanctus ille Bernardus, quem dicis, me debita exueri veneratione . . . quondam Sanctorum cataloge adscriptos, nuper est in Ecclesia canonizatus, et ab humano judicio exemptus: exemptus, inquam est, ne de ejus gloria dubitemus, sed non ut minus de ejus dictis disputemus.

(b) *Ceterum* B. Alphonsi Ligorii *quaedam retractatio typis edita antequam Beatorum catalogo adscriptus esset, circumfertur.*

ac scrupulis, ne non bene rationes ponderaverint, ne ex occulto animi vitio probabilius judicaverint, quod revera minus est probabile. Contra vero *Probabilismus* omnes eximit scrupulos, animum erigit, efficitque revera jugum Domini suave, ac onus leve. Dum enim quis obfirmata conscientia licere judicat quod probabile est, inter varios opinionum aufractus, ac vana timidiorum hominum terriculamenta tutus, ac laetus ingreditur.

Neg. ant. quoad utramque partem. 1.° Enim viri religiosi dum ex sincero salutis suae desiderio, et Dei amore illum orant, ut vias suas eis demonstret, et consiliis eorum acquiescunt, quos spiritu Dei plenos esse, ex operibus cognoscunt; possunt quidem abjectis scrupulis quiete operari, non tamen sine illo salutari metu, qui sanctos ipsos eximios usque ad mortem comitari debet, ne forte labantur. 2.° Qui *Probilismum* sectatur, longe majoribus objicitur anxietatibus, nisi longa consuetudine *cauteriatam conscientiam* habeat. Nititur enim ille principio, ac doctrinae, quam per XVI, saecula ignoravit Ecclesia, improbavere Patres, Sedes Apostolica si non expresse, saltem implicite damnavit, totque Concilia, Episcopi, virique doctissimi impugnarunt, atque impugnant. Quomodo igitur tam debili, aut saltem dubio fundamento innixus non trepidabat, ac horrore labescet? Jugum autem Domini suave est propter charitatem, et Dei auxilium, ut supra diximus.

Inst. Rusticus, qui bona fide sacerdotis *Probabilistae* consilia sequitur, tutissime agit, nec culpae damnari potest. Atqui sola eum excusat *extrinseca* probabilitas, innixa scilicet auctoritati Sacerdotis. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si Sacerdotem ipse elegit, quem publice constat, esse laxioris doctrinae sectatorem, ut ab eo consilia cupiditati placentia audiret, quae res est frequentissima, *neg.* Si pastorem suum adiit, aut bona fide quaesivit Sacerdotem, qui vir doctus, ac pius publice haberetur, *conc. Dist.* etiam *min.* Sola eum excusat probabilitas unica, *conc.* In conflictu probabilioris, *neg.* Rusticus igitur si de sua salute sollicitus aut proprium Pastorem adit, quem doctrina

at

ac pietas commendat, aut alium Sacerdotem, quem doctum, ac sanctum esse vel fama, vel opera ipsa praedicant; ideo excusatur, quia innititur opinioni unice probabili, nesciens esse alios auctores, aliasve rationes, quae contrarium suadeant. Unde non sequitur probabilem opinionem in conflictu alterius aeque probabilis, aut probabilioris. Sed si Sacerdotem quaesivit de industria laxiorem, non excusatur; quia tunc scivit, vel scire potuit, esse alios Sacerdotes, qui contrarium docerent, quosque data opera vitavit.

PROPOSITIO IV.

Licet sequi opinionem longe probabiliorem libertati faventem, relicta tutiore, sed minus probabili, quae legi faveat, nisi lex sit de rebus necessariis ad salutem necessitate medii.

Prob. I. ex script. Eccl. VII. 17. Nolis esse justus multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescat; quibus verbis insinuatur, ne plusquam satis est, certitudinem justitiae quaeramus, atque ita semper inter incerta fluctuantes obstupescamus. At qui sequitur opinionem longe probabiliorem, jam justitiam, quantum satis est, diligit, quid enim aliud exigi ab homine potest, quam ut si quando veritas inveniri certo non possit, id faciamus, quod longe verisimilius est? Ergo.

Prob. II. Ex damnatione contrariae sententiae in illa propositione ab *Alexandro VIII.* notata: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles, probabilissimum*, quam Theologi quidam Lovanienses tuebantur, asserentes, opinionem quantumvis probabiliorem pro libertate non esse sequendam, sed solummodo tutiorem, etsi minus probabilem.

Prob. III. Ex illa juris regula *Cap. 3. de reg. Jur. in 6.° Qui certus est certiorari non debet*, idest qui judicium prudens, ac moraliter certum de re aliqua informare potuit ex gravioribus, ac verisimilioribus rationibus, is certiorem, ac tutiorem viam non tene-

tur sectari, *ne forte*, ut inquit sapiens, *obstupescat*.

Prob. 2a. pars. In iis, quae *necessitate medii* ad salutem necessaria sunt, quaecumque occurrat probabilitas, finis tamen obtineri non potest, nisi res ipsa, quae a lege praecepta est, revera habeatur, ut diximus de fide mysteriorum SS. Trinitatis, et Incarnationis, de necessariis ad valorem Sacramentorum etc. Atqui ea, quae necessaria sunt *necessitate medii*, sunt etiam necessitate praecepti necessaria, ut alibi docuimus. Ergo in iis rebus non probabilior, sed tutior opinio sectanda est.

Dices. cont. 1m. part. Qui sequitur opinionem quantumvis probabiliorem, quae libertati favet, relicta tutiore, periculo peccandi se objicit. Atqui id numquam licet. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Objicit se periculo remoto, ac levissimo, quod in actibus humanis contemni debet, *ne obstupescamus*, *conc.* Objicit se periculo proximo, *neg.* In actibus itaque humanis non *metaphysica*, sed moralis certitudo requiritur, quam moralem certitudinem satis habet qui rationibus innititur adeo probabilioribus, ut spectata etiam negotii magnitudine, ac periculo, contrariae rationes contemnendae videantur.

Scholion.

Diximus supra, Sedem Apostolicam, etsi espresse adhuc *Probabilismum* non damnaverit prudenti sane consilio; tamen illum implicite in aliis damnatis propositionibus improbasse, quae scilicet evidenter ex *Probabilismo* sequuntur, ita ut damnari non possint, nisi ipse damnetur *Probabilismus*. Nam prior illa propositio: *Generatim dum probabilitate quantumvis tenui, dummodo e probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquod agimus, semper prudenter agimus*; manifeste ex *Probabilismo* consequitur, nisi forte ipse *Probabilismus* est. Quippe si licet sequi opinionem minus probabilem; etsi probabilitas tenuis sit, modo tamen sit tanta, ut opinionem efficiat vere probabilem, hoc est *dummodo a probabilitatis finibus non exeatur*, possumus secundum illam operari; quod tamen in illa

propositione damnatum est. Item alteram propositionem *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*, quis non videt, necessario nexu cum *Probabilismo* junctam esse? Si enim judex rerum spiritalium, quae maximi momenti sunt, et ex quibus salus hominis aeterna pendet, in tribunali poenitentiae judicare potest secundum sententiam minus probabilem, multo magis id poterit judex rerum terrenarum, atque caducarum in foro exteriori, si probabilitas est tuta prudentiae regula.

II. Sed quidquid ejus rei fuerit, illud saltem commodi ex damnatis illis propositionibus secutum est, scilicet *Probabilismum* nonnullis in caussis falsam esse, atque damnatam actuum humanorum regulam. Et 1.° quidem in administratione Sacramentorum, cum damnata sit ea prop. ab Innocentio XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Excipitur tantum causa extremae necessitatis, in qua satius est dubia adhibere remedia, quam nulla. 2.° In judicio caussarum temporalium in foro justitiae; cum et illa damnata sit propositio: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* 3.° In medendo, aut quandocumque timetur periculum damni alieni. 4.° Cum probabilitas tenuis est, licet revera probabilem opinionem faciat.

III. Illud etiam sapienter ab *Alexandro VII.* damnatum est axioma: *Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Non ergo sufficit unus, aut alter junior auctor, ut opinionem probabilem efficiat, nec sufficit, aliquid nondum esse Sede Apostolica rejectum, ut probabile dicatur.

IV. Ex principiis autem suis concludunt *Probabilistae*, Sacerdotem in Sacramento Poenitentiae ministrando opinionem poenitentis, etsi minus probabilem, sectari debere. Quod evidenter absurdum est, cum in omnibus judiciis reus sententiae judicis stare debeat. Ceterum si poenitens sit vir doctissimus, longe scien-

tiam

tiam Sacerdotis antecedens, neque videatur ex pravo animi affectu opinionem secutus Sacerdoti contrariam; poterit hic judicare, poenitentis opinionem esse sua probabiliorem, licet hucusque minus probabilem judicaverit.

CAP. XXIII.

De peccatis, eorumque definitione, ac divisione.

Adv. Quoniam lex est humanorum actuum regula, et quidem a summo legislatore Deo lata, qui eam servari jubet, violari vetat; idcirco quod fit contra legem, ejusque rectam applicationem, sive conscientiam, non modo malum est, quia naturae rationali repugnat, verum etiam peccatum, et offensio Dei Postquam igitur de lege, atque conscientia diximus, jam de peccatis dicendum est; quorum hic primo explicanda est natura, atque divisio.

PROPOSITIO.

Peccatum recte definitur ab Augustino Lib XXII. cont. Faust. Cap. 27. Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.

Prob. et explicatur definitio. 1.° Verba illa: *dictum, factum, vel concupitum*, explicant genus, quod peccatum cum omnibus deliberatis actibus bonis, ac malis commune habet. 2.° Illa vero: *contra legem aeternam Dei*, explicant *differentiam* peccati a quocumque alio deliberato actu. Porro tum recta definitio est, *cum omni, et soli definito convenit.* At posita definitio omne peccatum complectitur; nullum enim fingi peccatum potest, quod non a lege Dei aeterna prohibeatur; et id solum potest dici peccatum, sive offensio, et injuria Dei, quod est a lege Dei prohibitum. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Peccatum originale, et quodcumque aliud *habituale* peccatum veram peccati rationem habet. Atqui non est neque dictum, neque factum, neque concupitum, cum non sit actus, sed *habitus*. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Veram peccati rationem habent, quia ex aliquo dicto, facto, vel concupito praeterito, ac *virtualiter* permanente ortum habent, *conc.* Secus, *neg.* Peccatum igitur *habituale*, ipsumque originale peccatum, quod habituale est, ideo veram peccati rationem habet, quia est aliquod dictum, factum, vel concupitum, vel ipsius singularis hominis, vel Adami, quod *virtualiter* perseverat in animo. Illum maculans, ac deformans, donec macula illa per baptismum, aut poenitentiam deleatur.

Objic. II. Peccatum omissionis vere peccatum est. Atqui peccatum illud non est actus, sed ipsius actus debiti negatio. Ergo.

℟. *Transeat min.* Quaestio enim est inter Theologos, utrum esse possit peccatum omissionis sine ullo *positivo* actu voluntatis, quo eligit non facere quod debet. Sed *data min. neg.* Per ea enim verba: *dictum*, *factum*, *vel concupitum*, intelligitur etiam eorum actuum negatio. *Affirmatio*, *et negatio*, inquit S. Thomas 1a. 2ae. *Q. LXXI. art.* 6. *reducuntur ad idem genu*, *sicut in divinis genitum*, *et ingenitum ad relationem*, *ut Augustinus dicit in Libris De Trin*, *et ideo pro eodem est accipiendum dictum*, *et non dictum*; *factum*, *et non factum etc.*

Objic. III. Omnis humanorum actuum malitia in actu voluntatis sita est, ut supra diximus *Cap. VII.* Satis ergo erat definire peccatum, ut *concupitum contra legem Dei*, sicut et ipse *Augustinus* illud definit *Lib. de duab. animab. Cap.* 10. *Peccatum est voluntas retinendi*, *vel consequendi quod justitia vetat*, *et unde liberum est abstinere.*

℟. *Dist. ant.* Sita est in actu interiori voluntatis; ita tamen ut actus interior reddatur ab actu esteriori ve-

vehementior, et cum illo unum actum efficiat, *conc.* Secus, *neg. Augustinus* autem ideo aliquando peccatum ex sola voluntatis perversitate describit, quia praecipue a voluntate, tamquam a principio, omnis actus bonitas, ac malitia oritur.

Objic. IV. Non omne peccatum est contra legem Dei aeternam: nam etiam id, quod fit contra legem Dei positivam, aut contra legem humanam, peccatum est, licet non sit a lege Dei aeterna vetitum, nec sit prohibitum, quia malum, sed malum, quia prohibitum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ipsa enim Dei aeterna lex servari jubet ordinem, ideoque jubet servari leges positivas quae vel ab ipso Deo, vel ab hominibus legislatoribus positae sunt.

Objic. V. Peccatum veniale vere peccatum est. Sed ut inquit S. Thomas 1*a.* 2*ae.* *Q. LXXIV. art.* 9. *et al.* peccatum veniale *non est contra legem*, *sed praeter legem*. Ergo.

℟. *Dist. min.* Non est contra legem absolute, et simpliciter, *conc.* Non est contra legem secundum aliquam rationem, *neg.* Legis ergo plenitudo est charitas, ideoque quod charitatem non destruit, ipsam legem non destruit, ac proinde dicitur non esse contra legem absolute; licet contra legem ipsam sit, si consideretur omnimoda legis perfectio, atque integritas. Sic filius, qui voluntati patris obsequitur, sed non tanta alacritate, ac prompti animi significatione, quantam optasset pater, non dicitur agere absolute contra patris voluntatem, sed contra illam agit, quoad obediendi modum.

PRO-

PROPOSITIO II

Varia est, ac multiplex peccatorum divisio.

Prob. enumeratione. Dividitur 1.° peccatum in *originale*, quod ex Adamo trahimus, et *personale*, quod propria peccantis voluntate committitur. De originali autem peccato quoniam satis egimus *Lib. V. Part.* 4. de *personali* tantummodo hic dicemus.

Dividitur 2.° peccatum *personale* in *actuale*, et *habituale*. Prius est ipse actus humanus aeternae legi contrarius; posterius vero est macula, ac reatus ex actu praeterito permanens.

3.° Rursus peccatum *actuale* ratione potentiae vel spiritus, vel corporis, per quam committitur, dividitur in peccatum cordis, oris; et operis. Prius est, quod sola voluntate fit, ut odium, haeresis etc. Alterum, quod lingua committitur, ut blasphemia, mendacium etc. Tertium, quod externo opere patratur, ut furtum, homicidium etc. Licet autem peccatum cordis non semper cum peccato oris, aut operis conjunctum sit; numquam tamen peccatum oris, aut operis sine peccato cordis esse potest; quod tamquam prior ejusdem peccati gradus in corde praecedit, ut S. Thomas advertit 1a. 2ae. *Q. LXXII. art.* 2.

4.° Ratione vero *objecti* dividitur *actuale* peccatum in peccatum contra Deum, contra proximum, et contra seipsum. Quamvis enim omnia peccata contra legem Dei, ideoque contra Deum ipsum pugnent, tamen quia nonnullae virtutes *αμεσως* ad Deum ipsum referuntur, ut fides, spes, charitas; aliae ad proximum, ut justitia, misericordia etc. aliae denique ad seipsum, ut temperantia, fortitudo etc. ideo prout peccata variis illis virtutibus opponuntur, varia dicuntur esse ratione *objecti*.

5.° Ratione modi dividitur in *peccatum commissionis*, quo violatur praeceptum *negativum*, quod semper obligat: et *omissionis*, quo violatur praeceptum *affirmativum* loco, ac tempore opportuno, quo obligat.

6.°

6.° Ratione *subjecti* dividitur in carnale, et spirituale. Illud in carnali delectatione, ut gula, luxuria etc. est positum; hoc vero in spirituali perversa delectatione consistit, ut superbia, ira, invidia etc. Apostolus tamen *Galat. V.* omnia peccata vocat *opera carnis*.

7.° Dividitur in peccatum simpliciter dictum, et peccatum in Spiritum Sanctum, quo scilicet repelluntur, aut impugnantur gratiae dona, ideoque remitti non posse dicitur neque in hoc saeculo, neque in futuro *Matth. XII.* sicut morbus insanabilis dicitur cum aegrotus medicinam respuit, licet possit Deus illum mirabiliter sanare, et peccatorem ejusmodi convertere, quod raro accidit.

8.° Dividuntur peccata in capitalia, et ea quae ex capitalibus velut e fontibus oriuntur. Sunt autem ex Gregorio M. *Lib. XXXII. Mor. cap.* 17. peccata capitalia septem, superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, et acedia.

9.° Dividitur etiam in peccatum ignorantiae, infirmitatis, et malitiae, sive ut alii accuratius dicunt, *ex ignorantia*, *ex infirmitate*, *et ex malitia*. Primum est, quod ex vincibili ignorantia vel juris, vel facti committitur; alterum, quod fit ex antecedente passione; tertium, quod ex libera ipsius peccati electione de industria committitur.

10.° Celebris est peccati divisio in mortale, et veniale; de qua gravissima est inter catholicos, et haereticos controversia.

11.° Nuperi vero quidem Theologi novam excogitarunt peccati divisionem in *Philosophicum*, et *Theologicum*. Peccatum *Philosophicum* appellant actum humanum naturae rationali repugnantem: Theologicum vero actum humanum amicitiam Dei solventem, atque aeterna poena dignum. Et quidem omne peccatum utcumque gravissimum in eo, qui actu non cogitat de Deo dum peccat, dicunt esse peccatum *philosophicum*, quod nec amicitiam Dei dissolvit, nec aeternam meretur poenam. Quo principio posito, nullum erit fortasse peccatum theologicum, nec poenis aeternis dignum; quis enim dum peccat, de Deo

actu cogitat? Merito igitur novam hanc doctrinam damnavit *Alexander VIII.* anno 1690. in ea propositione: *Peccatum Philosophicum, quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, nec peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.*

His explicatis peccati divisionibus, nos primo de *actuali*, deinde de *habituali* disseremus. Et de actuali quidem peccato, praetermissis aliis divisionibus, in quibus vel nulla controversia est, vel non tanta, ut rem faciat impeditam, atque obscuram, 1.° de divisione peccati actualis in *mortale*, et *veniale* disputabimus; 2.° Vanam illam confutabimus divisionem peccati philosophici, et theologici, qua nihil poterat excogitari pestilentius.

CAP. XXIV.

De peccato mortali, et veniali.

Tria sunt, quae de hac divisione peccati scitu maxime necessaria, expendemus. 1.° Utrum revera extet ea peccatorum distinctio, ut alia mortalia sint, alia vero venialia, 2.° Qua in re sita sit inter mortale, ac veniale peccatum differentia. 3.° Quaenam conditiones efficiant, ut peccatum censeri debeat mortale.

§. I.

Utrum vera sit peccati distinctio in mortale, et veniale.

Adv. I. Lutherani, et Calvinistae negant, esse peccata natura sua venialia. Nam ut diximus *Lib. VII.* in eorum systemate concupiscentia mortale peccatum est, omnia hominum opera inficiens. Sed in justis, et praedestinatis propter eorum fidem, sive fiduciam in Deum, peccata illa non imputari docent. In infidelibus vero, ac reprobis imputari, et esse mortalia; ita

ut non ex natura peccati, sed ex *subjecti* varietate peccata aut omnino non imputentur ad culpam ne levem quidem, aut imputentur in culpam mortalem aeterna poena expiandam. In eumdem errorem impegisse videtur *Bajus* his propositionibus: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, et *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam*. Quas propositiones cum aliis *Pius V. Gregorius XIII.* et *Urbanus VIII.* damnarunt, ut in eodem Libro diximus.

II. Joannes vero Gerson *Lib. De vita spirituali*, et Almainus *Tract. III. cap.* 20 Joannes Roffensis *cont. art.* 32. *Lutheri* docuerunt, misericordiae Dei esse tribuendum, quo peccata venialia non puniantur aeterna poena, quam natura suâ mererentur. Quae quidem doctrina a *Lutheri*, ac *Baji* systemate longe distat. Non enim docent Auctores illi, concupiscentiam reddere omnia opera hominum peccata mortalia, quae justis propter fidem non imputantur; imo agnoscunt peccata quaedam, quae charitatem natura sua non destruunt, nec Dei amicitiam dissolvunt, quaeque ideo *venialia* dicuntur; quamvis putent, misericordiae Dei tribuendum esse, quod vel in vita hominis, vel post mortem aliquando remittantur, nec puniantur aeterna poena.

PRO-

PROPOSITIO I.

Est dogma fidei, esse peccata quaedam natura sua mortalia, quaedam autem venialia, quae Dei amicitiam non dissolvunt, ideoque vera est distinctio peccatorum in mortalia, ac venialia.

Prob. I. ex Scripturis, in quibus 1.° quaedam memorantur peccata a viris justis patrata, quae tamen fuere mortalia, eosque justitia spoliarunt. Quis enim negaverit, peccatum Adae, qui sine dubio justus erat ante peccatum, imo et praedestinatus, fuisse mortale, ut omnes docent Patres, et manifeste eruitur ex gravitate poenae? Quis dubitaverit, mortale fuisse peccatum *Davidis*, *Salomonis*, *Petri*, qui tamen ante peccatum justitiae laude in Scripturis commendantur? 2.° Quaedam e contrario peccata in se ipsis levia in Scripturis dicuntur, si cum aliis comparentur gravioribus. *Matth. VII.* 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? .... Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Levia autem ista peccata non dissolvere Dei amicitiam, patet non solum ex *oratione Dominica*, in qua omnes justi jubentur dicere; *Dimitte nobis debita nostra*, verum etiam ex ablutione pedum, qua Christus in ultima coena significavit, viros etiam sanctitate insignes quasdam ex usu rerum terrenarum maculas contrahere, ut communiter Patres ablutionem illam explicant. Ergo non ex hominis conditione, sed ipsa per se peccata sunt vel mortalia, quae viros etiam justos sanctitate spoliant, ideoque et poenis aeternis addicunt; vel venialia, quae ab ipsis justis admissa non eos justitia privant, ideoque nec vita aeterna. Unde dicitur *Matth. V.* 22. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis*, quibus ex verbis patet, non omnia peccata gehennam ignis mereri.

Prob.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Origenes *Hom. XXXV. in Luc.* Tertullianus *Lib. De anima cap.* 17 Cyprianus *Ep. LII.* aliique in verbis illis Christi Domini *Luc. XII.* 59. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas*, per novissimum minutum intelligunt venialia peccata, quae punientur quidem, sed non in aeternum. 2°. Ambrosius *Serm. XX. in Psalm. CXVIII.* Hieronymus *Lib. II. cont. Jovin.* Gregorius M. *Lib. IV. Dialog. cap.* 39. in verba illa Apostoli *I. Cor. III.* 12. *Si quis superaedificat super fundamentum hoc* (nempe Christum) . . . . *ligna, foenum, stipulam* . . . *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, docent, igne illo leviora peccata expiari, ac puniri, ita tamen ut aeternam salutem non adimant. 3.° Augustinus *Enchrid. cap.* 22. *Non ideo*, inquit, *mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnumquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat* Et cap. 71. *De quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.* Idem docet Concilium Milevitanum *Can.* 6. 7. et 8. Unde Tridentinum *Sess. VI. cap.* 11. *Licet*, inquit, *in hac mortali vita quantumvis Sancti, et justi in levia saltem, et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea desinunt esse justi.*

Prob. III. *ratione.* 1.° Si peccata omnia gravia essent, quae tamen justis non imputarentur; sequeretur, idem peccatum in infideli quidem puniri poena aeterna, in justo vero nulla, ne levi quidem poena plecti. Sed hoc absurdum est; cum, caeteris paribus, excusabilior sit infidelis, quam fidelis unde inquit Apostolus *Heb. X.* 29. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit; in quo sanctificatus est, et spiritus gratiae contumeliam fecerit?* 2.° quaedam peccata natura sua charitatem destruunt, quaedam vero non destruunt, sicut et inter homines quaedam sunt, quae amicitiam omnino dissolvunt; quaedam vero inter amicos facile tolerantur. Ergo etc.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Scripturae docent, omnibus quibuscumque peccatis deberi aeternam poenam. Sic *Jac. II.* 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus.* At peccatum, quod veniale dicimus, revera peccatum est, et offensio: nam de his venialibus intelligunt Catholici quod ait Joannes: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus I. Joan. I.* 8. et Jacobus: *In multis offendimus omnes Jac. III.* 2. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Scripturae docent, quibuscumque peccatis, quae legis finem, nempe charitatem destruunt, deberi aeternam poenam, ita ut qui in uno offendit, quasi omnium reus evadat, *conc.* Quibuscumque peccatis, quae charitatem non destruunt, ita ut ipsis justis charitate flagrantibus subrepant, *neg.* Finis ergo, sive plenitudo legis est charitas, cum omnia legis praecepta ex primo illo, ac maximo pendeant: *Diliges Dominum Deum tuum etc. et proximum tuum sicut teipsum*; ac proinde ille absolute peccare, offendere, ac violare legem dicitur, qui ab ultimo fine avertitur, ideoque charitatem destruit; ex qua cum pendeat universa lex, qui ita in uno offendit, ut charitatem extinguat, quasi totius legis violator estimatur, ut explicat Augustinus *Epist. XXIX. ad Hieron.* Qui autem ita in aliquo offendit, ut ab ultimo non avertatur fine, ideoque nec charitatem abjiciat, ut accidit in veniali peccato; peccat quidem quodammodo, et offendit, sed non absolute, et simpliciter. Quod autem revera in peccato veniali non avertatur animus a fine ultimo, docebimus inferius.

Objic. II. *Matt. V.* 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines minimus vocabitur in regno coelorum*, idest, ut recte explicant *Chrysostomus*, et *Theophylactus*, excludetur omnino a regno coelorum. Ergo nulla sunt peccata adeo levia, quae non dissolvant Dei amicitiam, ac poenam aeternam merentur.

℟.

℞. *Neg. cons*, 1°. Minima enim maudata vocat ibi Christus, non qnae revera sunt minima, eum maxima ibi novae legis mandata proponat, et veterem a falsis Pharisaeorum interpretationibus vindieet; sed quae minima Scribis, et Pharisaeis videbantur, apud quos externa tantummodo legis violatio grave peccatum erat, non interna ejus violandae voluntas; 2.° Non dixit tantum Christus: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*; sed *qui solverit*, *et docuerit sic homines*, hoc est qui non solum illa violaverit, sed falsa etiam doctrina Evangelium impugnaverit, quod utique semper grave peccatum est, etsi revera de minimis mandatis ageretur. Ita hunc locum explicant Hieronimus *in Comment.* et Augustinus *Lib. I. De Serm. Dom. in mont. cap.* 16.

Objic. III. cum Calvino in *Antidoto Conc. Sess. VI. cap.* 12. Maximum est, et primum mandatum; *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et ex tota mente tua Matth. XXII*, 37. At quicumque vel levissime offendere videtur, non diligit Deum ex toto corde, in tota anima, in tota mente; alioquin nulla in ejus animum vitiosa cogitatio potuisset obrepere. Ergo violat maximum, et primum mandatum, ideoque finem destruit, et fundamentum legis, et graviter peccat.

℞. *Dist. maj.* Maximum, ac primum mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, nihil ei anteferendo, aut exaequando, *conc. Diliges etc.* actu continuo, ac vehementissimo, qui omnes alias excludat subrepentes cogitationes, *subdist.* Et hoc mandatum est tamquam finis in patria obtinendus, ad quem totis viribus tendere debemus in via, *conc.* Mandatum est in hac vita perfecte exequendum, *neg.* Itaque diligere Deum ex toto corde, quantum fert status viatoris, ille dicitur, qui Deum super omnia diligit, licet ei aliquando venialia peccata subrepant: nnde etiam de *David* dicitur *III. Reg. XIV.* 8. quod secutus est Deum *in toto corde suo*; cum tamen nemo dixerit, cum ab omni culpa fuisse immunem. Praecipitur tamen ut renovati de die in diem toto conatu nitamur, ad

ad eum finem pervenire in patria, ut Deum amore perfectissimo diligamus.

Objic. IV. Per ablutionem pedum in ultima Coena *Joan.* XIII. significare voluit Christus peccatorum etiam levium purgationem, ut post *Augustinum* docet *Bernardus Serm. De Coena Dom.* Atqui Christus Petro dixit: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ergo peccata utcumque levia videantur, a regno coelorum excludunt, ideoque mortalia sunt.

℟. *Dist. min.* Christus ait; *si non lavero te, non habebis partem mecum* propter inobedientiam, *conc.* Propter ipsam peccatorum levium naturam, *neg. Dist.* etiam *cons.* peccata utcumque levia excludunt a regno coelorum, donec purgentur, *conc.* In aeternum, *neg.* Duabus itaque rationibus Christus ita Petrum affatus est, 1.° quia si Petrus, Christi voluntate perspecta, obstinate restitisset, peccasset graviter; 2.° quia peccata utcumque venialia, donec vel in hac vita, vel in igne purgatorio expientur, sine dubio excludunt a regno coelorum, in quo *nihil coinquinatum intrabit Apoc. XXI.* 27.

Objic. V. Basilius in *Quaest. brev. explicatis Quaest. IV. et Quaest CCXCIII.* asserit in novo Testamento nullam inveniri differentiam gravium, ac levium peccatorum, ideoque nullum peccatum esse parvum, dicente Apostolo generatim de omni peccato; *stimulus mortis peccatum est.* Ergo etc.

℟. 1.° Opus illud merito esse eruditis suspectum, falsoque videri magno *Basilio* suppositum, cum nonnulla habeat aliis *Basilii* scriptis contraria; tribuendumque potius *Eustathio Sebasteno*, cuius errores in Concilio Gangrensi sunt damnati. Et quidem veteres huic *Eustathio* opus illud tribuisse, *Sozomenus* et *Nicephorus* auctores (*a*).

℟. 2.° Quisquis ejus operis sit auctor, nihil aliud voluit, nisi peccata nulla esse contemnenda ut parva, prae-

(*a*) Sozomenus *Lib. III. Hist. cap.* 13. Nicephorus *Lib. IX. cap.* 16. *et Lib. XIII. cap.* 29.

praesertim a Christianis, qui novum testamentum majoris perfectionis profitentur; multo magis vero a Monachis, quibus ad perfectiorem vitam informandis liber ille compositus est. Hoc et nos libenter concedimus, et profitemur; imo quisquis de peccatis venialibus aut scribit, aut loquitur, hanc debet adhibere cautionem, ut dum peccatorum venialium naturam explicat, scandalo sit lectoribus, aut auditoribus; quasi illa levia, et contemnenda mala sint; cum tamen si in seipsa spectentur, grande sint malum. Displicent enim Patri amantissimo, animam reddunt quasi scabie infectam, magnis puniuntur in altera vita cruciatibus; et quod maxime formidandum est, disponunt paulatim, si contemnantur, ad mortale peccatum, et ad aeternam damnationem. Imo omnium ferme damnatorum ruina a peccato aliquo veniali orta est; ita ut qui in veniale aliquod peccatum labitur, trepidare debeat, ne illud sit primus ad aeternam perniciem gradus.

PROPOSITIO II.

Peccata venialia non merentur natura sua poenam aeternam, ideoque non uni misericordiae Dei tribuendum est, quod revera aeterna poena non puniuntur. Est contra *Gersonem.*

Prob. Peccata, quae non auferunt homini justo adoptionem filii Dei, non merentur natura sua poenam aeternam; quandiu enim homo filius Dei manet, jus habet ad hereditatem aeternam aliquando possidendam, ut arguit Apostolus *Rom. VIII* 17. *si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coeredes autem Christi*, Atqui peccata venialia adoptionem filii Dei homini justo non auferunt. Nam illi, de quibus ait Joannes *I. Joan. I.* 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, adhuc tamen filii Dei vocabantur, et erant, ut testatur idem Joannes *Joann. III.* 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus . . . Charissimi nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus.* Ergo etc.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Minima opera bona justi praemium aeternum merentur. Ait enim Christus *Matth. X. 42. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam.* Ergo et minima peccata merentur ipsa per se poenam aeternam.

℟. *Neg. cons. et parit* 1.° Quia dare mercedem superabundantem, liberalitatis, et misericordiae Dei est, ideoque laudabile; at reposcere poenas peccato majores, et spoliare filium adoptivum hereditate sine tali culpa, quae adoptionem destruit, injustitiae est, ideoque vituperandum. 2.° Quia opera justi ex charitate facta, etsi minima videantur non minima sunt, cum ex persona, quae membrum Christi est, et ex principio, ac fine nobilissimo oriantur. At minima peccata cum non auferant justo dignitatem filii Dei, et membri Christi, nec destruant charitatis radicem, merito minima aestimantur, si cum mortalibus comparentur.

Objic. II, Augustinus *Epist. XXIX. ad Hieron. Cum Rex, inquit, justus sederit in throno, quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccato? quae igitur spes est, nisi superexaltet misericordia judicium?* Et *Lib. IX. Confes. cap. ult. Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia, discutias eam.* Ergo uni misericordiae Dei tribuendum est, quod peccata venialia aeterna non plectantur poena.

℟. *Neg. cons.* In laudatis enim locis docet *Augustinus*, neminem gloriari posse ante justum Judicem, se esse mundum a paccato vel mortali, quod saepe ipse homo non cognoscit, vel saltem veniali; ideoque si Deus ad apices justitiae suae poenas exigeret; vehementer esse homini trepidandum. Nam si peccato lethali, quod ipse nescit, obnoxio est, poenis aeternis addicetur; sin peccatis tantummodo venialibus; licet non puniatur in sempiternum, cum peccata illa charitatem non destruant, ut ibidem docet *Augustinus*, tamen si remota misericordia puniatur, tanta erit Purgatorii ignis poena, quae mala omnia vitae hujus, quae

quae excogitari possint, exsuperet, *Salvus erit, quasi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita*, ut inquit in *Psalm. XXXVII.*

Objic. III. Malum culpae etiam levissimae majus est quacumque poena; alioquin ad vitandum grave aliquod malum liceret peccatum veniale committere, quod repugnat; si enim liceret, non esset amplius peccatum. Ergo potest Deus, si misericordia uti nolit, peccata etiam levissima aeterna poena punire; ideoque uni est misericordiae tribuendum, quod ita non puniat.

℞. *Neg. cons.* Quamvis enim malum poenae, quod non est malum *simpliciter*, sed *secundum quid*, nempe malum ipsi patienti, minus sit quacumque etiam levi culpa, quae simpliciter malum est; non sequitur tamen, eadem poena puniri posse levia, ac gravia peccata. In poenis enim infligendis non aequalitas poenae cum culpa, sed proportio spectanda est, ut gravior culpa graviori poena plectatur, leviori levior, ac proinde, si peccatum, quod charitatem destruit, hominemque privat adoptione filii Dei, punitur aeterna poena, ac privatione hereditatis, quae adoptioni debebatur; peccatum veniale, quod adoptionem illam non destruit, temporali poena plecti debet, ne idem sit simul filius, et exheres.

Objic. IV. Si Deus peccatum veniale numquam remitteret, in aeternum punire posset, ut patet in damnatis, in quibus Deus non solum mortalia, sed etiam venialia peccata in aeternum punit. Atqui ex misericordia Dei est, quod Deus peccata venialia per gratiam suam ex meritis Christi remittat. Ergo etc.

Dist. min. Ex misericordia sola, *neg.* Ex misericordia simul, et justitia, *conc.* Cum ea sit venialium peccatorum natura, ut ipsa per se charitatem, et adoptionem filiorum Dei non destruant, est quidem misericordiae Dei, ut per gratiam ex meritis Christi justus peccata venialia aut in hac vita deleat, aut in altera vita suffragiis sanctorum adjutus non tantum luat, quantum ex justitia deberet, breviato scilicet poenarum tempore ac modo. Sed non est hoc solius misericor-

diae Dei, tum quia justus ex Dei promissionibus talem misericordiam meretur ut advertit *Augustinus*, qui *Lib. De corrept. et grat. Cap.* 13. ait, misericordiam Dei reddendam esse bonis justorum meritis, tum quia si Deus nullam justo gratiam largiri vellet ad venialia delenda ante mortem, velletque omnino totam poenam ipsis debitam a justo reposcere, non posset sempiternam, sed temporalem tantum poenam exigere, ne filium adoptivum in sempiternum hereditate privaret. Quod ergo in damnatis Deus peccata venialia aeterna poena plectat, non ex ipsius peccati venialis natura proficiscitur, sed *per accidens* ex conditione *subjecti*, quod nullius boni operis, aut charitatis capax est.

§. II.

Qua in re sita sit inter peccatum mortale ac veniale differentia.

Adv. Quamvis constet inter Catholicos distinctio peccatorum lethalium, ac venialium, non aeque tamen inter Theologos convenit, qua in re illa distinctio sita sit. Scotus enim *in I. Dist. XI. quaest.* 1. opinatur, in eo peccatum mortale a veniali discerni, quod prius pugnet contra praeceptum aliquod, posterius contra consilium. Alii putant, in eo distingui, quod peccatum mortale poenae aeternae reatum inducit, veniale vero poenae temporalis; alii alia excogitarunt discrimina.

PRO-

PROPOSITIO.

Peccatum mortale in eo a veniali distinguitur, quod prius sit aversio a Deo, et conversio ad creaturam tamquam ad finem ultimum, posterius vero sit quidem conversio ad creaturam, salvo tamen aliquo ordine ad Deum, tamquam ad ultimum finem.

Prob. In eo res quaelibet a se invicem distinguuntur, quod illarum naturam constituit. Atqui natura peccati mortalis sita est in aversione a Deo, et conversione ad creaturas, tamquam ad ultimum finem, peccati vero venialis in conversione ad creaturas, salvo tamen aliquo ordine ad Deum ut ad ultimum finem. Nam in eo sita intelligitur natura rei, quod primum in re ipsa consideratur, ex quo, tamquam ex radice omnes rei ipsius proprietates manare intelliguntur. Atqui aversio a Deo, et conversio ad creaturas, tamquam ad finem ultimum, est primum illud, quod in peccato mortali consideratur, ex quo velut ex radice omnes ejus proprietates manant: in peccato vero veniali conversio ad creaturas, salvo ordine aliquo ad ultimum finem. Ergo etc.

Prob. min. quoad 1.m part. Praecipuae peccati mortalis proprietates sex numerantur a Theologis. Nam 1.° charitatem destruit. 2.° Est offensio Dei quodammodo infinita. 3.° Animae mortem spiritalem infert. 4.° Malum quodammodo infinitum animae affert. 5.° Est malum suâ natura irreparabile. 6.° Reum facit hominem poenae aeternae. Atqui haec omnia ex ipsa aversione a Deo, et conversione ad creaturam, tamquam ab radice manare intelliguntur. Ergo ipsa aversio, et conversio est peccati mortalis natura.

Et 1.° quidem ex aversione illa, atque conversione destructio charitatis consequitur. Charitas enim est conjunctio cum Deo (amor enim amantem cum amato conjungit) et omnia ad ipsum Deum refert; ut ad ultimum finem: aversio vero a Deo sejungit, et omnia

refert ad creaturam, nempe ad peccantem ipsum ut ad ultimum finem; ac proinde ex adverso cum charitate pugnat, ita ut simul cum illa esse non possit. Unde qui mortale peccatum admittunt, idololatrae vocantur I. Reg. XV. 23. *Quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere.* Colos. III. 5. *et Ephes, V.* 5: *avaritia est simulacrorum*, sive *idolorum servitus*, quia scilicet homo seipsum quasi Deum facit, ultimum finem in seipso constituens. Porro destructa charitate, quae aliarum virtutum moralium in justificatione infusarum fundamentum erat, ut *Lib. VII. cap.* 20. diximus, virtutes ipsae destruuntur.

2.° Ex aversione a Deo sequitur offensio Dei quodammodo infinita. Nulla enim major esse injuria potest, quam rationem ultimi finis, sive divinitatem ipsam Deo auferre conari, eamque in creatura constituere; quae quidem injuria cum crescat pro ratione personae laesae, ac vilitate laedentis, ut in *Lib. VI.* explicavimus, est infinita vel intrinsecus, vel extrinsecus ratione *objecti* (de hoc enim disputant Theologi); vel saltem ordinis est superioris, et quodcumque malum excedit.

3.° Ex aversione a Deo mors animae spiritalis infertur; sicut enim moritur corpus cum ab anima sejungitur, quae vita est corporis, illud movens, ac regens; sic moritur anima cum a Deo sejungitur, qui est animae vita spiritalis, illam scilicet Spiritu Sancto ad actus supernaturales, ac *meritorios* incitans, ac movens.

4.° Malum animae infertur per aversionem a Deo quodammodo infinitum; privatio scilicet summi boni, ac infiniti.

5.° Malum illud natura sua irreparabile est. Sicut enim mors corporis naturaliter reparari non potest, extincto scilicet principio vitali; ita nec animae mors, postquam principium spiritalis vitae ab illa recessit, natura sua reparari potest. *Qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem, et ideo dicitur peccare mortaliter, aeternaliter puniendus*, inquit S. Thomas 1a. 2ae. Q. LXXII. art. 5.

6.°

6.° Denique poena aeterna ex aversione a Deo consequitur, tum quia aversio illa injuriam Deo infert quodammodo infinitam, vel saltem superioris ordinis, ut paulo ante diximus; ideoque illi poena infinita saltem quoad durationem respondere debet: tum quia aversio a Deo, ut mox ostendimus, natura sua irreparabilis est; ideoqoe quandiu perdurat, perdurat autem natura sua in aeternum, tamdiu puniri debet. Ergo etc.

Prob. 2.° min. quoad 2m. part. Licet peccatum veniale sit inordinatus actualis amor creaturae, qui non refertur, nec referri potest ad ultimum finem Deum, non tamen impedit, quominus is, qui venialiter peccat, habitu referat seipsum ad Deum, quem habitu diligit ut ultimum finem; ac proinde peccatum veniale est conversio ad creaturam, salvo tamen aliquo ordine, saltem *habituali* ad Deum, ut ad finem ultimum. Quod quidem S. Thomas saepe repetit, ac ponit ut certum. Ait 1a. 2ae. Q. LXXXVIII. art. 1. *Veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem.* Atqui ex hoc sequuntur omnes peccati venialis proprietates. Nam 1.° servato aliquo ordine ad Deum, ut ad finem ultimum, non solvitur amicitia Dei, nec destruitur charitas, ideoque nec reliquae virtutes morales infusae. 2.° Non infertur Deo infinita injuria, cum ei non auferatur ratio finis ultimi. 3.° Cum non solvatur Dei amicitia, nec charitas destruatur, non recedit Deus ab anima, ideoque non sequitur spiritalis mors animae. 4.° Nec malum infinitum animae infertur, cum non amittatur infinitum bonum, sed finitum, ipse scilicet charitatis fervor. 5.° Malum illud non est sua natura irreparabile; sicut enim corporis morbus, qui principium vitae non destruit, ex principio vitali adhuc manente sanari potest, sic manente spiritali vita animae, veniale peccatum reparari potest. 6.° Denique poenam infinitam non meretur, cum non solvatur amicitia Dei, nec auferatur adoptio filii Dei. Ergo etc.

Haec autem luculenter illustrat S. Thomas 1a. 2ae. Q. LXXII. art. 5. *Deordinatio*, inquit, *mortis, quae est per remotionem principii vitae, est irreparabilis se-*

secundum naturam, inordinatio autem aegritudinis reparari potest propter id, quod salvatur principium vitae. Similiter autem est in his, quae pertinent ad animam. Nam in speculativis qui errat circa principia, impersuasibilis est: qui autem errat salvatis principiis, per ipsa principia revocari potest. Et similiter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem, et ideo dicitur peccare mortaliter, aeternaliter puniendus, qui vero peccat citra aversionem a Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia salvatur principium, et ideo dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, ut mereatur interminabilem poenam.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Nemo peccans averti vult a Deo, eique rationem ultimi finis auferre, et in creatura constituere. Ergo non in eo constituenda est natura peccati mortalis.

℟. *Dist. ant.* Nemo id vult *formaliter*, *conc.* Nemo id vult *implicite*, et per interpretationem (a) *neg.* Qui ergo voluntatem Dei absolute praecipientis contemnit, et voluntati suae postponit, revera ultimum finem suum in creatura constituit, quam diligit plusquam Dei voluntatem, ideoque plusquam Deum, etsi id expresse non intendat.

Objic. II. Qui peccat ex ignorantia vincibili, putans scilicet obsequium se praestare Deo, cujusmodi multos fore praedicit Christus *Joan. XVI.* 2., Ecclesiae persecutores, is utique non seipsum diligit plusquam Deum. Unde Chrysologus *Serm. CLVII.* de Paulo adhuc Ecclesiae persecutore ait: *In Deum Dei amore peccabat.* Ergo;

(a) Schol. *interpretativè.*

℟. *Neg. ant.* Quod enim vel ex ignorantia vincibili, vel ex inordinato zelo committitur, ex amore creaturae procedit. Ex eo enim amore fit, ut quis negligat quaerere, quae scire debet.

Objic. III. Si is, qui peccatum mortale admittit, ultimum finem suum in creatura constitueret, in ea certe constitueret creaturam, propter quam peccat, seu quae peccati *objectum* est. Atqui id falsum est. Neque enim avarus, aut fur *ex. gr.* refert omnia ad pecuniam, ut ad ultimum finem, quod manifestum est in eo, qui furatur, ut homicidium patrare possit. Ergo.

℟. Missis variis Theologorum responsionibus, *neg. maj.* Creatura enim, in qua peccator ultimum constituit finem, non est peccati *objectum*, sed ipse peccans; cum peccator ad suam ipsius cupiditatem explendam referat, quod peccando diligit. *Finis ultimus*, inquit, S. Thomas *in II. Dist. XLII. Q. 2. art. 1. in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem alia quaerit. Et ideo si radix peccati accipiatur ex parte ipsius peccantis erit una; si autem sumatur ex parte eorum, quae propter seipsum quaerit, erunt plures.* Quod ex *Augustino* desumtum est, qui peccatum ait esse *amorem sui usque ad contemtum Dei.*

Inst. Si peccator omnia referret ad seipsum, non esset amicitiae capax, quae est amor amici propter ipsum. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Non esset capax amicitiae proprie dictae, quae procedit ex charitate, qua optamus amicis summum bonum, *conc.* Non esset capax amicitiae improprie dictae, quae procedit ex amore sui ipsius, *neg.* Qui ergo non ex charitate diligit, is utique amicum diligit propter seipsum; et si quando videatur optare bonum amico, seipsum in amico diligit, quem considerat, ut alterum se: *Amantes amicum*, inquit Aristoteles *Lib. IX. Ethic. cap. 5. id amant, quod sibi ipsis est bonum.*

Objic. IV. In eo dicitur homo averti a Deo, quod legem Dei praecipientis contemnit, suaeque voluntati postponit. Ergo potius peccati mortalis natura sita est in contemtu, ac violatione legis.

℟.

℟. *Dist. ant.* Et hic legis contemtus, ac violatio signum est, et effectus aversionis a Deo. *conc.* Est aversionis causa, *neg.* Ex aversione igitur a Deo legis violatio consequitur; non enim quis legem violaret, nisi voluntatem suam voluntati Omnipotentis praeferret, ac proinde semper aversio a Deo intelligitur ordine prior quacumque alia peccati mortalis proprietate.

Objic. V. Etiam in peccato veniali ultimus finis in creatura constituitur. Nam quicumque humanus actus ad aliquem finem ultimum refertur, ut supra *Cap.* 4. ostendimus. Atqui finis ultimus peccati venialis non est, nec potest esse Deus. Est igitur creatura.

℟. *Dist. cons.* In peccato veniali finis ultimus in creatura constituitur aliquo pacto, sive, *secundum quid*, *conc.* Omni modo, sive absolute, et simpliciter, *neg.* Quamvis enim peccatum veniale referatur actu ad creaturam, nempe ad ipsum, qui peccat, nec ulterius ad Deum referri possit, non impedit tamen, quominus ipse peccans referat habitu seipsum ad Deum, ut ad finem ultimum, ut patet in homine justo, qui licet leviter offendat, ita tamen est habitu ad Deum ordinatus, ut paratus esset etiam mortem subire, ne a Deo averteretur.

Inst. Ergo in eo, qui non est justus, nec habitu refert seipsum ad Deum, ultimus finis peccati venialis absolute, et simpliciter est creatura.

℟. *Neg. seq.* Cum enim levior culpa non ejus sit naturae, ut excludat relationem *habitualem* ipsius peccantis ad Deum, affirmari non potest, peccatum veniale in eo, qui justus non est absolute, et simpliciter ad creaturam referri, ut ad finem ultimum; posset enim ille, si vellet, seipsum ad Deum ordinare, ac referre. Porro finis ultimus absolute, et simpliciter ille dicitur, qui non solum non refertur ad aliud, sed et omnem relationem ad alium finem excludit. Talis est creatura respectu ejus, qui lethale peccatum admittit; ita enim seipsum diligit, ut Deo absolute praecipienti anteponat.

Co-

Corollarium.

I. Ergo peccatum mortale, ac veniale inter se *specie* differunt. Illi enim actus specie differunt, quorum ultimi fines, seu *objecta formalia* differunt. At peccatum mortale finem ultimum absolute, et simpliciter habet in creatura, et excludit, ac destruit charitatem, sive ordinem ad Deum; non item peccatum veniale. Ergo etc.

II. Ergo unus, idemque actus non potest ex veniali mortale fieri, neque ex mortali evadere veniale. Cum ergo aliquis actus, qui ante sufficientem advertentiam, aut materiae gravitatem, aut temporis circumstantiam venialis erat, dicitur fieri mortalis post sufficientem advertentiam, aut postquam materia paulatim aucta evadit gravis, aut mutata est circumstantia temporis; non unus idemque censendus est, sed duplex actus. Prior enim, qui erat ante sufficientem advertentiam, aut materiae gravitatem, nondum pervenerat usque ad contemtum Dei, ideoque nondum finem ultimum in creatura ponebat, quod facit posterior actus. Theologi tamen passim ajunt, peccata venialia in iis causis *per accidens* fieri mortalia, quem loquendi morem compendii gratia retinebimus.

III. Ergo plura venialia peccata, utcumque numero multiplicentur, non efficiunt unum mortale peccatum; quae enim *specie* differunt, utcumque multiplicentur, non possunt in se invicem commutari. Videtur quidem variis in locis *Augustinus* contrarium affirmare, ut in *Tract. I. in Epist. Joan. Ista*, inquit, *levia, quae diximus, noli contemnere. Si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multae guttae implent flumen. Multa grana faciunt massam.* Quibus similia docet *Conc. III. in Psal. CXVIII. Epist. CCLXV. al. CVIII. ad Seleucian. Tract. XII. in Joan. et al.* Sed ea S. Thomas 1a. 2ae. *Q. LXXXVIII. art.* 3. *et* 4. recte explicanda ostendit eo sensu, quod levia peccata, si negligantur, ad mortale peccatum, atque aeternam damnationem disponunt. *Qui enim sperni,*

mo-

modica paulatim decidet Eccl. XIX. 1. Unde inquit Gregorius *Lib. X. Moral. Cap.* 14. *Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, confidenter etiam majora perpetramus.*

Scholion.

I. Quamvis dogma fidei sit, esse quaedam peccata mortalia, quaedam venialia; tamen quodnam peccatum mortale, quodnam veniale sit; difficile est definire. Inquit enim Augustinus *Lib. XXI. De Civ. cap.* 27. *Sed quae sint ipsa peccata, quae ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui, et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.* Quae verba recentiorum quorundam Theologorum confidentiam damnant, qui in unaquaque re, quid mortale, quid veniale sit, nullis saepe rationibus audacter pronunciant. Quapropter idem Augustinus *Enchir. Cap. LXXVIII.* id ex divina auctoritate dijudicandum docet: *Quae sint levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio*; nimirum ex Scripturis, praesertim Novi Testamenti, Traditione, Ecclesiae definitionibus. *Non afferamus*, inquit *Lib. II. de Bapt. stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus pro arbitrio nostro, dicentes: hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, tamquam de thesauris dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus; imo non appendamus, sed a domino appensa recognoscamus.*

II. Quoties igitur in Scripturis, aut traditione, res aliqua prohibetur sub gravi poena, quae aliquando exprimi solet verbo *Vae*, mortale peccatum judicandum est. Item si quid humanis legibus sub gravi poena vetatur, ex ipsa poenae gravitate grave putandum est. Praeterea quae natura sua grave damnum, aut ipsi ope-

perant, aut alteri inferunt, pro gravibus habenda sunt. (* Idem dicas si proximus legis finis magni sit ad commune bonum momenti, resque praecepta ad eum finem non parum conducat; nisi forte ipse legislator edicat, nolle se ob eam causam gravi culpa quemquam obligari; quod nescio an unquam in ejusmodi rebus factum sit; imo utrum fieri possit, Theologi disputant *). Denique ubi nulla hujusmodi indicia suppetunt, communis patrum, ac Theologorum spectandus est consensus, a quo recedere temerarium est, vel verisimilior ratio fidei principiis innixa. Sed ut major quoad fieri potest huic rei satis obscurae lux addatur, videamus, quaenam conditiones ad peccatum mortale necessariae sunt.

§. III.

Quaenam conditiones ad mortale peccatum necessariae sint.

Adv. I. Quoniam mortale peccatum actus humanus est, ultimum finem Deo auferens, atque in creatura constituens; duo sunt ad illud necessaria, 1.° sufficiens *advertentia*, ut Scholae ajunt, sive animadversio, et liber consensus, qui ad humanum actum requiritur. 2.° Talis materiae gravitas, ex qua recte judicari possit, hominem voluntatem Dei absolutam contemnere, ac suae voluntati postponere. Si una ex his conditionibus deficiat, non mortale peccatum erit, sed ad summum veniale. Hinc mendacium jocosum, aut levis materiae furtum, etsi ex plena *advertentia*, et libero voluntatis consensu fiant, venialia tamen propter materiae levitatem peccata sunt. Contra vero turpis delectatio, gravis vindictae appetitus etc. si non ex sufficienti *advertentia*, ac libertate procedunt, ut in semidormientibus, aut in subitis accidit motibus animi, quamvis materia gravis sit, venialia tamen aestimanda peccata sunt.

II. Sed *advertentia* duplex distinguenda est. Vel enim refertur ad *objectum*, vel ad *objecti* malitiam; et haec rursus vel *actualis* est, qua quis actu malitiam *objecti*

eti cognoscit, et vult; vel *virtualis*, qua quis etsi non advertat, potest tamen, ac debet advertere: et rursus vel plena, ac perfecta; vel *semiplena*, atque imperfecta.

III. Quod igitur ad peccatum mortale aliqua requiratur *advertentia*, non solum ad objectum ipsum, verum etiam ad objecti malitiam, et quidem plena, in confesso est apud omnes Theologos contra Jansenium, qui *Lib. II. De statu nat. laps.* contendit, solam *advertentiam* ad *objectum* ipsum sufficere ad mortale peccatum, saltem in rebus lege naturali prohibitis. Requiritur quidem aliqua *advertentia*, sive cognitio; alioquin non erit humanus actus, ideoque nec peccatum: requiritur vero *advertentia* plena, ac perfecta, plenusque consensus; alioquin non erit perfecta; et consummata aversio a Deo; propter quam non est putandum, velle Deum filium suum adoptivum in sempiternum damnare.

IV. Sed quaestio est, utrum sufficiat *advertentia virtualis* ad malitiam objecti, an vero requiratur *actualis*. *Vasquez* enim primus omnium affirmavit, non sufficere ad mortale peccatum *virtualem advertentiam*, sed necessariam esse *actualem*, qua scilicet quis *objecti malitiam* reipsa, sive *actu* advertens, illud tamen eligit. Quae quidem doctrina, utpote ad peccata excusanda idoneam, *probabilistis* ceteris valde arridet.

V. Ulterius autem progressi nonnulli, aliam peccati distinctionem comminiscentes in *Philosophicum*, et *Theologicum*, de qua supra diximus, contendunt, ad peccatum mortale, quod amicitiam Dei dissolvit, cogitationem requiri *actualem*, non solum de *objecti* malitia, verum etiam de Deo, qui illud prohibet; ita ut si quis *objecti* malitiam advertens, actu de Deo non cogitet, peccet ille quidem *philosophice* contra naturam rationalem, non tamen *theologice* contra Deum, nec ejus amicitiam dissolvat.

VI. Jam vero quod ad mortale peccatum gravitas materiae requiratur, omnes Theologi consentiunt. Sed materiae gravitas non solum ex rei quantitate aestimanda est, ut in magni momenti furto, verum etiam ex fine gravi, quo res praecipitur, aut prohibetur. Sic

parva

parva res erat pomum, quod Adam contra praeceptum Domini comedit; sed finis praecepti, quo Deus obedientiam exerceri volebat ab homine, quem tantis donis cumulaverat, utique gravis erat, ideoque gravem inobedientiae materiam faciebat. His explicatis, de *advertentia*, consensu, ac materiae gravitate ad mortale peccatum necessariis, quid sit sentiendum, sequentibus propositionibus exponimus.

PROPOSITIO. I.

Ad mortale peccatum non requiritur advertentia actualis, qua quis vel de malitia operis, vel de Deo actu cogitet, aut suspicetur, aut subdubitet, sed sufficit virtualis.

Prob. I. ex Script. 1.° Christus enim *Luc. XXIII.* 34. de interfectoribus suis ait: *Nesciunt quid faciunt.* Et *Joan. XVI.* 2. praedicit Apostolis: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* Talis erat Paulus, qui de se ait *Act. XVI.* 9. *Ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere.* 2.° De viris maxime scelestis dicitur *Psam. IX. Non est Deus in conspectu ejus*, et Psal. XLIX. *Intelligite haec qui obliviscimini Deum* Atqui nemo sanus dixerit, aut non peccasse graviter Christi interfectores, et persecutores Ecclesiae, aut scelestos illos, qui Deum obliviscuntur. Ergo etc.

Prob. II. ratione. Si ad peccatum mortale necessaria *actualis advertentia* esset ad actus malitiam et ad prohibentem Deum, sequeretur 1.° eos, qui excusso omni Dei timore, immania scelera sine ullo scrupulo, imo pacata conscientia perpetrant, immunes a peccato esse, vel tanto levius peccare, quanto magis iniquitatem quasi aquam bibunt; ita ut voluntaria illa caecitas, et effraenis libido peccandi sit eis privilegium, quod eos a peccato excuset. 2.° Eos, qui longa peccandi consuetudine obcalluerunt, et obduruerunt: non peccare amplius; cum ejusmodi homines

non amplius se peccare advertant, aut de Deo in actu peccati cogitent; *peccata enim quamvis magna, et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur*, ut ait Augustinus *Enchir. Cap. LXXX.* 3.° Atheos, et Epicureos, qui Deum aut nullum esse, aut non curare res humanas putant, minime peccare. 4.° Imo nec homines Christianos illos quidem, sed vel vincibiliter imperitos, vel cupiditate deceptos, qui aliorum exemplis graviora peccata committunt, nihil mali suspicantes. Atqui haec omnia absurda esse, nemo non videt, nemo non exhorret. Ergo etc.

Prob. III. non solum ex definitione *Alexandri VIII.* contra peccatum *philosophicum*, quam supra recitavimus; verum etiam ex censura Cleri Gallicani, qui duas has propositiones damnavit, primam anno 1641. *Numquam peccatur, nisi praevia peccati cognitione animus illustretur: ejusque vitandi studio stimuletur*; alteram anno 1700. *Si peccatores consummatae malitiae, cum blasphemant, et flagitiis se immergunt, non habent conscientiae stimulos, et mali, quod agunt, notitiam .:. propugno, eos hisce actionibus non peccare.* Accedit novitas doctrinae, quae falsitatis praejudicium est, et communis adversus eam consensio Theologorum. Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Joan. IX. 41. Ait Christus Pharisaeis: *Si caeci essetis, peccatum non haberetis.* Ergo ubi *actualis* ad peccatum *advertentia* non est, ibi non potest esse peccatum.

℟. *Neg. cons.* 1.° quia qui *virtualem advertentiam* habet, caecus dici nequit, cum ejus caecitas voluntaria sit: 2.° quia sensus verborum Christi ex consequentibus manifestum est; subdit enim: *nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Ex quibus patet, etiam in superiori membro intelligendum esse verbum dicendi, hoc est si diceretis, et agnosceretis, vos esse caecos, non haberetis peccatum, quia qui suam caecitatem agnoscit, facile edoceri

ceri potest; nunc autem dicitis quia videtis, hoc est non agnoscitis caecitatem vestram, idcirco peccatum vestrum est quodammodo insanabile. *Cum sit caecitas ipsa peccatum*, inquit Augustinus *Tract. XLIV. in Joan. si vos caecos adverteretis, et ad medicum curreretis, non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum, nunc vero dicitis, videmus, et ideo peccatum vestrum manet; quare? quia dicendo videmus, medicum non quaeritis, in caecitatae vestra remanetis.*

Inst. Omnis caecitas, sive ignorantia, et *inadvertentia* ad legem Dei efficit, ut non imputetur peccatum. Ait enim Apostolus *Rom. V.* 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur; cum lex non esset.* Quibus verbis loquitur Apostolus de lege Mosaica, ante quam legem erat utique lex naturae; ideoque erant quaedam actiones humanae contra legem illam, quam omnes poterant, ac debebant scire, et advertere, ideoque erant *materialia* peccata. Sed quia homines ad naturae legem non attendebant, peccatum non imputabatur, quia nondum lata erat Mosaica lex, quae homines excitavit, ut adverterent ad naturae legem, quam in cordibus scriptam gerebant. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Peccatum non imputabatur, hoc, est non agnoscebatur ab hominibus, *conc.* Non imputabatur a Deo, *neg. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, inquit in eadem epistola idem Apostolus *Rom. II.* 12.

Objic. II. Non est peccatum, nisi voluntarium, nec voluntarium sine cognitione legis prohibentis. Unde Augustinus *Lib. III. De Lib. arb. cap.* 19. *Peccatum*, inquit, *quod proprie peccatum dicitur, est quod libera voluntate ab sciente committitur.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non est voluntarium sine cognitione vel *actuali*, vel *virtuali*; *conc.* Sine cognitione simpliciter *actuali*, *neg.*

Inst. Gravitas peccati crescit, aut minuitur pro ratione cognitionis, et *advertentiae*; ita ut quo minus quis cognoscit, atque advertit, eo levius peccet. Ergo ablata penitus *advertentia*, aufertur omnino peccatum.

℟.

℞. *Dist. ant* Crescit, aut minuitur peccati gravitas pro ratione *advertentiae virtualis*, *conc.* Actualis, *neg.* Et simili ratione *Dist. cons.* Ablata penitus *advertentia* etiam *virtuali*, aufertur peccatum, *conc.* Actuali, *neg.* Crescit igitur, aut minuitur peccatum non pro ratione *actualis advertentiae*; alioquin quo esset homo scelestior, eo minus peccaret, quia minus, imo et aliquando minime advertit; sed pro ratione *advertentiae virtualis*, quam scilicet potest, ac debet, sed non vult adhibere. Quanto minus igitur quis potest, ac debet advertere, eo levius peccat; et si omnino non possit advertere, neque debeat, omnino non peccabit. Quanto vero magis potest, ac debet advertere, etsi reipsa non advertat, eo gravius peccet.

Objic. III. S. Thomas 1*a.* 2*ae. Q. LXXI. art.* 6. *A Theologis*, inquit, *consideratur peccatum praecipue secundum quod est offensa contra Deum: a Philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi.* Ergo S. Thomas agnovit distinctionem peccati *Theologici*, ac *Philosophici.*

℞. *Neg. cons.* Non enim aliud voluit, nisi peccatum duplici ratione considerari posse, et prout offensio Dei est, et prout rectae rationi adversatur. Quod quidem libenter concedimus; sed non ait, peccatum quod rectae rationi adversatur, ab offensione Dei sejungi posse.

Scholion.

I. Saepenumero in viris frugi, et qui sollicite culpas omnes cavere satagunt, etiam leviores defectus *advertentiae* ad peccati malitiam in actibus interioribus, a peccato saltem gravi excusat. Ejusmodi enim viris si quando cogitatio aliqua subrepit contra Dei legem, cujus malitiam non advertunt, defectus *advertentiae* non solum *actualis*, sed etiam *virtualis* esse solet.

II. In iis, qui ex habitu, sive prava consuetudine peccant, si pravus habitus per poenitentiam non sit correctus, etsi non advertant neque ad actum, neque ad ejus malitiam, toties peccata multiplicantur, quoties

ties repetuntur actus; quia voluntaria est eorum causa. Contra in iis, qui pravum habitum satis per poenitentiam correxerunt, cum vitiosus ille habitus, qui paullatim extirpandus remanet, involuntarius sit, non censentur peccata actus illi, qui contra voluntatem excitantur, ad quos ipsi non advertunt nec quoad *objectum*, nec quoad malitiam. Sed si ad objectum satis advertunt; non vero ad ejus malitiam, a peccato non excusantur.

PROPOSITIO II.

Gravitas materiae in nonnullis peccatis ex gravitate finis pensanda est ita ut quantulacumque rei quantitas, modo plena adsit advertentia sufficiat ad mortale peccatum; in aliis vero ex quantitate rei metienda est; de qua peccata quaedam dicuntur ex toto genere suo mortalia, quaedam vero mortalia non ex toto genere.

Prob. 1a. *pars.* Peccata, quae directe fiunt contra Deum, aut aliquod ejus attributum, semper aversionem a Deo adjunctam habent, ut sunt peccata contra fidem, spem, charitatem, religionem. Item peccata, quae valde dedecent, et in honestant rationalem naturam ad imaginem Dei conditam, ut sunt peccata contra VI. Decalogi praeceptum. Atqui ubi est aversio a Deo, ibi semper mortale peccatum. est, ut supra docuimus, etsi parva videatur rei materia, in qua peccatur. Ergo in nonnullis peccatis gravitas materiae pensanda est ex gravitate finis, propter quem probentur; ideoque ex solo *advertentiae*, aut consensus defectu venialia esse possunt, nequaquam vero ex materiae parvitate.

Prob. 2a. *pars.* Alia peccata, quae vel contra seipsum, vel contra alterum fiunt, pro quantitate materiae, sive damni, quod quis aut sibi, aut alteri infert, majora, vel minora sunt. Ergo potest materiae quantitas adeo parva esse, ut existimari non possit, Deum, qui est infinite bonus, velle propter eam aeternis poenis hominem addicere. Ergo ejusmodi pecca-

ta esse possunt venialia non solum ex plenae *advertentiae*, aut consensus defectu, sed etiam ex levitate materiae.

Corollaria.

I. Sequitur vicissim ex iis, quae diximus, peccata venialia *per accidens* fieri posse mortalia, 1.° ex fine operantis, ut si quis mentiatur ad grave damnum alteri inferendum. 2.° Ex contemtu *formali* ipsius legislatoris, *materialis* enim ipsius legis contemtus in omni peccato, etiam veniali, reperitur 3.° Ex actuali dispositione, qua scilicet ita quis animo est affectus, ut peccatum perpetraret, etiam si mortale esse sciret, aut ex *erronea* conscientia putat esse mortale, vel de eo dubitat. 4.° Ex gravi scandalo, quod ex actione sua secuturum censuit. 5.° Ex periculo proximo gravis peccati, aut damni vel sui, vel alterius, ex actione levi secuturo. 6.° Ex additione materiae; cum scilicet per novas subinde praecepti violationes paulatim aucta evadit gravis.

II. Sed non semper nova materiae additio ita cum priori coalescit, ut unum constituat *objectum* humanae actionis, ideoque mortale peccatum reddat. Qua de re duae istae, quae passim a Theologis traduntur, spectandae sunt regulae.

Prima regula. Si plures repetitae praecepti violationes, pluresque materiae parvae, neque in se ipsa, neque in aliquo effectu ab eis producto *moraliter* copulantur, sed divisae manent; tunc omnes illae repetitae actiones veniales sunt, neque unum mortale peccatum efficiunt. Sic qui singulis in quadragesima diebus levissimum aliquid extra prandium comedit, aut Clericus qui quotidie in recitandis horis canonicis verba aliqua per negligentiam omittit, aut artifex qui singulis diebus festis brevi tempore, *ex. gr.* per horae quadrantem laborat; non censentur graviter peccare, licet per quotidianas praecepti violationes nova in dies venialia peccata committant. Non enim repetitae illae materiae parvae in seipsis, aut in aliquo effectu conjunguntur; cum praecepta, quae leviter vio-

violantur, singulos dies afficiant, et cum iis transeant.

Altera regula. Si plurium peccatorum venialium parvae materiae aut in se ipsae, aut in effectu aliquo ab iis producto *moraliter* copulentur, et coalescant; quando ultimae violationis parva materia ex connexione cum praecedentibus grave aliquod aestimatur, mortale peccatum reddit. Sic qui eodem jejunii die pluries modicum aliquid comedit, aut in eodem canonico officio unius diei plures breves psalmos in variis horis omittit, aut eodem die festo saepius repetitis vicibus laborat, aut pluries vel uni, vel pluribus levem materiam furatur, aut pluries leviter in cibo excedit, ita ut grave sibi tandem sanitatis detrimentum inferat, omnes isti, aliique his similes cum in ultima legis violatione ad eam pervenerint materiae quantitatem, quae cum prioribus connexa, grave aliquid existimatur, mortale peccatum admittunt. Idem multi Theologi affirmant de eo, qui uno voluntatis actu proponeret, omnia venialia, quae sibi passim occurrent, peccata committere: objectum enim hujus actus grave est, licet singula seorsim peccata levia sint.

(* *Scholion.*

I. Sicut peccata mortalia, ac venialia specie differunt, ita ipsa mortalia peccata non unius speciei, et gravitatis sunt; imo etiam venialia peccata variam inter se et speciem, et gravitatem habent. Unde autem varia peccatorum species dignoscenda sit, supra diximus *Cap. VII.* hoc est aut et variis virtutibus, quibus adversantur aut ex vario modo, quo eidem adversantur virtuti, seu ex variis ejusdem virtutis officiis, quae praetermittunt, aut violant.

II. Sed varia peccatorum gravitas tum ex objecto, tum ex fine, ac circumstantiis metienda est, ac ponderanda; quo enim nobiliores, praestantioresque virtutes sunt, quibus peccata adversantur, quoque finis, ac circumstantiae peccati magis rationali naturae, legique Dei aeternae contrariae sunt, eo gravius esse peccatum existimandum est. Virtutes autem Theologicae moralibus antecellunt; et inter Theologicas ipsas cha-

charitas ex Apostolo major est, *I. Cor. XIII.* 13. Inter morales vero virtutes omnibus religio praestat. Peccata igitur quae adversus charitatem pugnant *ceteris paribus*, graviora sunt, praecipue odium Dei, quod maximum peccatorum est. Deinde ordine sequuntur peccata contra fidem, contra spem, contra religionem, denique contra virtutes morales. Finis tamen, et circumstantiae, peccata ex objecto leviora, graviora ceteris possunt efficere. *)

§. IV.

Expediuntur nonnullae quaestiones de peccato omissionis, nec non de peccatis mere internis, ac de capitalibus.

De peccato omissionis, quae est violatio praecepti affirmantis, varias tractant Theologi quaestiones. Praetermissis iis, quae parum utilitatis habent, ut est ea vehementer inter Scholasticos agitata, utrum esse possit aliquod omissionis peccatum, quod mera actus negatione perficiatur, sine ullo *positivo* voluntatis actu, qui ejusdem omissionis causa sit; qua in re nos negantem sententiam utpote verisimiliorem supra secuti sumus; paucas expediemus, quae magis usui esse possunt.

Q. I. *Utrum actus, qui fuit omissionis caussa, vel occasio, propriam habeat malitiam ab ipsa omissione distinctam.*

℟. Si actus erat *indifferens*, qui praeceptum omisit actui illi vacaret, uti accidit in eo, qui sacrum die festo omisit, ut ludo, studiis, venationi daret operam, ejusdem speciei malitiam habere censendus est. Quapropter malum quidem est studere, cum debita religionis officia, studiorum caussa, vel occasione omittuntur. Sed ea malitia non diversa, aut distincta, sed una, eademque cum ipsa omissione est. Si vero actus, qui omissioni caussa, vel occasio est, non sit indifferens, sed propriam in se ipse malitiam habeat, ut accidit in eo, qui sacrum omittit, ut furetur, patet, eum actum distinctam ab omissione ipsa malitiam continere.

Q. II. *Utrum is, qui aliquid agit, ex quo necessario consecuturam omissionem praecepti, praevidere potuit, non solum peccaverit dum opus illud effecit, sed peccat etiam cum praeceptum necessario omittit.*

℟. Eum utroque tempore peccare (a) Primo quidem peccat, dum necessariam ponit omissionis causam, tum quia idem praeceptum, quod actum jubet, vetat ea fieri, ex quibus praecepti violatio necessario sequitur, tum quia qui causam ponit, ex qua effectus necessario sequitur, indirecte effectum ipsum velle censetur. Deinde peccat etiam cum praeceptum omittit, licet tunc aut non sui compos sit, aut praeceptum servare non possit. Est enim omissio illa voluntaria in causa, quae voluntarie, ac libere posita est, quod sufficere ad peccandum, patet in eo, qui voluntarie se inebriat cernens, se in ebrietate homicidium patraturum, percussurum clericum, etc. ex quo etiam in censuras incidit, ut *Salmanticenses* etiam Theologi docent. Aliter tamen sentiendum est, si quo tempore praeceptum urget, jam omissionis caussa satis fuerit per poenitentiam terractata.

Q. III. *Utrum specie inter se differant omissionis, et commissionis peccatum, et quodnam sit ex illis gravius.*

℟. Differre specie inter se peccata omissionis et commissionis, licet eidem virtuti adversentur, nonnulli verisimiliter arbitrantur, quamvis non desint qui contra sentiunt. Quae enim eidem opponuntur virtuti modo diverso, ut avaritia, et prodigalitas, quae eidem virtuti liberalitatis diversa ratione adversantur, ea diversae speciei aestimanda esse, supra docuimus. At omissio et commissio, etsi eidem adversentur virtuti, ei tamen diverso modo adversentur. Sic diverso modo charitati opponitur odium Dei, ac simplex charitatis defectus, atque negatio. Gravius vero ceteris paribus est commissionis, (b) quam omissionis peccatum, cum magis ra-

(a) *Lig. r. us* etc. ex sententia S. *Thomae*
(b) S. *Thomas* etc.

rationi adversetur facere quod vetatur, quam omittere quod jubetur: prius enim directe, atque e contrario virtuti opponitur; posterius non item, licet omissionis peccata quia minus cognoscuntur periculosiora esse soleant, Ceteris, inquam, paribus: nam si cetera paria non sint, fieri potest, ut omissionis peccatum peccato commissionis sit gravius.

Q. IV. *Quotuplici modo peccari potest interno voluntatis actu.*

R. 1°. Primo illud certum habendum est, non in intellectu, sed in voluntate esse peccatum, cum intellectus divinus atque Angelicus omnia vel turpissima hominum flagitia videat nec tamen inde maculetur. Sed voluntas triplici ratione interiori actu peccare potest, scilicet vel desiderio, sive efficax illud sit, sive inefficax, rei illicitae; vel gaudio de peccato jam perpetrato, vel delectatione morosa, sive *complacentia* rei illicitae, quae non ideo *morosa* dicitur, quia temporis mora perduret, sed quia voluntas libere in ea, etsi momento uno moratur. Porro si *objectum*, quo nomine etiam circumstantias omnes intelligimus, quae illud comitantur, grave peccatum est, grave quoque peccatum, et quidem ejusdem speciei, erit internus actus, qui circa illud versatur, sive desiderium sit, sive gaudium, sive morosa delectatio, nec ab eo excusat, nisi defectus *advertentiae*, aut consensus. Unde ait Christus *Matth. V.* 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

2.° In pravo autem desiderio, si ea conditio adponatur: *dummodo res non esset prohibita*, et agatur de re vetita per legem positivam, et non intrinsecus mala, non erit, saltem grave, peccatum. Contraria vero erit ratio, atque doctrina, si res vel absolute, vel nunc intrinsecus mala sit, licet olim in alio hominis statu licita fuerit, vel futura sit, ut in viduis, [illegible] sponsis accidit. Rursus in gaudio, si objectum non [illegible] ipsum peccatum, quod displicet, sed simpliciter [illegible]us effectus, qui inde secutus est, et in delectatione [m]orosa si objectum sit tantum modus artificiosus, aut [circu]mstantia aliqua, quae in se mala non sint, per se

se quidem grave peccatum non erit, licet tale propter periculum esse possit. (*a*)

3.° In omnibus ergo his internis motibus non sufficiet *negative*, ut ajunt, *se habere*, hoc est neque assentiendo, neque repugnando, sed contrarius voluntatis actus necessarius est ad vitandum peccatum, (*b*) nisi justa causa suadeat, ut contemnantur; ut si ex majori mentis contentione, ac lucta pravi motus augeantur. Satius autem est aliquando mentem alio avertere, si fieri potest.

4.° Illud etiam animadvertendum est, quod si quis non omittat causam, *ex gr.* librorum lectionem, aspectum, auditum etc. ex quo pravi motus interni oriuntur, is etsi interius dissentiat, a gravi tamen peccato non erit immunis, propter periculum, cui voluntarie se objicit; nisi forte aliqua justa causa sit, quae rem non omittendam suadeat; ut accidit in iis, qui moralem scientiam comparate, confessiones audire debent. Iis enim satis est ut corde, et animo ad Deum erecto, orent saepius cum Propheta: *Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

(* 5.° Sed incidunt saepe tempora, et caussae, in quibus utrum aliquis interius pravae cogitationi consenserit, dubitatur. Qua in re nulla melior regula est, quam totam hominis vitae rationem inspicere. Si quis enim ita sit animo comparatus, ut mori potius, quam graviter peccare velit, atque ipsa venialia peccata vitare studeat, is si dubitet an consenserit, an dormiens, vel vigilans, vel sui compos fuerit, certus esse, saltem *moraliter*, poterit se minime consensisse; praesertim si scrupulis vexetur si vix dubitationem advertens angatur animo, atque in contrarium nitatur. In con-

(a) Notanda est propositio ab Innocentio XI. damnata: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.* Licet ergo peccatum propter ignorantiam, oblivionem, aliamve causam, alicui non imputetur, de eo tamen gaudere peccatum est.

(b) *Lessius, Vasquez etc.*

contrariis causis, scilicet in hominibus conscientiae laxioris, contrarium judicium esto: praesertim si quis non relinquat, ac fugiat, quae pravae cogitationis occasio sunt.

6°. Ad extremum illud animadvertendum est: si quis non de re mala aut obscena delectatur, sed de ejus rei intellectione, atque scientia, quae sibi necessaria est, aut utilis, modo a re ipsa animus abhorreat, non esse peccatum, cum non in intellectu, sed in voluntate peccatum esse, supra monuerimus. Si vero scientia illa non necessaria, non utilis sit, erit quidem ipsum per se veniale curiositatis peccatum; sed grave esse poterit, si cum pravo animi affectu, vel cum fine graviter malo, vel denique cum periculo delectationis, morosae conjunctum sit. *)

Q. V. *Quid sint capitalia peccata, et utrum mortalia semper habenda sint.*

℟. Peccata capitalia dicuntur, quae non solum ipsa per se peccata sunt, verum etiam capita sunt, ac veluti fontes, unde cetera omnia peccata oriuntur. Numerantur autem a S. Thoma 1a. 2ae. *Q.* LXXXIV, *art.* 4. post. *Gregorium M.* septem, superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, et acedia. Est autem superbia inordinatus appetitus propriae excellentiae, propter quam homo intumescit, ac gloriatur. Avaritia autem inordinatus divitiarum amor. Luxuria inordinatus voluptatis venereae appetitus. Ira inordinatus appetitus vindictae. Gula inordinatus edendi, et bibendi appetitus. Invidia est tristitia de bono alterius, quatenus propriam excellentiam minuere videatur. Acedia denique fastidium de rebus ad Dei cultum, ac spiritalem hominis profectum pertinentibus.

Omnia autem peccata isthaec capitalia, mortalia sunt *ex suo genere*; sed venialia esse possunt propter materiae levitatem, excepta luxuria extra matrimonium. Cumque fontes sint, atque origines aliorum peccatorum, patet, maxime omnium formidanda, atque cavenda esse. Vide S. Thomam *loc. cit.* qui de his peccatis luculenter, et accurate disserit. (* Nos pauca hic, eaque praecipua delibabimus, iis exceptis, quae ad luxuriam pertinent. Cum enim satis haec ipso naturae

turae sensu; repugnantia, atque pudore noscantur, satius duximus ea praetermittere, quam exquisita singularum rerum tractatione, quae aliunde, eum opus fuerit, accipi poterunt, castos adolescentium oculos, atque aures offendere. *)

(* Q. VI. *Quid, et quale peccatum sit superbia.*

℟. 1.° *Superbia est inordinata propria excellentiae cupiditas.* Excellentiae autem nomine quaecumque perfectio intelligitur, quam supra ceteros superbus vel habet, vel se habere falso existimat, vel plus se habere putat, quam revera habeat. Cupiditas vero est omnis amor, complacentia, desiderium contra rectum rationis ordinem; cum scilicet, aliquis vel perfectiones suas a Deo gratis accepisse non agnoscit, nec ad Dei gloriam refert; sed finem in eis ultimum constituit, vel legitimis superioribus subjici tenuit, aliosve gravi-ier contemnit, et offendit, vel ab aliis honorari ita impense cupit, ut si non faciant, ad iracundiam moveatur. Atque haec quidem *perfecta*, et consummata superbia est. Alia tamen est *imperfecta* superbia, cum scilicet aliquis nec ultimum in propria excellentia finem statuit, nec Deo, aliisque, quibus debet, subjici renuit, sed in se tantum, suisque perfectionibus vel veris, vel falsis aliquo modo extollitur, aut gloriatur, atque inde honorari, ac laudari cupit.

2.° Omnis superbia peccatum est, imo omnium radix, et origo peccatorum. *Eccl.* X. 15., *initium omnis peccati superbia est.* Prov. VIII. 13. *Arrogantiam, et superbiam detestatur Deus. Rom.* 1. 30. *Superbi, et elati* inter eos numerantur; qui *digni sunt morte.* Et *perfecta* quidem superbia *ex genere suo* grave peccatum est, cum ad Dei, ac superiorum, aliorumve gravem contemtum perveniat; *imperfecta* vero venialis, sed non mediocriter formidanda, cum ruinae spiritualis initium esse soleat.

3.° Vitia autem, quae ex superbia, tamquam ab radice oriuntur, numerantur tria, *praesumtio*, *ambitio*, et *vanagloria*, ex qua tamen postrema, ut *S. Thomas* advertit, rursus alia septem oriuntur vitia, hoc est *inobedientia*, *jactantia*, *hypocrisis*, *contentio*, *pertinacia*, *discordia*, et *novitatum praesumtio.* Quae

Quae quidem omnia ex genere suo mortalia sunt; possunt tamen venialia esse, cum scilicet non usque ad contemtum Dei perveniunt, aut ad divinae legis violationem, nec ad superiorum, legumve contentum, aut gravem proximi injuriam, aut damnum pertingunt. *Praesumtio* autem est inordinata cupiditas aliquid ultra vires, et potestatem suam faciendi, aggrediendi, usurpandi, *Ambitio* est inordinata cupiditas honorum, dignitatis, potestatis, *Vana gloria* est humanae existimationis, ac laudis inordinata cupiditas. *Inobedientia* est psaecepti violatio, ex contemtu. *Jactantia* est inordinata propriae laudis praedicatio. *Hypocrisis* est falsae virtutis, aut majoris, quam revera sit, simulatio. *Pertinacia* est in propria sententia contra veritatem cognitam, aut satis propositam perseverantia, et obstinatio. *Discordia* est ob propriae laudis appetitum dissentio voluntatis in iis rebus, in quibus cum aliis, consentire rectus ordo, ac ratio postulat *Contentio* est inordinata verborum pugna. Denique *novitatum praesumtio* est cum quis ex vana gloria res novas invenire, aut excogitare praesumit, Res quidem novas hominum societati utiles invenire bonum est: sed ob inanem gloriam novitates quaerere, vitium; idque lethale, si novitates fidei etiam bonisve moribus adversentur.

Q. VII. *Quid, et quale peccatum est avaritia?*

℟. 1.° *Avaritia est inordinata divitiarum, hoc est eorum omnium, quae pecunia aestimari possunt, cupiditas.*

2.° Est autem avaritia ex genere suo mortale peccatum, cum aliquis vel ultimum in divitiis finem suum constituit: unde dicitur avaritia ab Apostolo *Ephes. V.* 5. *idolorum servitus*, quae a regno Dei excludit: *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, et Dei*; vel ad divitias comparandas, aut servandas inhonesta, illicita, injusta agit, vel agere paratus est, alienum scilicet injuste accipiendo, retinendo, debitas eleemosynas recusando.

3.° *Si autem*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* CXVIII. *art.* 4. *inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scili-*

cet

cet homo quamvis superflue divitias amet, non tamen praefert earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, et proximum, sic avaritia est peccatum veniale.

4.° Vitia quidem multa ex avaritia proficiscuntur; unde ait Apostolus 1. Tim. VI. 9. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt hominem in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Praecipua sunt *cordis obduratio*, *inquietudo*, *violentia*, *fallacia*, *perfidia*, *proditio*. Cordis obduratio est durities illa, qua quis aliorum miseria non movetur, nec iis, ne quid de suo impendat; opitulatur; quam quidem cum grave debitum subveniendi est, patet esse mortale peccatum. *Cordis inquietudo* est anxia illa divitiarum comparandarum aut servandarum cura, quae cum a graviter debitis officiis, aut a divinae providentiae spe animum avertit, mortale peccatum est, alioquin veniale. *Violentia* est alieni injusta per vim usurpatio; ideoqoe eam grave peccatum esse, si materia gravis sit, perspicuum est. *Fallacia* est quicumque dolus ad alterum circumveniendum vel verbis, vel factis institutus, gravisque culpa est in materia gravi. *Perfidia* est fidei in promissis, factis, aut rebus creditis violatio. *Proditio* est personae, vel rei contra fidem debitam, et cum alterius damno conjuncta manifestatio. Quae duo postrema etiam ex genere suo gravia peccata esse constat. Cum igitur omnia haec ex avaritia oriantur mala, merito ait sapiens *Eccl.* X. 9. *Avaro nihil est scelestius.*

Q. VIII. *Quid, et quale peccatum est ira?*

R. 1.° Ira definitur: *inordinatus vindictae appetitus.* Inordinatus autem esse potest appetitus ille duplici ratione. Primò quidem si quis in eum vindictam appetit, qui non meretur, vel plusquam meretur, vel in quem legitimam non habet jurisdictionem, vel non amore justitiae, sed privata malevolentia. Qua ratione ira ex genere suo mortale peccatum est, cum ab Apostolo *Gal. V.* 20. inter opera carnis, quae a regno

gno caelorum excludunt, numeretur: sed potest esse vel ex materiae levitate, vel ex *advertentiae* defectu venialis. Secundo propter irascendi modum, si quis scilicet vel nimis irascatur interius, vel nimis exterius signa irae prodat: *et sic ira secundum se non habet rationem peccati mortalis*, ut ait S Thomas 1a. 2ae. *Q. CLVIII. art.* 3. Mortalis tamen esse potest propter scandala blasphemias, injurias, convicia, maledicta, rixas, pugnas, vulnera, seditiones, homicidia quae ex ferventiori ira proficisci solent. Rebus autem inanimatis irasci, easque ex iracundia projicere, destruere, tum grave peccatum est, cum grave inde damnum aut aliorum, ad quos res illae pertinent; contemtus consequitur.

2.° Est tamen quaedam ira laudabilis, de qua dicitur *Psal. IV. Irascimini, et nolite peccare*, unde de Christo etiam dicitur in Evangelio *Marc. III.* 5. *Circumspiciens eos cum ira*, cum scilicet ex simplici amore et zelo justitiae oritur vindictae desiderium; quod quidem cum de nostra praesertim injuria vindicanda agitur, rarum, atque admodum difficile est.

Q. IX. *Quid, et quale peccatum est gula?*

℟. 1.° *Gula* definitur: *inordinatus edendi, et bibendi appetitus.* Rectus enim rationis ordo postulat, ut ad vitae, sanitatis, et vitium sustentationem cibus potusque sumatur. Quod igitur non ob eum finem, vel plusquam ad eum finem oporteat, manducatur, aut bibitur, contra ordinem rationis est, et gulae peccatum. Sed cibi potusque qualitas, et quantitas non eadem omnibus, imo nec semper eadem uni eidemque homini necessaria est, sed pro vario hominum statu, infirmitate, labore, varie definienda; nec in puncto aliquo indivisibili consistit, sed latitudinem quamdam habet, quae satis est ad animi hac in re anxietatem avertendam. Vide *S. Thomam* 2a. 2ae. *Q. CXLVIII. art.* 1. et seq. et S. Antoninum *part. II. tit.* 6. *Cap.* 1. §. 5.

2.° Cum igitur gula inordinatus sit appetitus vel edendi, vel bibendi, duplex est gulae peccatum, *comessatio*, et *ebrietas*, quarum illa immoderata est cibi sumtio, haec potus, de quibus singillatim dicendum:

dum est. Comessatio ab Apostolo *Galat. V.* 21. inter ea numeratur peccata, quae a Regno Dei excludunt; ideoque certum est, esse eam aliquando mortale peccatum.. Scilicet 1.° cum quis ultimum finem in cibi, et potus delectatione constituit, cujusmodi ii sunt, de quibus ait Apostolus *Philip. III.* 19. *Quorum Deus venter est*: quod quidem rarius accidit, ut expresse fiat; sed frequentius *interpretative*; ut cum quis ex cibi cupiditate paratus est graviter potius peccare, furari, debita non solvere, sanitatem suam, aut familiam pessumdare, quam victu uti moderatiore. 2.° Cum quis usque ad vomitum comedit, ac bibit, aut revera se ad vomitum provocat, ut epulari iterum valeat, a quo flagitio brutorum etiam animantium natura abhorret, ita ut etiam, seclusa ebrietate, aut scandalo mortale sine dubio peccatum sit. 3.° Cum quis praevidet, aut praevidere potest, ac debet immoderatiorem cibi, potusque copiam luxuriae sibi, aliorumque peccatorum caussam fore 4.° Cum quis gulae caussa Ecclesiasticum jejunium violat 5.° Cum quis ex immoderatiore cibo ad ea officia, quibus graviter obligatus est, ineptus redditur. Consequitur enim ex crapula hebetudo mentis, atque stupiditas.

3.° Si quis extra eas causas voluptate edendi tractus plus aliquid cibi sumat, quam necesse est, venialiter peccat, ut idem S. Thomas advertit. Damnata autem est ab Innocentio XI. illa propositio: *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluntatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Cujus doctrinae ipsum fortasse puduisset Epicurum.

4.° Peccari gula, ut Gregorius M. advertit, quinque modis potest, qui eo versiculo continentur:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

5.° *Ebrietas est immoderata potus sumtio usque ad volentam usus rationis privationem.* Quae quidem cum praevideri potuit, ac debuit, etsi eam homo directe nolit, neque cum aliorum scandalo conjuncta sit, ipsa per se grave semper peccatum est, non secus ac fornicatio; cum naturam rationalem valde dedeceat; om-

omniaque peccata, quae in ebrietate ipsa committuntur, vel committi posse probabiliter praevidentur, cum caussa voluntaria sit, imputantur ad culpam. Hinc neque scipsum, neque alterum ulla de caussa etiam medicinae, inebriare licet; nec ad immoderatiorem potum provocare, aut alteri etiam flagitanti praebere vinum, ex quo ebrietatem sequi posse, debeat praevideri. Unde inquit Augustinus, vel quivis auctor *Serm. CCXXXII. Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam anima per ebrietatem occideretur.* Et S. Antoninus *Part. II. tit.* 6. *cap.* 3. *Non excusaretur per hoc quis ab ebrietate secundum S. Thomam, quamvis faceret caussa medicinae, et per consequens peccat mortaliter et sumens, nisi crederet ex illo potu non posse inebriari, et medicus, vel alius, qui hoc sibi scienter consuleret, et propinaret hoc existimans.*

6.° Vitia denique, quae ex gula oriri solent, sunt 1.° Laetitia gestiens, et inepta, quae ad obscenas cantiones, actus turpes, choreas inhonestas movet 2.° multiloquium, in quo *non deerit peccatum Prov. X.* 19. 3.° Scurrilitas, quae in dictis, aut factis indecoris, aut turpibus risus excitandi causa consistit. 4.° denique omnis generis peccata, quae quis in ebrietate patrare potest.

Q. X. *Quid, et quale peccatum est invidia?*

R. 1.° *Invidia est tristitia de bono alterius, quatenus propriam minuit excellentiam*, quam quis ab altero aequari, vel superari nollet. Si quis enim aliam ob caussam de alterius bono contristetur, non invidia, ut paulo post dicam, sed alterius generis peccatum est.

2.° Est autem invidia peccatum ex genere suo mortale, cum ab Apostolo *Gal. V.* 21. inter ea numeretur, quae a regno coelorum arcent, et per se charitati adversetur. Sed *veniale* esse poterit vel ex imperfectione actus, vel ex levitate materiae.

3.° Si quis de alterius bono contristetur, quatenus illius bonum est, non invidia, sed odium erit, et mortale peccatum; nisi aut defectus advertentiae, aut

ma-

materia levis veniale efficiant. Si vero ex quadam indignatione, contra Dei providentiam tristitia de bono alterius oriatur, impietas erit. Si ex indignatione de hominum injustitia qui beneficium aliquod, aut munus indigno contulerunt, zelus est. Si ex metu, ne aliquis bonis auctus, atque potentia, propter ejus improbitatem, aut inimicitiam, injuriam faciat; per se peccatum non est, sed veniale esse poterit propter defectum majoris in Deum fiduciae, vel etiam mortale, si ad odium provocet. Contra vero qui contristatur, eo quod vir bonus, ac justus potestate aliqua, aut munere auctus sit, a quo justam peccatorum suorum poenam timet, contra justitiam peccat. Denique si tristitia de bono alterius ex emulatione proficiscatur, quatenus scilicet vellet aliquis, non quidem alterum eo bono carere, sed sibi etiam illud obvenire, modo bonum illud sit optanti conveniens, peccatum non est, ut *S. Thomas* advertit; si vero bonum illud supra optantis conditionem sit, ac meritum, vana cupiditas, aliquando mortalis, aliquando venialis existimanda est, pro varia scilicet boni natura, atque optantis indignitate, ac dispositione.

4.° Ex invidia oriuntur 1.° *susurratio*, qua alicui aliquid de altero verum vel falsum ad amicitiam dissolvendam idoneum refertur; quod quidem grave peccatum esse ex sacris litteris perspicuum est *Eccl. XXVIII.* 15. *Susurro, et bilinguis maledictus. Eccl. XXI.* 31. *Susurro coinquinabit animam suam*, *etc.* 2.° Odium, delectatio, gaudium de malis alterius, quae etiam ex genere suo gravia esse peccata, manifestum est.

Q. XI. *Quid, et quale peccatum acedia est?*

℟. 1.° Acedia late sumpta est quodcumque virtutum fastidium, propter adjunctam difficultatem, ac laborem ideoque ad vitium illud pertinet, quod peculiari illi virtuti adversatur, cujus aliquem taedet. Strictius vero *acedia est de bono spirituali ad amicitiam Dei vel comparandam, vel servandam pertinente, fastidium; atque tristitia*, quod quidem cum charitati adversetur, cujus est de spirituali bono, ac Dei amicitia gaudere, ex genere suo mortale peccatum est,

ut

ut S. Thomas advertit 2a. 2ae. *Q. XXXV. art.* 3. sed veniale esse potest pro imperfecto actu, et materiae levitate. Vel enim spirituale bonum, quod fastiditur, graviter praeceptum est, vel non. Si graviter est praeceptum et ex *aedia* praetermittitur, grave peccatum est. Si non praetermittitur, sed cum taedio quodam exercetur, veniale. Si vero bonum illud non est graviter praeceptum, et ex fastidio omittitur veniale est; si ex contemtu, mortale.

2.° Ex acedia vero oriuntur 1.° *pusillanimitas*; 2.° *desperatio.* 3.° *indignatio* adversus eos qui ad bona spiritualia exercenda nos impellunt. 4.° denique *malitia*, qua quis bona ipsa spiritalia esse nollet, vel se fecisse poenitet, vel se ea non cognovisse, aut religionem professum non fuisse, optaret.

3.° Porro contra omnia, ac singula isthaec capitalia vitia peculiare opus edidit S. Bonaventura: *De pugna spirituali contra septem vitia capitalia.* Generatim tamen advertendum est ex Gregorio M. quod *sicut arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur*, ita contraria opponenda sunt medicamenta peccatis et sicut qui fluminis impetu rapitur, in contrarium virtutum opera incumbendum est. *)

C A P. XXV.

De peccato habituali.

Adv. I. **P**Eccati ***habitualis*** nomen non usurpatur a Theologis pro habitu, seu consuetudine, ac facilitate peccandi, quae ex actibus oritur. Nam peccatum habituale vel ex uno actu peccati mortalis producitur, ac permanet in animo, cum tamen peccandi habitus, atque facilitas ex actu uno produci non soleat.

II. Est ergo peccatum *habituale* macula, quae post peccati actum, per modum habitus, seu pravae habitudinis, in animo remanet, quae in Scripturis *sordes*, *inquinamentum*, *immunditia* dici solent, ut *Apoc. XXII.* 11. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

Tit.

Tit. I. 15. *Inquinatae sunt eorum mens, et conscientia*. Jac. I. 21. *Abjicientes omnem immunditiam*.

III. Sed qua in re macula illa sita sit, disputatur in Scholis. Nonnulli enim post Scotum *in IV. Dist. XVI. Q.* 1. maculam peccati docent, nihil esse aliud, nisi reatum poenae post actum peccati luendae. Quae quidem sententia nullo nixa fundamento est. Nam reatus, sive obligatio ad poenam consequitur ipsam peccati maculam, nec est ab homine peccante, sed a Deo, cujus justitiae consentaneum est, ut poena culpam sequatur.

IV. Alii vero cum Vasquesio *in* 1a. 2ae. *Disp.* CXXXIX. *cap.* 5. affirmant, peccati maculam esse ipsum actum peccandi, qui praecessit, et ex quo homo peccator nominatur. Ex qua quidem sententia illud sequeretur incommodum, quod homo per *extrinsecam* tantum *denominationem* ex actu praeterito peccator diceretur, ideoque ejus etiam justificatio nonnisi in *extrinseca* illius actus remissione consisteret, quod a Lutheranis, et Calvinistis positum confutavimus *Lib. VII. cap.* 17. *art.* 18.

V. Thomistae passim docent, peccati maculam esse privationem justitiae, quatenus oritur ex praecedenti actu.

VI. Denique alii docent, maculam illam esse habitualem aversionem a Deo, et conversionem ad creaturam, ortam ex actuali peccato, quod praecessit. Nos hanc postremam sententiam, quae non re, sed verbis differt a sententia Thomistarum, defendimus.

PROPOSITIO

Peccati macula, sive peccatum habituale est permanens, et habitualis aversio a Deo, et conversio ad creaturam, ex actu peccati producta.

Prob. I. Animae pulchritudo, ut in Tractatu de Gratia explicavimus, nihil aliud est, nisi rectus ordo partium, sive potentiarum ipsius animae, quo scilicet mens recte ordinata, ac modo permanenti conversa est ad Deum, illum super omnia diligens. Ergo macula animae ex peccato inducta, est hujus ordinis *habitualis* perversio, qua scilicet mens a Deo aversa manet, donec per actum ferventioris charitatis ad eum convertatur.

Prob. II. auctoritate, ac ratione. 1.° S. Thomas 1a. 2ae. *Q.* LXXXVI. *art.* 1. *Macula*, inquit, *proprie dicitur in corporibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis, et aurum, et argentum, et aliud hujusmodi ... Est autem quidam animae tactus, quando inhaeret aliquibus rebus per amorem; cum autem peccat, inhaeret rebus aliquibus contra lumen rationis, et divinae legis, ut ex supradictis patet. Unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animae metaphorice vocatur.* Pergit vero *art.* 2. *Macula peccati remanet in anima, etiam transeunte actu peccati, cujus ratio est, quia macula, sicut dictum est, importat quendam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis, vel divinae legis. Et ideo quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in ea macula peccati. Sed postquam redit ad lumen rationis, vel ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula cessat.* 2.° Hanc doctrinam S. Thomas ex *Augustino* deprompsit, cujus illa sententia est; ***Anima media inter Deum, et creaturas, conversione ad Deum illuminatur, melioratur, et perficitur: conversione ad creaturas obtenebratur, deterioratur, et corrumpitur.***

3.°

8.° Denique idem docet S. Bonaventura *in II. Dist. XXX. art. 2. Q. 1. in omni*, inquit, *peccato est aliqua conversio ad creaturam, vel in actu, vel in habitu.* Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Constans est *Augustini* sententia, homicidium, aliaque peccata *transire actu, manere reatu.* Ergo in ipso tantum permanente reatu ponenda est peccati *habitualis* natura.

℟. *Dist. ant.* Homicidium, aliaque peccata transeunt actu, et manent reatu culpae, et poenae, *conc.* Manent reatu solius poenae, *neg.* Concedimus igitur cum *Augustino*, peccatum transeunte actu, manere reatu, sed reatum illum non in solo luendae poenae debito constituendum esse, dicimus; sed in *habituali*, ac voluntaria aversione a Deo, propter quam peccator reus poenae luendae est.

Inst. 1.° Post transeuntem peccati actum, homo saepe ad alia, vel bona, vel indifferentia vertit animum, imo saepe penitus peccati obliviscitur. Non ergo manet *habitualis* aversio a Deo, et conversio ad creaturas.

℟. *Neg. cons.* Non enim ideo Philosophus *ex. gr.* amittit ratiocinandi habitum ex eo, quod aut aliis rebus occupatur, aut somno.

Inst. 2.° In habitibus naturaliter adquisitis, etiam recedente actu, manet in anima dispositio illa, atque inclinatio in similes actus; ideoque mirum non est, quod Philosophus, etiam somno occupatus, habitum ratiocinandi servet. Atqui ex uno peccati actu non semper inducitur in animam habitus, ut supra diximus. Ergo etc.

℟. *Dist. min.* Non semper inducitur habitus, sed tamen actus illud, quo homo a Deo avertitur, efficit semper, ut homo a Deo maneat aversus, donec per gratiam convertatur, *conc.* Secus, *neg.* Potest quidem homo per liberum arbitrium a Deo averti, sed non potest per idem liberum arbitrium sine gratia aversionem illam corrigere; ideoque semper manet; etiam

transeunte actu, a Deo aversus, donec Deus ipse per gratiam illum corrigat, atque convertat.

Inst. 3.° In eo, qui Regem offendit, post transeuntem actum nihil aliud remanet, nisi reatus poenae, ex quo ille dicitur majestatis reus. Ergo a pari etc.

℟. *Neg. cons. et parit.* Regis enim amicitia, quam crimen majestatis violat, ac solvit, nihil efficit intrinsecus in anima hominis. At Dei amicitia, quam solvit peccatum, efficit intrinsecus in anima hominis rectum ordinem voluntatis ad Deum per gratiam sanctificantem. Hic autem ordo semel per peccatum perturbatus, ita manet, donec restituatur per gratiam.

Corollaria.

I. Ergo peccatum veniale absolute quidem non inducit in animum maculam, sive *habituale* peccatum; cum non sit absoluta aversio a Deo, ut supra diximus. Inducit tamen maculam *secundum quid*, ut ait *S. Thomas*, eo quod animam privat nitore illo, qui ex fervore, atque actibus charitatis refulget, ideoque peccata ipsa venialia aliquo modo sordes dici possunt; unde ait Leo M. *Serm. IV. in Quadrag. Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.* Quas quidem sordes quotidiana poenitentia, et ferventiores charitatis actus abluunt.

II. Quoniam macula peccati sita est in *habituali* voluntatis aversione a Deo; hinc sequitur, non maculari animam absolute per solam rerum turpium intellectionem. Non est enim intellectus, sed voluntatis animam conjungere, et assimilare *objecto*; unde dicitur Oseae IX. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt.* Contra vero intellectus *objecta* sibi assimilat, et spiritalia quodammodo reddit, solam veritatem in iis spectans, ac repraesentans. Quod patet ex intellectu divino, qui non foedatur ex cognitione clarissima rerum etiam turpissimarum, quarum ipsos peccatores pudet; sed *ex accidenti* intellectio animam maculat, quia occasio esse solet, ut voluntas ad malum moveatur. Sic cogitatio rerum turpium libidinem inflammat, injuriae acceptae iram, etc. Quapropter sol-

sollicite cavendum est, ne diutius ejusmodi objectis, quae incautis subrepere solent, advertamus animum.

II. Ex dictis etiam sequitur, non posse unius peccati mortalis maculam sine alia auferri, cum non possit homo simul esse a Deo aversus, atque ad eum conversus. Potest tamen unius venialis peccati macula sine alia auferri. Cum enim maculae illae nihil aliud sint, nisi privatio ferventioris charitatis, possitque homo circa unum *objectum* esse ferventior, circa aliud frigidior, ac remissior, potest unum veniale peccatum sine alio remitti, atque aboleri.

C A P. XXVI.

De Virtutibus generatim.

Adv. I. Explicata peccatorum natura, ac divisione, jam contraria ratione de virtutibus disputandum est. Sicut enim peccatum est perturbatio recti ordinis contra legem aeternam Dei; ita e contrario virtus conservatio est recti ordinis juxta legem ipsam.

II. Cum autem rationalis creatura posita sit media inter Deum, et res inferiores, rectus ordo in eo est, ut Deo inhaereat, eumque diligat propter ipsum; seipsam vero, resque inferiores diligat propter Deum. Hinc virtus ab Augustino *Lib. XV. De Civ. cap.* 22. definitur *ordo amoris*. *Mihi*, inquit, *videtur quod definitio brevis, ac vera virtutis ordo est amoris.* Quam definitionem saepe variis in locis inculcat, et explicat. Et quidem ad hanc definitionem facile reduci possunt aliae sive a Philosophis, sive a Theologis excogitatae. Quod enim *Aristoteles* definivit virtutem, *quae bonum facit habentem se, et actum ejus bonum*; et Plato *qua bene, beateque vivimus, vel ad bene, beateque vivendum ducimur*; S. Thomas, *qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*, omnes utique definitiones istas, aliasve similes una illa Augustiniana complectitur. Nam ordo amoris *bonum facit habentem se, eo bene, beateque vivimus, vel ad bene, beateque vivendum*

dum ducimur; *eo nullus male utitur*, *eumque Deus in nobis sine nobis operatur*, per gratiam scilicet, quae prima liberum movet arbitrium.

III. Verum ne qua in hac tractatione ambiguitas sit, animadvertendum est, nos hic disserere de vera virtute; hoc est non de ea, quam Philosophi inflatius praedicabant; sed de virtute non solum ex officio, ac fine proximo, verum etiam ex ultimo fine perfecta, quae ad beatam vitam saltem inchoate nos dirigit, quamque Patres simpliciter virtutem appellarunt.

IV. Rursum spectari potest virtus vel quoad habitum, sive permanentem ordinem voluntatis ad Deum, vel quoad actum, sive qui habitum praecedat, et ad eum disponat, sive qui ex praecedenti habitu consequatur.

V. Cum autem ordo amoris nihil aliud sit, nisi ipsa charitas vel actualis, si actualis est amor, vel habitualis, si amor habitualis est, quaeritur 1.° utrum esse possit vera virtus sine charitate, 2.° utrum sit aliqua virtutum divisio, an vero unica sit virtus, scilicet charitas; 3.° utrum omnes ita secum connexae sint virtutes, ut una sine aliis esse nequeat.

PROPOSITIO I.

Nulla est vera virtus sine aliqua charitate saltem actuali, et imperfecta, sive qualicumque amore bonitatis.

Prob. I. Apostolus *I. Cor. XIII.* varios enumerans virtutum actus etiam heroicos, sic ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quod ex loco sic concludit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XXIII. art. 7. Ex Apostolo nulla virtus sine charitate prodest; Sed vera virtus multum prodest secundum illud Sap. VIII. Sobrietatem, et justitiam, et prudentiam, et virtutem*

tem docet; quibus utilius nihil est in vita hominibus: ergo sine charitate vera virtus esse non potest.

Prob. II. ex PP. 1.° Augustinus *Epist. CLXVII. al. XXIX. Ut breviter*, inquit, *generaliterque complectar, quam de virtute habeam notionem . . . virtus est charitas, qua id quod diligendum est, diligitur.* 2.° Chrysostomus *Hom. XXIII. in Epist. ad Rom. Virtutis principium, ac finis est charitas: hanc habet radicem.* 3.° Leo M. *Serm. X. in Quadrag. Nudae sunt sine charitate virtutes, nec potest dici in quantalibet excellentia virtuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* Idem alii docent.

Prob. III. ratione. Non potest esse vera virtus, nisi ad debitum finem ultimum dirigatur: *Non est vera virtus*, inquit Augustinus, *nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est* Lib. V. De Civ. cap. 12. *Noveris non officiis, sed finibus distinguendas esse a vitiis virtutes Lib. IV. cont. Jul. cap.* 3. Non potest autem in finem ultimum dirigi, nisi finis ipse diligatur; finis enim est qui maxime diligitur. Atqui debitus finis ultimus non diligitur, nisi charitate. *Ordinatio debita ad finem est per charitatem*, inquit S. Thomas *loc. cit.* Ergo vera virtus sine charitate esse non potest.

PROPOSITIO II.

Licet vera virtus nihil aliud sit, nisi ordo amoris, sive ordinata charitas; non unica tamen, sed multiplex est distinguenda virtus.

Prob. Licet omnes humani actus, ut boni sint, ad Deum tamquam ad ultimum finem referendi sint, ut supra docuimus; tamen pro varietate objecti, ac finis proximi, varia est humanorum actuum species. Ergo licet omnis vera virtus ex charitate proficiscatur; quia tamen varia sunt objecta, ac fines proximi, varias etiam virtutes distingui necesse est. Praeclare Augustinus *Lib. I. De morib. Eccl. Cath. cap.* 15. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.*

Ita-

Itaque illas quatuor virtutes . . . , sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se praebens ei, quod amatur; fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur; justitia amor soli amato serviens, et propterea recte dominans; prudentia amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse dicimus, idest summi boni, summae sapientiae, summaeque concordiae. Ergo.

Corollarium.

Quemadmodum igitur Sol iste, quem videmus, etsi unus, pro variis tamen effectibus magnam exhibet virtutis suae varietatem, sic charitas, quamvis una, pro varietate tamen *objectorum* varias induit virtutum formas. Si ergo in Deum *immediate* feratur tamquam *objectum materiale primarium*, et aliquod ejus attributum tamquam *motivum*, sive *objectum formale*, virtus Theologica est, eaque varia pro varietate divinorum attributorum, ad quae praecipue refertur; si in bonum creatum, quod referatur ad Deum, virtus est moralis, eaque rursus varia pro varietate bonorum, quae ad Deum summum bonum referri possunt.

PROPOSITIO III.

Etsi virtutes morales sine charitate verae, ac perfectae virtutes non sunt, tamen si operum honestatem inspicias; strictius loquendo vitia dici non possunt.

Prob. 1.° Quae, inspecta operum honestate, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus, ea strictius loquendo vitia dici non possunt. Atqui *etiam impiorum, nec verum Deum veraciter, justeque colentium quaedam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus*, quamquam ex

ex fine deficiant, ut inquit Augustinus *Lib. De Spiritu., et lit. cap.* 27. Talia sunt multa Graecorum, et Romanorum egregie gesta. Idque confirmant Decreta S. Pontificum *Pii V.* et *Gregorii XIII.* qui eam *Baji* propositionem damnarunt: *Omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Ergo etc.

2.° Non usque adeo, ut saepe monet *Augustinus*, per peccatum detrita est in homine imago Dei, ut nulla in eo veluti extrema lineamenta remanserint, per quod aliquod opus ex officio, et fine proximo bonum possit efficere. Sed illud, ad quod ipsa per se imago Dei non penitus detrita inclinat, ac movet, non potest strictius loquendo vitium appellari. Ergo etc.

Scholion.

Virtutes morales, ac civiles, quae sine ulla charitate ab impiis, vel infidelibus exerceutur, licet stricte vitia dici nequeant, ut mox diximus, si *objectum*, ac finis proximus bonus sit, et ad communem humanae societatis utilitatem plurimum conducant: peccat tamen qui eas ad debitum non refert finem; quod peccatum non *vitium* est *operis*, sed *vitium operantis*. Nihilominus Patres uno complexu in iis virtutibus considerantes et operis officium, et vitium operantis, tamquam unum morale *objectum*, saepe affirmant, opera infidelium, licet egregia, non virtutes, sed vitia potius esse existimandas. *Proinde*, inquit Augustinus *Lib. XIX. de Civ. Cap.* 24. *virtutes, quas sibi habere videtur* (homo) *per quas imperat corpori, et vitiis ad quodlibet adipiscendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsae vitia sunt potius, quam virtutes.* Ad hoc autem umbratiles hujusmodi virtutes valent, ut homines minus sint improbi, minusque puniantur.

Di-

Diluuntur Objecta.

Objic. I. cont. 1m. *prop.* Nemo negaverit, vere bonam esse, ac laudabilem pietatem erga parentes, clementiam, et misericordiam erga afflictos, fidem, ac justitiam erga alterum. Atqui multorum infidelium hujusmodi facta laudantur. Ergo potest sine charitate esse vera virtus.

℞. *Dist. maj.* Nemo negat, vere bonam esse pietatem etc. ex officio tantum, et sine proximo, *conc.* Absolute, et omni ex parte *subdist.* Si ad debitum finem ultimum ex aliqua charitate referatur, *conc.* Secus, *neg.* Illi ergo, qui sine ulla charitate ejusmodi opera fecerunt, licet ex officio, et fine proximo non peccaverint, ex fine tamen ultimo defecerunt. *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*, ut inquit Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap.* 3. Et *Lib. XIX. De Civit. cap.* 25. *Licet a quibusdam tunc verae, et honestae putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae, et superbiae sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt*, non quidem ratione ipsius operis, sed vitio operantis.

Inst. 1.° Sicut inter actus bonos, ac malos nullus est *in individuo* indifferens, ut supra docuimus, ita inter virtutem, et vitium, nihil medium est. Ergo si infidelium sine charitate bona opera verae virtutes non sunt, vera vitia dicenda sunt. Sed hoc negatur in *Prop.* III. Ergo non secum invicem cohaerent nostrae doctrinae capita.

℞. *Dist. maj.* Inter virtutem, ac vitium nihil medium est in individuo actu operantis, *conc.* In specie, sive in ipso operis *objecto*, ac sine proximo, *neg.* Fatemur itaque, eum, qui in individuo opera virtutis exercet, quae ad debitum non refert finem, non bonum, non indifferentem, sed vitiosum esse; sed hoc vitium non ipsius operis, quod bonum est, sed vitium est operantis. Patres autem inspicientes non solum

solum officium, ac proximum finem, sed etiam defectum operantis, tamquam unum morale, vitia potius, quam virtutes appellarunt quaecumque infidelium officia a charitate sejuncta. Ceterum potuerunt infideles, atque impii ex gratia Dei aliqua bona facere, etiam ex fine ultimo, quae verae virtutes dicenda sunt.

Inst. 2.° Moralis honestas, quae in actibus ex officio, et proximo fine bonis elucet, Deo utique placet. Atqui quod Deo placet, vera virtus est. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Moralis honestas Deo placet, quatenus ipsa per se seorsim spectatur, *conc.* Quatenus ad Deum ab operante non refertur, *neg.*

Objic. II. Charitas ipsa a fide proficiscitur. Ait enim Augustinus *Lib. I. De doct. Christ. cap.* 31. *Non potest aliquis diligere quod esse non crediderit.* Ergo non est ipsa aliarum virtutum radix, et principium.

℟. *Neg. cons* Nam 1.° ipsa fides esse non potest sine aliquo pio credulitatis affectu, et supernaturali amore veritatis; unde ait ipse Augustinus *Tract. XXXVI. in Joan. Nemo credere potest, nisi volens:* hoc est aliquo pacto amans veritatem. 2.° Quia si ponatur fides sine ulla omnino charitate non erit vera, ac perfecta virtus, ut docet S. Thomas 2a. 2ae. *Q. IV. art.* 5. *Cum credere sit actus intellectus assentientis vero ex imperio voluntatis: ad hoc quod iste actus sit perfectus, duo requiruntur, quorum unum est, ut intellectus infallibiliter tendat in suum bonum, quod est verum; aliud autem est; ut voluntas infallibiliter ordinetur ad ultimum finem, propter quem assentit vero . . : Fides autem informis non est virtus etc.* Ceterum posita fide ex pio illo credulitatis affectu; sive imperfecta charitate, per fidem perficitur ipsa charitas, ideoque ait *Augustinus*, neminem posse diligere, scilicet per charitatem perfectam, quod esse non crediderit. Praecedit igitur ipsam fidem cogitatio rerum credendarum, sequitur pius credulitatis affectus in voluntate, quae est imperfecta quaedam charitas, tum fides ipsa concipitur, post quam spes, et perfecta charitas.

Inst.

Inst. 1.° Quod, amissa per peccatum charitate, manet adhuc in animo, potest esse sine ulla charitate, ideoque a charitate non oritur. Atqui amissa per peccatum charitate, manet vera fides in peccatoribus, ut Concilium Tridentinum *Sess. VI. can.* 28. definivit. Ergo.

℟. *Dist. min.* Manet vera fides, amissa charitate *habituali*, et justificante, *conc.* Amissa omni prorsus etiam *actuali*, et imperfecta charitate, sive amore veritatis, *neg.* Damnat igitur Concilium Luteranos, qui per solam fidem justificari hominem contendentes asserebant, non amitti justitiam, sive charitatem justificantem, quin simul fides ipsa destruatur. Perperam tamen inde concluditur, destructa *habituali* charitate, non manere adhuc in homine qualemcumque veritatis amorem, quo servatur fides.

Inst. 2.° Idem Concilium *Sess. VI. Cap.* 6. varios enumerans, et explicans motus animi, quibus ad justificationem disponitur, ait, fidem praecedere ipsum charitatis initium; nam post fidem, timorem, ac spem in Deum, ait, peccatores ipsum Deum *tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* Ergo si fides praecedit ipsum dilectionis initium, a dilectione non oritur.

℟. *Dist. ant.* Concilium asserit, fidem praecedere initium charitatis in corde dominantis, qua Deus ut omnis justitiae fons super omnia diligitur, *conc.* Asserit, praecedere omnem imperfectae charitatis motum, quo Deus tamquam omnis veritatis fons utrumque diligitur, *neg.* Ejus ergo charitatis initium, ex Tridentino post fidem, timorem, ac spem concipitur, quo homo *movetur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem.* Ejusmodi autem odium, quod ad conversionem, et justificationem requiritur, debet esse *super omnia*, ideoque ab ejusmodi charitate oritur, quae super omnia sit. Non vero Tridentini Patres, ipsam fidem ex alio imperfecto dilectionis motu proficisci, cum ibidem dicant, homines gratia Dei excitatos libero voluntatis actu moveri ad credenda ea, quae divinitus revelata sunt, qui quidem voluntatis

motus

motus sine aliqua dilectione esse non potest, ut *Lib. VII. cap.* 9. explicavimus.

Inst. 3.° Ex Augustino *Fides prima datur, ex qua impetrentur cetera*, ipsa nempe dilectio *Lib. De praedest. Sanct. cap.* 7. Ergo.

℞. *Dist.* Ex fide impetratur ipsa dilectio perfectior, *conc* Ipse primus dilectionis qualiscumque motus, *neg.*

PROPOSITIO IV.

Virtutes omnes in gradu perfecto ita secum invicem connexae sunt, ut una sine ceteris esse non possit. Secus vero, si imperfectae.

Prob. 1a. pars I. ex PP. 1.° Augustinus *Lib. VI. De Trin. cap.* 4. *Virtutes*, inquit, *quae sunt in animo humano, quamvis alio, atque alio modo singulae intelligantur, nullo tamen modo separantur ad invicem.* 2.° Ambrosius *Lib. De Paradiso cap.* 3. *In quo aliqua harum, quas diximus, principalis est virtus, in eo etiam ceterae praesto sunt, quia ipsae sibi sunt connexae, concretaeque virtutes.* 3.° Hieronymus *in Cap. XVI. Is. Philosophorum quoque sententia est, et Apostoli Jacobi, ut cui una defuerit, huic omnes deesse putentur virtutes*: et in Cap. LVI. *Virtutes invicem se sequuntur, et sibi haerent: ita ut qui unam habuerit, omnes habeat, et qui una caruerit, cunctis careat.* 4.° Gregorius M. *Lib. XXII. Moral. cap.* 1. *Una itaque virtus, sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta*, quod et ibi fusius explicat. Idem docent Bernardus *Serm. de Annunc.* aliique.

Prob. II. Nulla vera, ac perfecta virtus esse potest sine prudentia. Atqui prudentia, quae ad cuncta agens da se extendit, sine ceterarum adjumento virtutum perfecta esse nequit; non enim est perfecte prudens, qui temperantia, fortitudine, justitiave caruerit. Ergo etc. Hac ratione etiam Gentiles Philosophi hanc doctrinam tradidere, ut Aristoteles *Lib.* VI. *Moral. cap.* 13. Cicero in Libris *De Officiis, et in Quaestionibus Tusculanis*, aliique.

Prob.

Prob. 1a. *pars.* Multos passim vidimus, aut in historiis legimus, ad unam fuisse propensos virtutem, qui aliis caruerunt; *ex. gr.* coluisse justitiam, cum temperantia carerent, aut fuisse temperantes, non item tamen justos, aut fortes, vel ex quodam naturae temperamento, vel consuetudine, aliave de causa. Ergo etc.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Apostolus I. *Cor.* VII. 7. ait.; *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Imo in *Cap.* XIII. ait, esse posse egregia fortitudinis, et misericordiae opera sine charitate. Ergo.

℞ *Neg. cons.* Nam in priore loco ait Apostolus, unum habere donum castitatis virginalis, alium vero aliud: quod non est contra sententiam nostram, cum possit esse unum, aut alterum Dei donum cum omnibus virtutibus. In posteriore vero non ait, esse posse fortitudinem, aut misericordiam perfectam sine virtutibus ceteris, sed posse aliquem opera efficere egregia, quae tamen non ex vera, atque perfecta virtute proficiscuntur.

Objic. II. Hieronymus *Lib.* I. *cont. Pelag.* ait, neminem in hac mortali vita cunctas posse habere virtutes, cumque sibi objecisset Philosophorum doctrinam, qui cunctas virtutes secum invicem putarunt esse connexas, respondet: *haec doctrina non est Apostolorum, nec mihi curae est, quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat,* Quibus similia alibi repetit. Cui concinit Augustinus *Epist.* CLXVII. *al.* XXIX. *Non ista,* inquit, *divina sententia est, qua dicitur. Qui unam virtutem habuerit, omnes habet eique nulla inest, cui una defuerit.* Ergo.

℞. *Dist. ant. Hieronymus,* et *Augustinus* negant, unum omnes habere posse virtutes in sensu Pelagianorum, quos impugnabant, *conc.* Secus, *neg.* Putabant enim Pelagiani, ita omnes in uno esse posse virtutes plenas, atque perfectas, ut nulla in re, ne leviter quidem, peccaret. Quod merito *Hieronymus* atque *Au-*

Augustinus negant. Adde, *Augustinum* in laudata Epistola Stoicos etiam redarguere, qui ex connexione virtutum falso concludebant, omnia inter se peccata aequalia esse, eoque sensu virtutum nexum intelligebant; ut qui contra unam peccaverit, contra omnes peccasse existimetur, quae sententia *non est*, utique *divina*.

Objic. III. Singulae virtutes propriam honestatem habent, et potest quis unius virtutis opera frequenter agere sine aliis, ut in ea virtute evadat perfectus; imo credibile non videtur, ut qui unius virtutis opera frequentius agit, repente etiam virtutibus aliis, quarum efficere opera neglexit, exornetur. Ergo.

℟. *Conc. ant. quoad* 1m. *part. Dist. ant. quoad* 2m. *part.* Potest quis unius virtutis opera frequenter agere sine aliis, eo modo, qui ad perfectam requiritur virtutem, *neg.* Eo modo, qui ad imperfectam virtutem sufficit, *conc.* Cum ergo singulae virtutes propriam honestatem habeant, potest aliquis imperfecte unam sine altera exercere. Non potest tamen perfecte, ut supra diximus. Vide haec fusius apud Sylvium *in* 1m. 2ae. *Q.* LXV. *art.* 1.

CAP. XXVII.

De virtutibus Theologicis, ac primo de fide, ejusque natura, objecto, ac divisione.

I. Diximus in superiori Capite *Corol. Prop.* II. virtutes omnes, licet ab una charitate proficiscantur, dividi in Theologicas, ac morales. Illas *αμεσως immediate* Deum ipsum, has vero bonum creatum, quod referatur ad Deum, respicere. De prioribus hic est accurate disserendum.

II. Potest quidem a nobis spectari Deus, vel ut summum verum, vel ut summum bonum. Rursus si spectetur ut summum bonum, vel consideratur ut summum bonum in seipso, vel ut summum bonum erga nos. Virtutes igitur, quae *immediate* Deum ipsum respiciunt, ideoque *Theologicae* appellatur, omnino tres sunt. Virtus enim, quae ad Deum fertur, ut summum

mum verum, fides est; quae vero ad Deum fertur ut summum bonum nostrum, spes est; quae denique ad Deum fertur, ut summum bonum in seipso, charitas est. A fide igitur est auspicandum.

§. I.

De fidei natura, et objecto.

Ado. Fidem ita definit Apostolus *Heb.* XI. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur autem 1.° *substantia*, seu υπόστασις, tum qui fundamentum est, ac veluti basis spei nostrae, tum quia res sperandas tam certo ostendit, ut jam veluti praesentes illas, ac subsistentes intueri videamur, sicut de fide Moysis ibidem dicitur *v.* 27. *Invisibilem tamquam videns* sustinuit. Dicitur 2.° *rerum sperandarum*, quia praecipuum ejus objectum Deus est, quo nos speramus aliquando fruituros, et ad quem finem omnia, quae credimus, referuntur. Dicitur 3.° *Argumentum* per *metonymiam*, quasi convictio, ut legit etiam Augustinus *Lib.* XIII. *de Trin. cap.* 1. et firma animi persuasio, qualis solet ex evidenti argumento, ac demonstratione in nobis effici. Dicitur 4.° *non apparentium*, hoc est eorum, quae nondum clara, ac beata visione conspicimus, licet nonnulla ratione naturali utcumque videamus. Quamvis autem aptissima illa Apostolicae fidei definitio sit, Scholae tamen ad clariorem explanationem earum rerum, quae ad fidei naturam pertinent, aliam passim tradunt, quam nos sequenti propositione explicamus.

PRO-

PROPOSITIO.

Fides recte definitur: Virtus Theologica divinitus infusa, qua, propter divinam veritatem, firmiter assentimur omnibus, quae revelavit Deus, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit.

Prob. Verba illa *Virtus Theologica divinitus infusa* explicant *genus*, in quo fides, spes, et charitas conveniunt: reliqua vero *differentiam*. Dicitur autem fides 1.° *Virtus Theologica divinitus infusa*, quia, ut docuimus *Lib.* VII. contra Semipelagianos, ipsum fidei initium non per naturae vigorem, sed per Dei gratiam donatur credentibus. Inquit enim Apostolus *Philip. I.* 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini.* Unde Concilium Arausicanum II. *Can.* 5. *Si quis*, inquit, *sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiae donum, sed nobis naturaliter inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius reperitur.* Vide quae fusius diximus *Lib.* VII. *Cap.* 11.

Dicitur 2.° *Qua, propter divinam veritatem firmiter assentimur*, quia credendi ratio, sive *motivum*, et ut Scholae ajunt, *objectum formale* fidei est divina veritas, quam falli, aut fallere omnino repugnat; ideoque tam firmus inde oritur assensus, ac certa in nobis persuasio, quae omnem aliam quamvis exploratam, ac certam veritatem longe superat, *verbum enim Dei summa ratio est*, ratio vero humana rivulus quidam est, atque exigua participatio summae illius, ac necessariae rationis.

Dicitur 3.° *Omnibus, quae revelavit Deus* quia licet *objectum materiale primarium* fidei sit ipse Deus unus, ac trinus, quo frui speramus, tamen quidquid Deus revelavit, objectum fidei est *totale*, *et adaequatum*, atque ad Deum ipsum refertur.

Dicitur 4°. ***Et nobis per Eccleeiam credenda proposuit***, quia licet ii, qui primitus a Deo excitati sunt ad fundandam, ac instruendam Ecclesiam, ut Moy-

Inst. 1.° Qui suae ignorantiae, aut tardioris ingenii conscius est naturaliter credit viro doctiori, ac veraci, quamvis evidenter non cognoscat rationem eorum, quae credit, ut videmus in pueris, in rusticis, aliisque omnibus, qui novam artem, aut disciplinam discere incipiunt; unde Augustinus *Lib. de utilitate credendi* docet, in omni hominum aetate, atque statu utilem esse, imo et necessariam fidem, sine qua nec vivere homines possent; unde enim scirent, quae utilia, quae noxia sunt; nisi ex auctoritate majorum? Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Homo ingenii tardioris naturaliter credit doctiori ex ratione, sive *motivo* naturali, quod non omnino aufert errandi periculum, ac metum, *conc.* Credit motivo *supernaturali.* quod certissimam, ac firmissimam animi persuasionem efficiat, qualis est assensus fidei divinae, *neg.*

Inst. 2.° Quod Ecclesia aliquid publice credendum proponat, pauci sunt, qui ἀμέσως norunt ex ipsis Ecclesiae definitionibus, quae in Actis Conciliorum continentur; reliqui edocentur a Pastoribus, a magistris, a parentibus, quos etiam ut homines falli posse, certum est, et aberrare ab Ecclesiae doctrina. Ergo etiam in ipsis fides, humana ac naturali ratione, sive *motivo* nititur.

℟. *Neg. cons.* Ratio enim cur rusticus credit ea, quae proponuntur a pastore, est quia prudenter existimare debet, eam esse Ecclesiae doctrinam, licet ex accidenti contingere possit, ut pastor ipse fallatur, aut fallat: sicut etiam fieri posset, ut qui Ecclesiae ipsius definitionem in Conciliis oecumenicis audiret, aut legeret, erraret non bene legendo, aut intelligendo quae proposita sunt.

Inst. 3.° Ergo, inquies, fidei divinae falsum aliquid subesse potest. Si enim pastor bona, malave fide, falsa doceat, rusticus prudenter existimans, eam esse Ecclesiae doctrinam, fide divina credit, quod falsum est.

℟. *Neg. seq.* Si quando enim accidat, pastorem falsa docere, rusticus falso putat, eam esse Ecclesiae doctrinam; ideo erit illa humana persuasio, quae in ra-

rustico culpari, aut reprehendi nequit, non divina fides, quae cum sit a Deo in falsum inclinare non potest.

Corollaria.

I. Quoniam *objectum formale* fidei, seu credendi ratio, ac *motivum* est ipsa Dei veritas, qua firmiter assentimur rebus ab eo revelatis, fit hinc, nullam esse fidem in eo, qui dubitat, an Deus locutus sit. Hinc merito damnata est ab *Innocentio XI.* anno MDCLXXIX. illa propositio. *Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.*

II. Rursus hinc sequitur, non esse veram fidem in eo, qui aut ex inani gloria, aut ex alia utilitate, aut ut securiorem ingrediatur viam, catholicam fidem profitetur, nec tamen contrarias haereses damnare audet. Quae quidem damnatio expresse exigenda est ab iis, qui ab haeresi ad catholicam fidem convertuntur; in catholicis enim ipsa firma fides contrariorum errorum implicita damnatio est.

III. Vera fides non est in haereticis, neque in beatis, neque in damnatis. In haereticis quidem, quia non credunt Ecclesiae, ex qua una certo scire possumus, quid revelaverit Deus: unde etiam ea dogmata quae cum catholicis habent communia, non vera fide, sed humana persuasione credunt: in beatis vero; quia jam clare vident, ac possident ea, quae primario in hac vita speraverant, et obscure cognoverant, licet adhuc per charitatem futuram corporum resurrectionem expectent; denique in damnatis, quia nihil jam ipsis sperandum superest, sed mera desperatio, nec ulla amplius Dei gratia moventur. In animabus vero, quae in Purgatorio detinentur, manet adhuc fides, cum adhuc beatitudinem sperent, et obscure cognoscant.

IV. Cum peccatores, modo in haeresim non inciderint, adhuc animo assentiantur, atque adhaereant iis, quae Deus revelavit, et Ecclesia ad credendum proponit, sequitur in peccatoribus veram esse fidem, quod

quod adversus Lutheranos in Concilio Tridentino definitum est, ut supra diximus.

V. Cum fides Ecclesiae propositionem requirat, consequens est, ut licet ante adventum Christi fides quoad numerum rerum credendarum paulatim increverit, donec veniret in plenitudine temporis ipse gentium praeceptor Christus; tamen a tempore Apostolorum usque ad mundi finem fides quoad substantiam; seu numerum rerum credendarum crescere amplius non possit. Tota enim, atque integra rerum credendarum revelatio Apostolis, et per eos Ecclesiae ab initio facta est. *Cum venerit ille Spiritus veritatis*, ait Christus *Joan. XVI.* 13. *docebit vos omnem veritatem*; et Joan. XIV. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*: quam veritatem tamquam depositum Apostoli Ecclesiae commendarunt. *O Timothee*, inquit Apostolus I. *Tim. VI.* 20. *depositum custodi*. Quae verba explicans Lirinensis *Commonit. I. Cap.* 27. *Quid est*, inquit, *depositum custodi? idest quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti, rem non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis, rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator non docens, sed sequens*. Et Cap. 32. *Christi vero Ecclesia cauta, et sedula depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter, sapienterque retractando, si qua illa sunt antiquitus informata, et inchoata, accuret, et expoliat*: (quod facit novis Conciliorum definitionibus) *si qua jam expressa, et enucleata consolidet, ac firmet, si qua jam confirmata, et definita custodiat*.

VI. Ergo in rebus fidei, ac morum, ad quas docendas Ecclesia instituta est, qui viciniores fuerunt Christo, a quo perfecte revelatio tum per ipsum, tum per Spiritum Sanctum facta est, ii doctiores existimandi sunt. Hinc merito illa propositio a Clero Gal-

licani

licano damnata est anno MDCC. *Puto, omnia esse hodie melius examinata: hanc ob rem in omni materia, et praecipue in morali libentius juniores, quam antiquiores lego, et sequor . . . . doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda est.* Verum de nonnullis junioribus ait S. Antoninus P. III. Tit. IV. cap. 5. *Vadunt ad inferos per vitium praesumtionis novitatum auctores, adinveniendo novas vias ultra consuetas ad regendum populum, sive ut extorqueant a subditis substantias, quod pertinet ad cupiditatem, sive ut laudentur ab omnibus tamquam sapientiores antiqais, recedendo sine causa a semitis eorum contra illud Proverb. XXII. Non transgredieris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

Scholion.

I. Diximus, fidem esse divinitus, ac supernaturali modo infusam contra Semipelagianos; sed advertendum est, nonuullos in animo actus fidem ipsam antecedere, qui naturales vires non exceduut. Primo enim percipit mens ea, quae praedicantur; deinde inquirit, utrum mereantur fidem; tertio expendens *motiva credibilitatis* judicat, credibilia esse quae proponuntur; haec inquam tria naturales animi vires non superant; licet etiam in his aliquando adjuvet Deus, sicut legimus *Act.* XVI. 14. *Quaedam mulier nomine Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum colens Deum, cujus Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo.* Quartum autem actum, quo mens *judicio practico.* statuit, nunc esse credendum, verisimilius est, esse supernaturalem, cum inde ipse actus fidei, qui supernaturalis est, semper sequatur. Unde ait Concilium Arausicanum. II. *Can.* 7. *Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere posse confirmat, absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, haeretico fallitur Spiritu.* Restat ergo, ut ad dogma fidei pertineat, supernaturalem esse

quin-

quintum, et sextum mentis actum, pium scilicet credulitatis affectum, ipsumque actum fidei.

II. Quamvis fides, ut supra diximus, quacumque alia naturali scientia fit certior, si ipsa per se spectetur; *ex accidenti* tamen sit, ut ratione *subjecti*, sive mentis, quae non satis attendit ad ipsius fidei *motivum*, assensus fidei minus fit certus, quam assensus scientiae evidentis *ex. gr.* Geometriae, ideoque non excludat formidinem aliquam, et dubitationem saltem involuntariam in mente fidelium. Ceterum absolute fides scientia certior est, quia certiori principio nititur, ita ut fidelis paratus sit de quacumque potius evidentia dubitare, imo et mori potius, quam dubitare de rebus fidei, unde ait Augustinus *Lib.* VII. *Confess. cap.* 10. *Facilius dubitarem vivere me, quam non esse veritatem; quae per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur.*

III. Etsi fides non naturali ratione, sed divina auctoritate nititur, unde inquit Gregorius *Hom.* XXVI. *in Evang. Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum*; tamen laudabile est, antequam ad fidem quis convertatur, inquirere, atque expendere *motiva credibilitatis*, sive argumenta illa, quae revera Deum locutum esse, ostendunt. Fidelem enim oportet esse prudentem: imprudens autem est, qui sine ullo examine credit quidquid ei obtruditur, ut ait Sapiens *Eccl.* XIX. 4. *Qui credit cito levis est corde.* Imo et postquam fides habita est, non minuit, sed auget meritum inquirere rationes, quibus aut fides ipsa magis firmetur, et credibilior evadat, etiam apud infideles, aut ea quae creduntur, si rationem naturalem non excedunt, etiam ratione demostrentur; modo tamen fidelis ita sit comparatus, ut credat, etiam si rationes illae non appareant. Quod si in fide haesitans rationes inquirat, sine quibus de fide dubitaret haec utique inquisitio meritum minuit, imo et fidem tollit. Vide S. Thomam 2a. 2ae. *Q.* II. *art.* 10. (* Ceterum ab infidelitate non excusatur infidelis, aut haereticus *non credens ductus opinione minus probabili*, ut ab *Innocentio* XI. definitum est. *)

IV.

IV. Licet credere Deo, credere Deum, et credere in Deum non sint actus specie inter se distincti, cum idem habeant *objectum* tum *materiale*, tum *formale*; differunt tamen pro diversa ratione, qua ad Deum referuntur. Credere enim Deo est ea credere, quae revelavit Deus; credere Deum est credere Dei existentiam; credere in Deum est non modo credere, sed spe, et charitate in Deum, tamquam ultimum finem tendere. Duo illa priora etiam in impiis esse possunt; tertium vero justorum est, qui fide viva, quae per charitatem operatur, ad Deum feruntur *Joan. VI. 29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* Joan. XIV. 1. *Creditis in Deum, et in me credite.* Quod et in symbolo profitemur, dicentes: *Credo in Deum Patrem omnipotentem; . . . in Jesum Christum . . . et in Spiritum Sanctum..* Hinc Augustinus. *Tract.* XXIX. *in Joan.* in ea verba: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum etc.* haec habet: *Ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si creditis ei, non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsis possumus dicere: credimus Paulo, sed non credimus in Paulum. Credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Credenti enim in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare; credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus, et non invenit, quod exigit, nisi donaverit quod inveniat.*

V. Quaerunt Scholastici, utrum assensus fidei sit *discursivus*, hoc est utrum actus fidei consistat in hujusmodi ratiocinatione: Deus verax est: Atqui Deus revelavit, Christum esse Deum; ergo Christus Deus est. Sed certissime tenendum est, fidem non in ratiocinatione, sed in simplici mentis assensu consistere. Nam si ex ratiocinatione constaret fides, quoniam *conclusio semper sequitur debiliorem partem*; et in proposito *syllogismo* una ex *praemissis* semper naturali ratione cognoscitur, alioquin progrediendum esset in infinitum; sequeretur hinc, fidem non esse superna-

tura-

turalem, sed naturalem, aut ejus certitudinem non superare certitudinem ejus propositionis, quae naturali ratione cognoscitur. (* quod tamen ab *Innocentio XI.* explosum est, damnata illa quorundam propositione: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* *) Requiritur quidem ante fidem inquisitio rationum, quae probant, vere Deum locutum esse, ut assensus sit prudens. Sed ea posita, mens per gratiam Dei propositae veritati simpliciter, ac firmiter assentitur.

VI. Quaestiones alias ab Scholasticis agitatas, quodnam sit *objectum formale quod*, et *sub quo fidei*, an scilicet Deus ut prima veritas *in essendo*, an vero *in dicendo*; utrum divina revelatio *ingrediatur objectum formale fidei*, an vero sit *conditio sine qua non*, et cetera ejusdem generis libenter omittimus; quae videre potes apud Gonet *Tom. IV. Tract. X.*

§. II.

De fidei divisione.

I. Dividitur primo fides in *habitualem*, et *actualem*. Habitualis est ipse habitus fidei divinitus infusus, atque animum inclinans ad promte, faciliterque credendum. Actualis vero est actus fidei, quo rebus a Deo revelatis assentimur.

II. Rursus fides *actualis*, sive ipse actus fidei dividitur in interiorem, et exteriorem. Interior est intimus mentis assensus rebus a Deo revelatis: exterior vero est ipse assensus verbis, aliisve signis extriusecus editus, sive manifestatus.

III. Porro fides actualis sive interior, sive exterior, vel est *implicita* vel *explicita*. Implicita est, qua generatim credimus omnia, quae Deus revelavit, vel quae continentur in altiori aliquo principio, quod credimus, sicut in existentia, ac providentia Dei continetur etiam mysterium Trinitatis, incarnationis etc. Unde S. Thomas in ea verba Apostoli *Heb. XI. 6. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et in-*

inquirentibus se remunerator sit, ait: *In esse divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem.* Explicita vero fides est, qua speciatim articulis fidei assentimur expresse; ut *ex. gr.* Trinitati, incarnationi etc.

IV. Denique fides sive *habitualis*, sive *actualis* dividitur in vivam, et mortuam; formatam, et informem. Fides viva est, *quae per charitatem operatur*, *Gal. V.* 6. Mortua vero est, quae operibus bonis est vacua. Formata dicitur, quae est in homine charitate; sive gratia sanctificante exornato; informis vero, quae est in peccatoribus. Fides autem formata etiam viva est; ubi enim est charitas, ibi et bona etiam sunt opera; sicut e contrario fides informis etiam mortua est, saltem quoad opera aeternae vitae meritoria. Ceterum fides viva, ac formata, ab informi, ac mortua non differt *specie*, sed una, eademque est, quae pro varia hominis, in quo est, dispositione, atque habitu, variam denominationem habet.

C A P. XXVIII.

De necessitate fidei.

I. Explicata superius fidei divisione, cum quaerimus de fidei necessitate, de omnibus ejus partibus, quae supra explicatae sunt; quaestio potest institui.

II. Igitur 1.° fides *habitualis* formata, ac viva paris est necessitatis, ac gratia sanctificans, a qua sejungi nequit. 2.° Fidem *actualem* in infantibus necessariam non esse, manifestum est, cum nullius actus capaces sint, et baptismate tantum suscepto, salvi fiant: eademque ratio est de adultis, qui babtismate in infantia initiati semper impotes rationis sunt. Restat igitur quaestio de adultis, qui, rationis usum habuerint, utrum ipsis necessaria sit *actualis* fides sive interior, sive exterior; sive *implicita*, sive *explicita*.

§. I.

§. I.

De necessitate interioris actus fidei in adultis.

Adv. I. Diximus saepe, necessitatem aliam esse *medii*, aliam *praecepti*, earumque naturam, ac differentiam explicavimus.

II. Praeterea ubi de gratia, de Trinitate, ac de Incarnatione tractavimus, diximus etiam tum generatim de necessitate fidei, tum speciatim de necessitate fidei explicitae Trinitatis, et Incarnationis. Hic tamen ubi proprius videtur locus, repetenda simul breviter, quae aliis in libris sparsim, ac fusius dicta sunt, simulque adjicienda ea, quae alibi, propterea quod non erant ejus loci, praetermittenda putavimus.

III. Hulricus Zuinglius in *Professione fidei* Francisco I. Gallorum Regi oblata *Socratem*, *Platonem*, *Aristidem*, et quod mirabilius est, *Herculem*, *Theseum*, aliosque in regno caelesti cum Christo, Patriarchis, aliisque sanctis collocavit. Ad eumdem accesserunt errorem, qui plus aeque Sinensium admiratores, falso affirmarunt, eos templum habuisse antiquissimum Deo creatori sacrum, multosque ex iis, spiritu Dei plenos, morum sanctitate claruisse (a). Denique *Berruyerus*, et *Harduinus* docuerunt, ante Christi adventum, imo etiamnum iis in locis, ubi praedicatum non est Evangelium, viguisse, ac vigere naturalem religionem, qua per cognitionem naturalem unius Dei remuneratoris pervenire homines ad aeternam beatitudinem valeant. Quae quidem dogmata Christianae religioni prorsus adversa hic breviter refutanda sunt.

PRO-

(a) Le Conte *Nouveaux memoires sur l'état present de la Chine Tom. II.*

PROPOSITIO I.

Actus fidei interior necessarius est adultis necessitate medii ad justificationem, et salutem.
Est dogma fidei.

Prob. I. Apostolus *Heb. XI. 6. Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*, et Rom. X. 10. *Corde creditur ad justitiam*, quae verba de fide actuali dicta esse, manifestum est. *Marc. XVI. 16. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo.

Prob. II. ex PP. 1.° Augustinus *Lib. De pecc. orig. cap. 24. Sine fide*, inquit, *unius mediatoris Dei, et hominum hominis Jesu Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, et Dei gratia justificari, veritas Christiana non dubitat.* 2.° Leo M. *Serm. LXIII. Una fides justificavit universorum temporum sanctos, et ad eandem, spem, et fidem pertinet quidquid per mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum vel nos confitemur factum, vel patres nostri adoravere faciendum, nec inter Judeos, et Gentiles ulla est distinctio.* 3.° Denique Concilium Tridentinum non solum ex Scripturis, sed ex perpetua Patrum traditione docet. *Sess. V. De justif. Cap. 8.* fidem esse *humanae salutis initium, fundamentum, et radicem omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire.* Ergo etc.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Justinus Martyr *Apolog. I. Christum*, inquit, *esse rationem illam, cujus omne hominum genus particeps est . . . supra demonstravimus, et qui cum ratione vixerunt, Christiani sunt, etiamsi athei existimati sint, quales apud Grecos fuere Socrates, et Heraclitus.* Haec est ipsissima Zuinglii, ali-

aliorumque, quos supra commemoravimus, doctrina. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Ex *Justino*, qui cum ratione vixerunt Christiani sunt latiori; et improprio sensu, *con.* proprie, *neg.* Vult ergo *Justinus*, eos, qui juxta regulam rationis vixerant, fuisse aliquo pacto Christianos, quia humana ratio rivulus quidam est, et participatio aeternae rationis, quae Verbum est Dei Patris *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. quod quidem Verbum caro factum, est Christus Jesus. Numquam autem *Justinus* Gentiles Philosophus vere, et proprie Christianos appellat, cum tales proprie non sint, nisi qui Christum, idest Verbum Dei incarnatum, ejusque doctrinam universam profitentur.

Objic. II. Clemens Alexandrinus *Lib. I. Strom.* ait: *Per se quoque aliquando Graecos justificavit Philosophia.* Ergo non necessaria fuit fides.

℟. *Dist. ant.* Justificavit Philosophia exterius, *conc.* Interius, *neg.* Ait enim ipse Clemens *Lib. VI. Strom. Iis, qui justi erant ex Philosophia, non solum opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent a cultu simulacrorum,* quibus verbis manifestum est, eos non fuisse vere justos. Unde concludit eodem *Lib. I. Strom. Abraham non ex operibus justificatus est; sed ex fide: nihil ergo ei Philosophis post vitae finem proderit, etiamsi nunc recte operentur, nisi fidem habeant.*

PRO-

PROPOSITIO II.

Non satis est, actum fidei semel in vita elicere, sed saepius, ac frequenter illum elicere praeceptum est.

Prob. 1*a. pars.* Quod sit praeceptum, aliquando elicere actum fidei, constat ex definitione *Alexandri* VII. qui eam damnavit propositionem. *Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quod autem non sufficiat, actum illum semel in vita elicere, constat ex definitione *Innocentii XI.* qui eam etiam damnavit thesim: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Ergo.

Prob. 2*a. pars.* 1.° Apostolus *Rom. I.* 17. *Galat. III.* etc. illud saepe incucat: *Justus ex fide vivit.* Atqui cujus vita spirituali ex fide pendet, is saepius fidem renovare debet, sicut ille, cujus vita animalis ex pane alitur, ac sustinetur, saepius panem edere debet. Ergo etc. 2.° Fides, ut ait Petrus, est *lucerna lucens in caliginoso loco II. Pet. I.* 19. Sed in loco caliginoso, ubi semel a luce avertas oculos, impingis, et corruis. Ergo. 3.° Denique varii sunt humanae vitae actus, in quibus actum fidei repetendum esse, certissimum est, ut primo cum rationis usu incipit; tunc enim homo primum ad Deum convertere animum debet; secundo cum gravis contra fidem tentatio pulsat; tertio cum suscipienda sunt sacramenta, aut vacandum orationi; quarto demum in exitu vitae. Ergo etc.

Scholion.

I. Praeceptum eliciendi actum fidei aliquando ipsum *per se* obligat, aliquando *ex accidenti.* Obligat quidem ex accidenti, cum scilicet alia occurrunt obeunda munia, quae nisi actus fidei eliciatur, recte exerceri non possunt, ut sunt illi humanae vitae actus, quos

quos paulo ante tertio loco commemoravimus. Per se ipsum vero obligat, cum licet alia non occurrant, ipsam tamen fidei virtutem exercere jubemur. (* Pueri quidem cum satis ipsis proposita fides est a parentibus, aut ab Ecclesiae ministris in ipso illucescentis rationis initio (quod tamen moralem aliquam latitudinem habet.) actum fidei elicere tenentur, ut post *S. Thomam* communiter Theologi affirmant. *) Sed quoties hoc praeceptum in anno, aut mense, aut die urgeat, definitum non est; generatim tamen dici sine errandi periculo poterit, toties esse actum fidei repetendum, ut vere de homine dici possit, illum ex fide vivere, praecipue vero in diebus festis, quibus mysteriorum fidei memoria celebratur. Ceterum omnes actiones suas ex fidei principiis, ac regulis, et fine debet exercere Christianus, sicut debet Philosophus omnes actus suos ad rectae rationis regulam, ac finem dirigere.

II. Cum fides, ut supra diximus, alia sit *explicita*, alia *implicita*, non sufficit *implicite* simul credere omnia, quae revelata sunt, sive quod eodem redit, quidquid credit Ecclesia; sed nonnulla sunt explicite credenda. Et quidem 1.° in quocumque hominum statu necessarium semper fuit *necessitate medii* credere, Deum esse, et quidem remuneratorem in altera vita, ideoque animam hominis esse immortalem: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*, unde contraria opinio ab Innocentio XI. damnata est.

2.° In statu vero legis Evangelicae necessarium est praeterea *necessitate medii* credere mysteria Ss. Trinitatis, et Incarnationis, ut docuimus *Lib. III. Cap.* 13. *Lib. VI. cap.* 10.

3.° Praeterea *necessitate praecepti* tenentur fideles scire Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, praecepta Decalogi, et Ecclesiae, nec non Sacramenta suscipienda, et Missae sacrificium. Et de Symbolo quidem, res est explorata ex perpetua Ecclesiae praxi quae omnibus saeculis non ministravit baptismum cathecumenis, nisi symbolum didicissent, et hodie etiam in Rituali Parochorum patrinos monet, eorum

esse

esse officii, ut infantes, quos de sacro fonte suscipiunt, symbolum edoceant. Et quidem turpissimum est, nescire Christianum praecipuos fidei articulos, qui continentur in symbolo, quod ab *Augustino* dicitur *Serm. LIX. de Verb. Evang. al. CXXXV. de Temp. Regula fidei nostrae brevis, et grandis: brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum.* Symbolo autem merito oratio Dominica adjungitur, quia fides oratione servatur, et fructum profert bonorum operum. De Decalogo autem, et ceteris, quae paulo ante diximus, res est per se manifesta, cum nemo possit vitam ducere Christianam nisi illa sciat. Cumque haec omnia duplici ratione sciri possint; vel scilicet memoriter et distincte, vel *quoad substantiam*, necesse est, fideles ea scire memoriter, et distincte, nisi adeo sint natura stupidi, ut nulla id omnino ratione, nullo labore sperari possit, quod vix potest accidere. Et haec quidem prae oculis habere debet Sacerdos, cum poenitentem earum rerum ignorantia laborantem deprehenderit. Qua de re in *Lib. VIII. Part. V.* diximus. Sed multo magis his de rebus sollicitos esse Pastores animarum, necesse est, qui de ovium suarum interitu rationem reddituri sunt: item *Missionarios*, qui vel ad infideles, vel ad haereticos mittuntur; quorum nonnulli gravissime hac in re errabant, praesertim apud Sinenses, quibus ad Ecclesiam venientibus proponere mysterium Crucis, aliaque Religionis dogmata metuebant. Sed de symbolo ipso nonnulla scitu necessaria sunt, quae sequenti §.II. expediemus.

§.II.

§. II.

De Symbolo.

Adv. I. *Symboli* nomen duo significat, collectionem scilicet rerum a pluribus collatarum, et tesseram militarem. Utroque autem sensu fidei nostrae regula symbolum dicitur; quia scilicet tessera quaedam est, qua veri Christiani discernuntur ab ethnicis, et quia collectio est plurium articulorum.

II. Est autem articulus fidei primaria fidei propositio, omnibus ab initio ad credendum proposita. quae peculiare, ac distinctum a ceteris dogma continet. Sic autem dicitur per metaphoram a membris human corporis, quae saepe dicuntur articuli. Sicut enim corporis membrum est praecipua quaedam pars peculiarem habens usum, aliisque minoribus constans partibus, ut caput, brachium, pedes etc. ita fidei articulus praecipua quaedam est fidei nostrae pars, ex minoribus partibus composita; et peculiare quoddam dogma explicans, ut *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Caeli, et terrae.* Licet ergo omnis fidei articulus sit etiam propositio fidei; non omnis tamen propositio, quae sive continetur in Scripturis, sive ab Ecclesia ex traditione definita est, articulus fidei dici potest.

III Tria autem Symbola Catholica Ecclesia profitetur, et servat; haereticorum enim varias excogitatas formulas nihil moramur; *Apostolicam*, *Nicaeno-Constantinopolitanum*, *et S. Athanasii.* Apostolicum est, quod a tempore Apostolorum semper fidelibus traditum est, ut fidei norma, ac tessera. Nicaeno-Constantinopolitanum, quod a duobus illis Conciliis auctum est, adjectis iis, quae ad Arii, et Macedonii haeresim convellendam visa sunt necessaria, cui deinde etiam particula *Filioque*, ut in *Lib. IV. cap. 7.* diximus, adjuncta est. Denique *Athanasianum* est, quod sub tanti Doctoris nomine est editum. De Symboli igitur Apostolici, atque Athanasiani auctore dicendum est.

IV. Erasmus *Paraphrasi in Matth.* revocavit in dubium, utrum revera Apostolicum Symbolum ab ipsis Apostolis compositum fuerit. Calvinus *Lib. II. Inst. cap.* 16. §. 18. id non esse anxie inquirendum, ait. Negant vero Vossius *Dissert. I. De tribus Symbol.* Dupinus in *Biblioth. Tom. I.* Anonymus auctor *Historiae Symboli Apostolici*; Basnagius etc. At catholici fere omnes illud affirmant revera conditum esse ab Apostolis.

PROPOSITIO I.

Symbolum Apostolicum merito hoc nomine insignitum est, imo revera est ab ipsis Apostolis compositum.

Prob. 1a. *pars*, quae etiam conceditur ab iis, qui Symbolum illud ab ipsis Apostolis conditum esse, aut negant, aut dubitant. Quod ab ipsis Apostolorum temporibus traditum est fidelibus ut regula fidei, quam Apostoli praedicarunt, id merito Apostolicum dicitur; etsi ejus fortasse ipsi Apostoli non fuerint auctores, sicut etiam *Apostolici canones* dicuntur, qui disciplinam continent, quae tempore Apostolorum viguit. Atqui ejusmodi est Symbolum Apostolicum. Patres enim vetustissimi illud vel ab ipsis Apostolorum temporibus traditum esse fidelibus, affirmant. 1.° Irenaeus *Lib. I. cap.* 2. ait: *Ecclesiam per orbem terrarum dispersam ab Apostolis, eorumque discipulis illud accepisse.* 2.° *Tertullianus Lib. cont. Praxeam cap.* 2. ait, *hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse.* 3.° Idipsum docent alii complures collecti a Natali Alex. *Hist. Saec. I. Dissert. XII.* Ergo etc.

Prob. 2a. *pars I.* Ex celebri illa *Augustini* regula *Lib. IV. De bapt. cont. Donat. cap.* 24 *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.* Atqui Symbolum Apostolicum universa semper tenuit, ac tenet Ecclesia, nec in ullo legitur Concilio institutum. Ergo.

Prob.

Prob. II. Ex omnium veterum Patrum auctoritate. Nam praeter *Irenaeum*, et *Tertullianum* paulo ante laudatos, 1.° Rufinus *in exposit. Symboli*: *Tradunt*, inquit, *majores nostri*, *quod post ascensionem Domini*, *et adventum Spiritus Sancti Apostoli discessuri ab invicem prius normam futurae praedicationis in commune constituerunt.* 2.° Hieronymus *Epist.* XXXVIII. *ad Pammach.* ait, *Symbolum fidei*, *ac spei nostrae ab Apostolis traditum.* 3.° Idem docent Leo M. *Epist. ad Pulcher.* aliique innumeri, quos praeter Natalem Alex. *loc. cit.* collegit Genebrardus *Lib. III. De Trinit.* Fevardentius in *Lib. I. Irenaei*, etc. ita ut contraria opinio merito magnae temeritatis coarguatur. Ipse *Lutherus*, licet ad omnem projectus audaciam, in *Colloquiis*, quae citat Fevardentius, haec de Symbolo habet Apostolico: *Symboli verba ab Apostolis constituta esse credo*, *qui in congregatione sua hoc Symbolum verbis tam brevissimis*, *et consolatoriis confecerunt. Est opus Spiritus Sancti rem tantam*, *tanta brevitate*, *ac tam efficacissimis*, *et emphaticis verbis describere. Extra Spiritum Sanctum*, *et Apostolos*; *non potuisset ita componi*, *etiamsi millia saeculorum illud componere conarentur.* Ergo.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Si ab Apostolis ipsis Symbolum compositum esset, 1.° *Lucas* id non siluisset in *Actibus Apostolorum*; 2.° Non esset tanta inter auctores pugna opinionum de modo; tempore, loco, ac fine, quo illud est editum. 3.° Omnes veteres Patres, aut saltem omnes olim Ecclesiae, symbolum illud eisdem verbis recitassent; quod tamen contra accidit: nam *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Origenes*, Ecclesia insuper Romana, Aquilejensis, et Orientalis diversis verborum formulis Symbolum exponunt, ut clare ostendit Dupinus *Lib. I. Bibliot.* qui in Tabulis per varios laterculos secum invicem comparatos symboli ipsius varietatem ob oculos lectorum ponit. Ergo.

℟. *Neg. ant. quoad omnes ejus partes.* Nam 1.° non erat necesse, ut Lucas id scriberet, quod erat ne-

omnibus fidelibus notissimum; ideoque nulla in posterum oblivione obliterari poterat: imo sicut alia etiam facta Apostolorum silet, sic etiam istud silere potuit; neque ex silentio (quod argumentum est *negativum*) contra totius vetustatis testimonium concludi potest. 2.° Quamvis de modo, tempore, ac fine conditi symboli dissentiant veteres; de re tamen ipsa consentiunt omnes; quod ad veritatem sufficit, alioquin de tota rerum historia actum esset: nihil enim ferme est in antiquitate, de quo non sit aliqua de tempore, et modo dissentio veterum. 3.° Cum Symbolum Apostolorum Scriptura Sacra non sit, quippe Apostoli illud non condiderunt, tamquam Spiritus Sancti amanuenses, sicut ceteras Scripturas, sed tamquam Ecclesiae Pastores: mirum non est, si nonnullae Ecclesiae quaedam ad clariorem rerum explicationem adjecerint, aut varii Scriptores variis verborum formulis illud recitent, cum propositum illis essent sensum potius exponere, quam verba.

Inst. Si ab Apostolis editum esset Symbolum, omnes Ecclesiae piaculo sibi duxissent aliquid de eo detruncare; saltem quoad sententias. Atqui apud nonnullas Ecclesias integrae deerant sententiae in Symbolo, quod recitabant. Sic testatur *Rufinus*, in Symbolo, quod Ecclesia Romana servabat, defuisse sententiam illam *descendit ad inferos*, quam etiam omittit Augustinus *Lib. I. De Symbol. cap.* 3. sicut et vocem *catholicam*, quae vox velut integra sententia habenda est, quia peculiarem, et insignem explicat Ecclesiae proprietatem. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Non enim Ecclesiae illae, quae particulam aliquam, vel vocem symboli non habebant, symbolum ipsum detruncaverunt, sed aliae Ecclesiae adjecerunt ad majorem alicujus articuli claritatem. Vide haec fusius apud Natalem Alexandr. *cit. Dissert.*

Scho-

Scholion.

Symbolum editum ab Apostolis, certissimum est, sed quo tempore sit conditum, hoc est an statim post adventum Spiritus Sancti, ut putat *Rufinus*; an post mortem *Jacobi* Apostoli, ut censet *Baronius*; item quo fine sit conditus, an ut esset regula, ac tessera credentium, an ut esset norma praedicationis, an vero ut catechesis baptizandorum; item an singuli Apostoli singulos posuerint articulos, an omnes in communi totum confecerint, haec omnia incerta sunt, nec satis firma ratione, aut auctoritate definiri possunt.

PROPOSITIO II.

Symbolum, quod vulgo Athanasio tribuitur; non est Athanasii, sed alterius junioris.

Prob. 1.° Veteres *Athanasio* suppares de hoc ejus opere silent, nec habetur in ullo ex veteribus MSS. codicibus operum *Athanasii*, 2.° Si *Athanasii* esset symbolum illud, Patres qui contra *Nestorium*, et *Eutychen* scripserunt, non omisissent illis Athanasianum symbolum objicere, in quo tam clare, ac perspicue haereticorum illorum dogmata confodiuntur. 3.° Nec Latini omisissent contra Graecos, cum primum disputari coeptum est de processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio, objicere symbolum *Athanasii*, cujus Doctoris tanta erat apud Graecos, Latinosque auctoritas. 4.° Stilus ipse non Graeci hominis videtur esse, sed Latini. 5.° Denique nonnisi septimo Ecclesiae saeculo Symbolum hoc sub *Athanasii* nomine laudari coepit, in Synodo scilicet Toletana IV. Ergo etc.

Scho-

Scholion.

Etsi certum est, *Athanasii* Symbolum non esse ejus auctoris; a quo tamen conditum fuerit incertum est; Nonnulli illud tribuunt *Eusebio Vercellensi*, alii *Anastasio Synaitae*, alii *Vincentio Lirinensi*, alii *Vigilio Tapsensi*, quam postremam sententiam Quesnelius *Dissert. XIV. in opera S. Leonis* variis adstruere conatur conjecturis, eumque *Natalis Alexander* secutus est. Ceterum cum Ecclesia Romana synodum Athanasii receperit, ut intemeratam fidei regulam, majorem inde trahit auctoritatem, quam si ab ipso editum esset *Athanasio*.

§. III.

De externa fidei confessione.

Adv. I. Duplex esse potest praeceptum fidem exterius confitendi, alterum *positivum*, quo jubemur fidem data occasione confiteri, alterum *negativum*, quo prohibemur fidem numquam verbo, aliove signo, aut simulatione abnegare.

II. Erat hoc commune Manichaeorum dogma, non solum non praecipi externam fidei confessionem, verum etiam unumquemque fidem exterius perjurio quoque, si opus esset, negare posse ad vitandam persecutionem.

PROPOSITIO I.

Praeceptum est, aliquando fidem exterius profiteri.

Prob. I. ex Apostolo *Rom. X.* 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris, corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo propositio ad fidem pertinet.

Prob.

Prob. II. ex Augustino *Lib. De fide, et Symb. cap. I. Fides*, inquit, *duplex a nobis officium exigit, cordis, et linguae*, et *Serm. CCLXXIX. De Apost. Paulo. Quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitet proferre, quod corde conceptum est?* Ergo.

Prob. III. *ratione*. Sicut non est vere justus, temperans, fortis, qui externos actus justitiae, temperantiae, fortititudinis, ubi occasio se obtulerit, non exercet, ita non est vere fidelis, qui data occasione, fidem exterius non profitetur. Ergo.

Q. Quaenam est occasio, qua fidem exterius confiteri jubemur?

℟. Ex S. Thoma 2a. 2ae. *Q. III. art.* 2. occasiones incidere posse duas, 1.° cum ex silentio nostro honor Deo debitus subtraheretur, 2.° cum inde aliorum scandalum, ac ruina timeri debet. Hinc 1.° qui a publico Magistratu de religione interrogatus tacet, aut obliqua responsione interregationem vitat, contra praeceptum fecisse censetur, de quo ait Christus *Luc. IX.* 26. *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* Hinc merito damnata est ab *Innocentio* XI. illa propositio; *Si a potestate publica aliquis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo; tacere autem, ut peccaminosum non damno.* 2.° Cum ex silentio periculum est, ne quis suspicetur, nos fidem ejurasse, atque inde in fide vacillans occasionem habeat ruinae spiritalis. Ea igitur in causa, etiam cum vitae periculo, fidem libere profiteri debemus; *debemus* enim *pro fratribus animas ponere* I. *Joan.* III. 16.

(* Sed praeter has causas, in quibus naturae lex externam fidei professionem jubet, sunt, et aliae, in quibus id praecipit ecclesiastica lex cum quis canonicatum, aut Dignitatem obtinet in ecclesia cathedrali, aut beneficium quodcumque, cui cura animarum adjuncta est, si intra menses duos, ex quo possessionem adeptus est, professionem fidei per seipsum, non per procuratorem faciat, fructus beneficii non facit suos, et perceptos ante judicis sententiam debet restituere ex

Tridentino Concilio *Sess. XXIV. de Ref.* Idem debent Episcopi, Archiepiscopi, Primates in prima provinciali synodo (*a*) Item Regularium ordinum praelati (*b*) doctores, Magistri, concionatores. (*c*) ")

PROPOSITIO II.

Fidem exterius aliquo signo negare; semper grave peccatum est, etiamsi simulate fiat.
Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* Illud semper grave peccatum est, quod aeternae poenae comminatione prohibet Deus. Atqui fidem exterius negantibus aeternam poenam Deus minatur. *Matt. X.* 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* II. Tim. II. 12. *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Ergo. Hinc Ecclesia semper eos, qui fidem metu mortis negassent, tamquam lapsos in gravissimum scelus, nonnisi diuturna, et gravi poenitentia emendatos absolvit.

Prob. 2a. *pars.* 1.° *Matathias*, aliique *Machabaei* tormenta ac mortem atrocissimam subjerunt, ne quid adversus fidem, ac religionem simularent. 2.° Eos qui exterius simulassent thus idolis adolere, jam lapsos in grave peccatum judicavit, et castigavit Ecclesia. 3.° *Libellaticos*, hoc est eos, qui pecunia libellum a magistratibus impetrassent, quo falso asserebatur, eos mandatis Imperatorum Gentilium paruisse, Ecclesia canonicis, iisque gravissimis subjecit poenis. 4.° *Missionarios* illos, qui Sinensibus Christianis permittebant ad vitandam mortem thus idolis simulate adolere, Sedes Apostolica anno MDCXLIII. damnavit. (*d*) Ergo etc.

Di-

(a) Tridentin. *ibid.*
(b) Ex Const. Pii IV. *Injunctum.*
(c) Ex Constit. Pii V. *In Sacro sancta.*
(d) De superstitiosis vero ritibus Sinensibus, Malabiricis, Servianis, quos *Missionarii* nonnulli illarum gentium Chri-

Dices. IV. *Reg.* V. 18. *Naaman Syrus* ad veram fidem, ac religionem conversus, hoc petit ab *Elisaeo*: *Quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus pro hac re servo tuo.* Cui respondit Elysaeus *Vade in pace.* Ergo etc.

℞. Missis variis Theologorum interpretamentis, quae videre potes apud *Calmet* in peculiari *Dissertatione* de hac historia; duae sunt praecipuae responsiones, quae vim argumenti prorsus elidunt. Prima est *Bocharti*, quam ipse sequitur *Calmet*, scilicet *Naaman* Syrum non petiisse ab *Elisaeo* veniam, ut sibi in posterum liceret in Templo *Remmon* genuflectere, sed indulgentiam de praeteritis actibus, quod ex textu Hebraico probare nititur. Vulgata enim versio huic interpretationi adversa est. Altera vero communior responsio Theologorum est, actum illum *Naamani*, quo manum, aut humerum supponebat Regi adoranti, merum fuisse civile officium, ad quod ratione muneris sui tenebatur; quod quidem officium non poterat judicari ab adstantibus falsi numinis adoratio, cum omnibus publice constaret, illum postquam mirabiliter a Propheta sanatus erat, nonnisi verum Israelis Deum adorare.

Dices II. IV. Reg. 10. 18. *Jehu*, ut sacerdotes *Baal* interimeret, simulavit, velle se sacrificium idolo offerre; *Acab.* inquit, *coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius . . . . Sanctificate diem sollemnem Baal* etc. et propterea a Domino laudatus est. Ergo.

℞.

---

stianis servare permittebant, vide Constitutiones Benedicti XIV. *Ex quo singulari*; *Omnium sollicitudinum*; et *inter omnigenas* in quibus cavillationes omnes dissolvit, ritusque damnavit. Quapropter eos, qui ad praedicandum infidelibus, vel Christianis apud infideles, haereticosve degentibus. Evangelium pergunt, sedulo cavere oportet, ne dum aliis praedicant, ipsi reprobi efficiantur; seque pariter, et illos perdant, quorum salutem quaerere videntur.

℟. *Dist. ant.* Laudatus est a Domino propter idoli destructionem, *conc.* Propter impium mendacium, *neg.* Ita Augustinus *Lib. de mendacio cap.* 2.

Q. I. *Quot modis fides exterius abnegari possit.*

℟.. 1.° Verbis, ut si quis expresse vel se Christianum non esse dixerit, vel esse Turcam, Lutheranum etc. vel dogma aliquod fidei negaverit. 2.° nutibus, ut si quis interrogatus, an fidem negare velit, nutu annuat. 3.° factis, quae aut natura sua, aut ex hominum institutione, atque usu ad falsam religionem significandam usurpari solent, ut *ex. gr.* thura idolis adolere, coram ipsis genuflectere, circumcidi cum Judaeis, Coenam Calvinisticam cum haereticis sumere, aliisve eorum ceremoniis communicare, gestare vestes, quae falsae religionis signa sunt (de vestibus enim civilibus, quae gentem a gente distinguunt, ut Turcam ab Italo, alia est ratio), legem aliquam religionis violare, cujus violatio espresse a Tyranno exigitur in contemtum religionis, aut in abnegatae religionis signum. Mortem igitur potius subibit Christianus, quam aliquod horum admittat. Ceterum si quis metu negaret, se esse Episcopum, Sacerdotem etc. non propterea negaret, se esse Christianum.

Q. II. *Qui simulate aliquid gerit exterius contra religionem, sed mente nolit religionem ejurare, censetur ne amisisse fidem?*

℟. Minime, sed tamen graviter peccat contra negativum praeceptum externae confessionis fidei.

Q. III. *Censetur ne abnegasse fidem, qui in persecutione fugit?*

℟. Fuit hic *Tertulliani* error, numquam licere persecutionem fugere, quod absurdum toto conatu adstruere nititur infirmissimis licet rationibus in Libro *De fuga in persecutione.* Sed contra; 1.° qui fugit, potius fidem profitetur, quam negat. Si enim negare voluisset, fugae incommoda vitasset. 2.° Ipse Christus nos admonet *Matth. X.* 23. *Cum persequentur vos in civitate ista fugite in aliam.* 3.° Idipsum Sanctorum virorum exempla confirmant, ut Eliae prophetae *III. Reg.* XIX. Apostoli Pauli, Polycarpi, Cypriani, Atha-

Athanasii, aliorumque, quos Ecclesiastica Historia commemorat. 4.° Qui fugere detrectat, saepe periculo abnegandae fidei seipsum objicit, ut *Cyprianus* observat, superbiae suae relictus labitur.

Q. IV. *Licet ne ergo Pastoribus semper in persecutione aufugere?*

℟ Quaestionem hanc late solvit Augustinus *Epist.* CCXXVIII *al.* CLXXX. Duo, inquit, habemus in Evangelio, quae secum invicem videntur adversari, sed tamen ambo pro diversis rerum causis vera sunt. Unum est quod legitur *Matth. X. Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Aliud *Joan. X. Mercenarius videt lupum venientem, et fugit.* Quapropter distinguendum est. Si persecutio solos impetit pastores, quorum vita saluti ovium necessaria est, mors vero nullam ovibus utilitatem affert, fugiendum est, commissa interim alteri, quoad fieri poterit, cura gregis. Si vero persecutio in oves ipsas excitatur, quas, fugiente pastore, verisimile est esse perituras, etiam cum periculo mortis manendum est. *Bonus* enim *Pastor animam suam dat pro ovibus suis Joan. X.* 12.

CAP.

CAP. XXIX.

De peccatis fidei contrariis.

I. Peccata fidei contraria tria sunt, infidelitas, haeresis, et apostasia.

II. Infidelitas licet quodammodo communis sit omnibus, qui fidem aut omnino, aut aliqua ex parte negant, quisquis enim vel unum fidei negat articulum fidem prorsus amittit, ut supra docuimus; tamen proprie de iis dicitur, qui revelatam religionem omnino rejiciunt, ut Pagani, Athei, Muhammedani, Iudaei. Duplex autem distinguitur infidelitas, *positiva*, et *negativa*. Prior est eorum, qui religionem sibi expositam rejiciunt; altera vero eorum est, qui nihil umquam de Evangelio audire potuerunt. Et quidem positiva infidelitas grave peccatum est, diversae speciei pro diversa infidelitatis specie; a quo peccato probabilis opinio non excusat, cum damnata sit ab Innocentio *XI.* illa propositio: *Ab infidelitate excusabitur infidelis ductus opinione minus probabili*: sed non item infidelitas negativa, unde ait Christus *Joan. XV.* 22. *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hinc damnata est a *Pio V.* etc. illa *Baji* propositio; *Infidelitas negativa in iis, qui nihil audire potuerunt de Evangelio, peccatum est.* Et merito; nemo enim peccat in eo, quod vitare nullo modo potest; at infidelitas negativa ab iis, qui nihil de Evangelio audierunt, vitari non potest. *Quomodo autem credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine praedicante?* inquit Apostolus *Rom.* X. 14. Damnantur quidem infideles negativi vel vitio originis, vel additamento propriae voluntatis, non autem propter negativam infidelitatem.

III. Haeresis a verbo graeco *αἱρέομαι eligo* est error voluntarie electus ab homine, qui Christianam profitetur religionem, contra aliquod fidei dogma, cum pertinacia conjunctus. Et quidem debet 1.° error esse voluntarius;

tarius; nullum enim peccatum est, nisi voluntarium, ut supra diximus *Cap.* I. Debet etiam esse 2.° cum pertinacia conjunctus, alioquin *materialis*, non *formalis* est haeresis ut enim ait Augustinus *Epist XLIII. al. CLXII. Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt . . . . . corrigi parati cum verum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos computandi.* Satis autem pertinaciae est in eo, qui scit contrarium ab Ecclesia doceri ut dogma fidei. Debet denique 3.° esse contra aliquod fidei dogma vel in Scripturis expresse positum, vel ab Ecclesia definitum. Quod quidem sive quis praefracte neget, sive deliberato ac pertinaci animo in dubium revocat, par est utriusque ratio; *Dubius* enim *in fide est infidelis Cap. I. De haeret.* (a). Si autem haeresis sit externa, hoc est verbo, alioque exteriori signo satis expressa, quamvis occulta, sufficit hoc, ut reum faciat poenae canonicae, scilicet excommunicationis majoris, irregularitatis, privationis Eccl. beneficiorum, ac Dignitatem, ecclesiasticae sepulturae, etc. quae in Decretalibus expressa sunt titulo *De haereticis.* Haeresis igitur aut mere interna est, aut mere externa, aut utrumque simul. Prima est quae mente dumtaxat, ac cogitatione concepta vel nullo exteriori signo, vel non satis exprommitur, ut si eam in somno proferat; si mente revolvens, exterius dumtaxat vel voce, vel signo dicat: *ita est*; si de ea cum aliis vel eruditionis, vel disputationis, vel consilii gratia loquatur. Altera vero in verbis tantum, aliisve signis consistit, sine interiori intellectus errore, atque assensu; ut in iis accidit, qui vel metu ab Haereticis compelluntur, vel ira per-

(a) Si quis tamen ex infirmitate, non ex pertinacia dubitet, eum non esse haereticum una omnium sententia est, ut inquit *Concina.* De voluntaria autem, ac pertinaci dubitatione licet quaestio *metaphyscica* videatur utrum *formaliter* haeresis dicenda sit; revera tamen haeresis est, cum adjunctum semper habeat haereticum judicium; scilicet Ecclesiam in rebus ad fidem pertinentibus falli posse. Vide Melch Canum *Lib: XII. de Loc. Theol.*

perciti haereticas blasphemias evomunt, quibus tamen intellectu non assentiuntur interius. Tertia denique tum in pertinaci intellectus errore, tum in exteriori ejus erroris sufficienti signo posita est; de qua una constitutae per canones poenae intelligendae sunt. Sufficiens autem signum esse existimantur ambigua verba, quae ex loquentis intentione satis haeresim significant (a) licet ex accidenti ab auditoribus alio sensu passim intelligi.

VI. Apostasia est totius Christianae religionis jam susceptae ejuratio; ideoque non differt ab haeresi *in specie*, sed in majori gravitate, iisdemque poenis plectitur; apostasia enim est fidei totius ejuratio, haeresis vero quorundam tantummodo dogmatum (b). Sunt et aliae apostasiae species, quae ad hunc tractatum non pertinent, ut apostasia a religione, sive a statu religioso, apostasia ab ordine, apostasia ab obedientia.

Variae autem agitantur de infidelibus, et haereticis quaestiones, quarum paucas hic attingere sufficiat.

Q. I. Utrum principes Christiani ritus infidelium, aut haereticorum tolerare possint; aut debeant?

℟. Si infideles subditi non sunt, non licet ipsis inferre bellum ea tantum de causa, quia infideles sunt, nisi alias in principem Christianum, aut ejus subditos injurias inferant, quas bello defendi necesse sit. Si vero subditi sunt, possunt quidem eorum ritus, ac religio etiam poenis gravioribus prohiberi; sed aliquando ne majora impediantur bona, aut majora oriantur mala, tolerari possunt; ita tamen, ut inde fideles detrimentum accipere nequeant. Hinc S. Thomas 2a. 2ae. Q. X. art. 11. *Humanum*, inquit, *regimen derivatur a divino, et ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens et summe bonus; permittit tamen aliqua mala fieri in universo quae prohibere posset, ne eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo in regimine humano illi, qui praesunt, recte aliqua mala tolerant;*

(a) *Suarez*, *Salmanticenses etc.*

(b) Sed ex varia infidelitatis specie quam Apostata profitetur, varium speciem apostasia sumit, ut si apostata fias atheus, Judaeus, Muhamedanus, Paganus.

rant; ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit in Libro de ordine: aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.

Q. II. *Utrum cum infidelibus communicare liceat?*

℟. 1.° In eorum superstitiosis ritibus non licet; ait enim Apostolus II. *Cor. VI.* 15. *Quae conventio Christi ad Belial, aut quae pars fideli cum infideli?* Quamvis autem non censeatur superstitiosis ritibus communicare, qui adest tantummodo ob eam causam, ut videat quid agatur, vix tamen hoc vel a scandalo, vel saltem a noxiae curiositatis vitio excusari poterit.

2.° In civili societate, atque commercio licet, modo periculum absit aut propriae subversionis, aut alterius scandali. Ait enim idem Apostolus I. *Cor.* X. 27. *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate.*

3.° In rebus, quae natura sua bonae sunt; quibus tamen infidelis aeque in bonum, atque in superstitiosum finem culpa sua abuti potest, licet cum infideli communicare, *ex. gr.* in causa necessitatis petere ab eo juramentum, quod ille verum Deum dicere potest, licet per falsum numen culpa sua juraturus sit; vendere agnos, flores, aliave, quibus ille, licet culpa sua, ad sacrificium, aut ad ornatum idolorum abutitur. Haec enim *cooperatio indirecta* est, ac remota, quae si non liceret, omnino cum infidelibus abrumpenda societas esset. Secus vero se res habet in circumstantiis, in quibus infidelis certissime opera nostra ad pravum finem abutetur, ut si quis idolum infideli exculperet, vestesve conficeret ad idoli ornatum, sive falsorum numinum aut haereticorum templa construeret, instauraret, verreret; in eisve dum sacra peraguntur, caneret, musica instrumenta pulsaret, etc. Vide Benedicti XIV. Constitutiones *Inter omnigenas*: *Omnium sollicitudinum*, aliasque. Haec enim *cooperatio directa*, ac proxima censenda est, non secus de ejus, qui ensem vendit, aut venenum homicidae ad hominem occidendum. Unde inquit Tertullianus *Lib. de idolol. cap.* 6. *Tu colis* (idola) *qui fa-*

facis, ut coli possint. Vide Habert *Tract. de fide cap.* 4.

4.° Cum Judaeis, qui plusquam ceteri infideles Christianae religioni iniqui sunt, major est adhibenda cautio; unde jus Canonicum vetat, Christiano cum iis habitare, comedere, lavari in balneo, commorari servitio, imo etiam ab iis medicinam accipere. *Tit. de Judaeis.* Quod postremum tamen pati potest exceptionem necessitatis, in qua jus naturae satis idoneam excusationem praebet.

5.° Denique cum haeretici eo ipso, quod haeresim profitentur, excommunicati sint, licet tolerati, antequam publice, ac nominatim denunciati fuerint; in eorum commercio non solum ea servanda sunt, quae de excommunicatis toleratis suo loco dicentur, verum etiam periculum subversionis sollicite cavendum, quod periculum in iis est maximum, dicente Apostolo *II.* 17. *Quorum sermo ut cancer serpit.*

(* Q. III. *Utrum haeretici denunciandi sint.*

℟. 1.° Omnes qui sciunt, aliquem etiam sibi consanguinitate proximum exterius haeresim protulisse, exceptis Sacerdotibus, qui id ex sacramentali confessione noverunt, debent eum vel Episcopo, vel Inquisitoribus, ubi tribunal illud constitutum est, intra mensis unius spatium denunciare, non praemissa, ut dicemus inferius, fraterna correctione. Episcopi vero, Apostolici Nuntii, aut Legati, si rei fuerint, nonnisi Apostolicae sedi denunciandi sunt Neque a denunciandi onere immunis erit, qui delictum testibus probare non potest. Damnata enim est ab Alexandro VIII. illa propositio: *Quamvis constet evidenter tibi, Petrum haereticum esse, non teneris denunciare, si probare non possis.*

2.° Qui intra mensis spatium ex quo novit denunciationis necessitatem, id facere neglexit, in excommunicationem latae sententiae Pontifici reservatam incurrit. Si vero fuerit in perpetuum, vel tempore diuturno impeditus, per alium denunciare debet. Quod si brevius impedimentum sit, dummodo fides, aliorumque periculum non timeatur, differri denunciatio poterit.

3.°

3.° Neque solum haeretici ipsi denunciandi sunt, sed et suspecti de haeresi, cujusmodi sunt canonico jure. 1.° fautores, receptatores, defensores haereticorum. 2.° Qui haereticas blasphemias proferunt, imagines Sanctorum contumelia afficiunt, rebus sacris impie abutuntur. 3.° Legentes, retinentes, scripto praelove edentes libros haereticorum, qui de haeresi, aut de religione tractant, haereticosve ipsos, aut eorum errores defendunt; item libros astrologiae judiciariae, aut Necromantiae, nec non Judaeorum quos vocant *Kabalisticos*, et *Talmudicos* libros. 4.° Apostatae a fide, licet exterius tantum id simulent. 5.° Qui propositionem aliquam ab Ecclesia damnatam docent, probant, defendunt. 6.° Qui matrimonium, priore conjuge adhuc vivente, vel sollemni castitatis concepto voto, contrahunt. 7.° Qui per annum in excommunicatione majori sordescunt. 8.° Qui sine causa voluntarie confessionem, communionemve annuam omittunt. 9.° Sacerdos Sacramenti poenitentiae minister qui sigillum sacramentale de industria frangit, putans id non illicitum. 10.° Qui Sacerdotio non initiatus missam celebrat, aut sacramentum poenitentiae ministrat; aut Sacerdos qui in Missa non consecrat, aut occasione confessionis ad turpia sollicitat, vel complicem in rebus turpibus absolvit, aut poenitentem declarat ab onere denunciationis immunem. 11.° Astrologi judiciarii, sortilegi malefici etc. Vide haec fusius apud Lucium Ferraris V. *Denunciatio*.

Q. IV. *Utrum libros haereticorum legere, aut retinere liceat.*

R. 1.° Lege naturae, quam nulla potest dispensatio, aut privilegium tollere, interdictum id est iis, qui quantumvis docti aliquod inde detrimentum possunt accipere.

2.° Olim Ecclesia, implorato etiam, si opus esset, principum auxilio, haereticorum libros comburere consuevit, ut eos omnino e medio tolleret, atque a fidelium manibus eriperet; quod et ipsos falsorum numinum cultores in libris noxiae lectionis factitasse scimus. Sic Nicaenum Concilium Arii scripta, Ephesi-

num, et Chalcedonense libros Nestorii, atque Eutychetis comburendos curarunt.

3.° Inventa autem typographyca arte anno circiter 1460. cum librorum combustio, quae adhuc aliquando fieri solet, ad eorum dumtaxat execrationem, atque odium testandum valeat, ad exemplaria tamen abolenda non sufficiat; variae editae sunt constitutiones primum a Concilio Lateranensi sub Leone X. et Tridentino contra Bibliopolas, aliosque, qui libros edunt, vendunt, evulgantve sine eorum approbatione, quibus id munus commissum est; deinde a Summis Pontificibus Pio IV., Pio V. Sixto IV. Clemente VIII. contra legentes, retinentes, defendentes libros haereticorum, aliorumve, quorum est prohibita lectio.

4.° Haec est autem earum constitutionum summa. 1.° Legentes aut retinentes quacumque de causa vel apud se, vel apud alios suo nomine, atque dominio libros Lutheri, Calvini, aliorumque haeresiarcharum, etsi de religione non tractent, in excommunicationem latae sententiae Pontifici reservatam incurrunt. Qua censura plectuntur etiam legentes, retinentesve libros de *astrologia judiciaria*, ac de divinatione rerum libere futurarum; item Hebraeorum Talmudicos, aliosve errorem continentes, ex constitutione *Sixti V.* et *Clementis VIII.* 2.° Legentes vero aut retinentes scienter aliorum haereticorum, qui haeresiarchae non sunt, libros; siquidem ii vel haeresim continent, vel de religione ex professo agunt, in eandem reservatam excommunicationem incidunt. Si vero haereticorum libri de religione non agunt, a Catholicis Theologis examinati, probatique permittuntur. Agere vero ex professo de religione censentur libri, qui de Theologia sive dogmatica, sive morali, de Sacra Scriptura, de Ecclesiastica historia, de Jure Canonico, de sacris ritibus pertractant: ac librorum nomine Scripturae omnes veniunt, etiam breves, ac manuscriptae in quamcumque linguam, sive idioma transferantur. 3.° Si liber sit Catholici auctoris, distinguendum est; si enim propter haeresim haeresisve suspectam doctrinam vetita ejus lectio fuerit; vel propter haereticorum notas, quae errorem continent; legentes, retinentesve ge-

generatim in excommunicationem incident non reservatam, nisi reservatio praeter ordinem adjecta sit. Sin propter alia bonis moribus adversa vetitus liber fuerit, praeter mortale peccatum nulla censura est.

5.° Quaesitum est an catholici auctoris liber cum notis haeretici, etiam liber haeretici auctoris censendus sit. Sane si notae adeo multae, aut prolixae sint, ut libri volumen vel excedant, vel aequent, haeretici liber existimabitur. Sin minus pergit liber esse catholici; ut bene *Laymannus* aliique advertunt.

6.° Porro in easdem incidit poenas qui librum alteri dat legendum ut ipse audiat. *Quod enim quis per alium facit, per seipsum videtur facere. Reg. XXII. in 6.°*

7.° Est ne in legendis, retinendisve vetitae lectionis libris materiae parvitas? Est profecto; sed quanta sit, non est apud omnes exploratum. Nam in legendo quidem nonnulli paginae dimidium, alii quindecim lineas, alii plus minusve gravem esse materiam volunt. Sane si illae ipsae lineae legantur quibus continetur error, semper materia gravis est; si vero alia innoxia, decem lineas gravem esse materiam non puto. Porro sicut in lectione, sic et in retinendi tempore materiae levitas esse potest, si quis scilicet secluso legendi periculo, die uno, vel altero librum retineat, quo possit eum vel ei tradere cui oportet, vel legendi, retinendique facultatem obtinere.

Q. V. *Cui tradendus vetitae lectionis liber?*

℟. Ex constitutione quidem Gregorii XV. non potest nec privata auctoritate comburi, nec tradi alteri, qui legendi facultatem habeat; sed omnino Episcopis, vel inquisitoribus (si adsint, et vigeant) tradendus est ut comburatur. Sed haec constitutio non habet ubique locum, cum consuetudine multis in locis sit receptum, ut liber ei, qui facultatem retinendi habeat, tradi possit abdicato dominio.

Q. VI. *Quid de libris veterum Ethnicorum?*

℟. Ethnicorum libri ob sermonis elegantiam permittuntur, sed qui de obscenis agunt pueris legendi, non sunt, imo et omnibus, qui detrimentum inde pos-

possunt accipere: quod quidem proficiscitur a lege naturae.

Q. VII. *Quid de indice librorum prohibitorum.*

R. 1.° Gelasius P. catalogum edidit librorum, quorum noxia, vel suspecta esset doctrina. Crescente autem post inventam typographicam artem pestiferorum librorum numero Paulus IV. anno MDLVII. indicem noxiorum librorum vulgavit a *Sacrae inquisitionis* praelatis, atque Theologis confectum. Deinde Tridentina Synodus lectis doctissimis ad hoc negotium viris, cum rem, ut optabat, conficere non potuerit, integram R. Pontifici Pio IV. reservavit, a quo librorum prohibitorum index cum regulis etiam generalibus editus est *Constit. Dominici gregis*: qui quidem index auctus, a Sixto V. Clemente VIII. aliisque S. Potificibus, augetur in dies, novis prodeuntibus libris, instituta ad hoc opus *Congregatione Indicis* a Pio V. praeter supremam Sacrae Inquisitionis Congregationem.

2.° In eo autem indice duplex est vetitorum librorum *Classis*, inter quas illud interest, quod libri *primae Classis* vetiti sunt propter auctores haereticos, vel de haeresi suspectos, qui si haeresiarchae fuerint, omnia eorum opera, etsi de religione non agant, prohibita sunt: si vero simpliciter haeretici omnia opera de religione tractantia, etiam in posterum edenda: alterius vero classis libri propter noxiam doctrinam vetiti sunt, quamvis a catholicis auctoribus editi; ideoque alii eorumdem auctorum libri non expresse vetiti, permittuntur. Accedit, quod libri primae classis semper excommunicationem S. Pontifici reservatam legentibus inferunt: non item libri classis alterius, ut paulo ante explicavimus.

3.° Porro Catholicorum libri passim prohiberi solent *donec expurgentur.* Sed damnata est ab Alexandro VII. ea propositio. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum; adhibita diligentia, corrigantur.* Excipienda tamen Lexica, ut Graecum Scapulae, aliaque, ex quibus si expurgantur articuli, quorum causa vetiti fuerant, permittuntur.

4.°

4.° Quae vero contra ejus indicis auctoritatem recentiores nonnulli rerum novarum studiosi disputarunt, nihil moramur. Data enim a Christo Ecclesiae pastoribus potestas pascendi ejus oves, auctoritatem etiam complectitur eas a noxiis arcendi pascuis. Nihil autem esse pestiferis hisce libris nocentius, omnium saeculorum tristi experientia compertum est. Quid enim orientales Ecclesias pessumdedit, nisi scripta Arii, Nestorii, Entichetis, Photii, aliorumque? Quid Hispanias nisi Scripta Priscillianis? Quid Bohemiam, nisi opera Wiclefi? Quid Germaniam, Galliam, Angliam, totamque Europam, nisi Lutheri, Melancthonis, Calvini, Socini, Baelii, Volterii, Hobbesii, Roussoji, aliorumque ejusdem furfuris libri? Idem de obscoenis dicas, aliisque contra bonos mores. Quapropter cum Apostolus vitare jubeat pravorum hominum, multoque magis haereticorum, colloquia, ipsumque consortium, merito mater Ecclesia omnibus saeculis a perniciosorum librorum lectione, quae mutum quoddam, et fortasse periculosius colloquium est, filios suos avertere studuit: quibus satius est audire Spiritum Sanctum in *Proverbiis* praecipientem *Prov. VI. 20. Ne dimittas legem matris tuae*, quam de ejus auctoritate disputare. Sed haec longioris Dissertationis argumentum esse possunt.

Q. VIII. *Utrum liceat de rebus fidei disputare cum haereticis.*

R. 1.° Lege naturae non licet indoctis, aut in fide parum firmis.

2.° Lege humana interdictum est laicis *Cap. 2. De haereticis in* 6.°: quae tamen lex in caussa necessitatis, magnaeve utilitatis non habet locum, nec videtur consuetudine servata iis in regionibus, ubi haeretici cum catholicis magno numero permixti tolerantur.

3.° Nemini quamvis docto licet haereticos ad disputandum de rebus fidei provocare; tum quia id eos ad dicendum contra fidem, ideoque ad peccandum provocat, tum quia ejusmodi homines, ut inquit Bernardus *Serm. LXVI. in Cant. nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt, nec auctoritate cor-*

ri-

riguntur, *quia non recipiunt*, *nec flectuntur suasionibus*, *quia subversi sunt.*

4.° Coram indoctis, ac simplicioribus cum haereticis de rebus fidei disputare numquam licet, cum soleant indocti objectiones quidem intelligere, non item responsiones. *)

Explicatis autem breviter iis, quae ad fidem pertinebant; de altera Theologica virtute, sive de Spe, dicendum est.

C A P. XXX.

De Spe, ejusque natura, et Objecto.

Adv. I. SPei nomen tripliciter intelligitur. 1.° pro ipsa re, quae speratur, ut apud Apostolum *Tit. II.* 13. *Expectantes beatam spem.* 2.° pro causa, quae ut speremus, efficit, sive ea sit causa princeps, ut cum in *Psal. XC,* dicimus; *Tu es, Domine, spes mea*, sive sit causae principis instrumentum, ut cum B. Virginem *spem nostram* appellamus. 3.° pro ipso sperandi actu, vel habitu, ut apud Apostolum I. *Cor. XIII.* 13. *Nunc autem manent tria haec, fides, spes, charitas*; quo quidem postremo sensu, hic de spe disputamus.

II. Rursus autem postremo hoc sensu adhibitum spei vocabulum, vel de quacumque spe, etiam naturali, generatim intelligitur, vel de spe Theologica.

III. Porro spes generatim est motus appetitus sive sensibilis, sive rationalis in bonum absens, arduum, apprehensum tamen ut possibile, ut fuse prosequitur S. Thomas 1a. 2ae. Q. XL. Hinc spes non intellectus actio, sed vel sensus, vel voluntatis affectio est; nec de bono praesenti, nec facili, nec impossibili, de quibus potest quidem esse amor, aut gaudium, aut desiderium, aut complacentia, spes autem nullo modo. His igitur explicatis, spes Theologica quid sit, subjecta indicat thesis.

PRO-

PROPOSITIO

Spes Theologica recte definitur: Virtus supernaturalis Theologica, per quam certa fiducia futuram beatitudinem, ac media illius adipiscendae ex divino auxilio expectamus.

Prob. et explic. Dicitur 1.° *Virtus*; nam virtus est ordo amoris, ut supra docuimus; atqui id postulat ordinatus amor, ut in beatitudinem nostram, ad quam facti sumus, tendamus: eamque ex Dei auxilio expetemus; unde et beati dicuntur in Scripturis, qui spectant in Domino. *Psal. II. Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Dicitur 2.° *supernaturalis* ex iis, quae diximus *Lib. VII.* contra Pelagianos, et Semipelagianos.

3.° *Theologica*, quia, ut supra diximus, virtus Theologica est, cujus *primarium objectum materiale* Deus est, et aliquod ejus attributum *objectum formale*. Atqui objectum materiale primarium spei est Deus ipse, in quo aeterna beatitudo sita est; formale vero est Dei bonitas quoad nos, seu illa Dei proprietas, qua nos beatos efficere, et ad sui visionem, ac possessionem adducere et potest, et vult. Ergo.

Dicitur 4.° *per quam certa fiducia*; Spes enim si in seipsa spectetur, certissimo, ac firmissimo nititur fundamento, nempe bonitate Dei quoad nos, ejusque omnipotentia, ac misericordia. Unde Apostolus *Hebr. VI.* 19. *Confugiamus*, inquit, *ad propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam*, inter turbulentissimas scilicet vitae hujus procellas. Quae quidem Apostoli verba expendens Augustinus *in Psal. LXIV. Quemadmodum*, inquit, *de navi, quae in anchoris est, recte dicitur, quod jam in terra sit; adhuc tamen fluctuat, sed in terra quodammodo educta est contra ventos, et tempestates; sic contra tentationes hujus peregrinationis nostrae spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem facit*

nos

nos non abripi in saxa. Et *Rom. V.* 5. *Spes autem non confundit.* Et *Eccl. II.* 11. *Respicite filii nationes hominum, et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Licet autem ex hominis infirmitate, qui non ita sperat, uti sperandum est, accidat, ut spe sua frustrari possit, ideoque *cum metu, et tremore suam salutem operari* debeat *Philipp.* II. 2. id tamen spei in scipsa spectatae non minuit certitudinem; sicut nihil decedit de certitudine regulae eo, quod dubitet artifex ne eam non recte adhibuerit.

Dicitur 5.° *futuram beatitudinem*, quia, ut paulo ante diximus, *objectum* spei *materiale primarium* est Deus ipse, *formale* vero ejus erga nos bonitas, qua nos potest ad beatam visionem perducere.

Dicitur 6.° *Et media illius adipiscendae*, quia spei *objectum materiale secundarium* sunt ea omnia tum supernaturalia, tum etiam naturalia bona, per quae nos Deus ad beatam vitam ducere ab aeterno decrevit. Porro utrumque objectum, primarium, et secundarium est bonum illud absens, arduum, et per Dei omnipotentiam, ac misericordiam possibile, in quod spes ipsa tendit.

Dicitur 7.° *expectamus ex Dei auxilio*, quia ad aeternam beatitudinem non possumus naturae viribus, sed Dei dumtaxat adjutorio pervenire, ut alibi diximus uberius contra Pelagianos. Atque ideo beatitudinem ipsam expectare potius dicimur, quam sperare, quia, ut acute S. Thomas advertit 1a. 2ae. *Q. XL. art.* 2. *Quod aliquis speret per propriam virtutem, non dicitur expectare, sed sperare tantum; sed proprie dicitur expectare, quod sperat ex auxilio virtutis alienae.* Verum quae strictius posuimus, fient ex objectorum solutionem clariora.

Di-

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Si spei *objectum formale* esset Deus, quatenus bonus nobis, sequeretur, nos per spem referre Deum ad nos ipsos, tamquam ad finem. Atqui hoc non virtutis est, sed vitii; omnia enim, atque adeo nosmetipsos ad Deum tamquam ad finem referre debemus. Ergo aut non est hoc *objectum* spei, aut spes ipsa virtus non est.

℞. *Dist. maj.* Sequeretur, nos per spem referre Deum ad nos tamquam ad finem, *cui* tantum bonum optamus, *conc.* Tamquam ad finem, *cujus gratia* illud optamus, *neg.* Pari ratione *Dist. min.* Non virtutis est, sed vitii referre Deum ad nos, tamquam ad finem., *cujus gratia* Deum optamus; *conc.* Tamquam ad finem, *cui* illum optamus, *neg.* Finis igitur, *cui* aliquid optamus est persona, cui bene esse volumus, et optamus; finis autem, *cujus gratia* volumus, est bonum illud excellentius, quod nos ad id optandum movet. Sic cum proximo vitam aeternam ex charitate optamus; proximus utique est *finis cui* bonum volumus, sed finis *cujus gratia* volumus, est ipse Deus, cujus amore ad tantum bonum proximo optandum movemur. Porro referre Deum ad nos, tamquam ad finem, *cujus gratia* volumus, utique in vitio est; hoc est enim uti velle Deo, et nobismetipsis frui, in quo omnis humana perversio est, ut inquit Augustinus *Lib. LXXXIII. quaest. Q. XXX.* sed vitiosum non est, imo a Deo ipso receptum optare nobis visionem, ac possessionem Dei ad majorem ipsius gloriam. Sicut enim jubemur, proximo optare beatitudinem ad gloriam Dei, ita multo magis eam nobismetipsis optare jubemur.

Inst. 1.° Qui sibi beatitudinem appetit ob Dei amorem, et gloriam, ex alia virtute movetur, scilicet charitate, quia seipsum, suaque omnia ad Deum refert; sed si spei objectum est Deus, quatenus est nobis bonus, jam per spem in nobismetipsis sistimus, nec ulterius nosmetipsos, nostramque beatitudinem ad Dei

Dei gloriam referimus. Ergo nosmetipsi sumus finis, *cujus gratia* speramus.

℟. *Dist. ant.* Per spem in nobismetipsis sistimus, excludendo charitatem, qua nosmetipsos referamus ad Deum, *neg.* Non excludendo charitatem, *conc.* Hoc igitur solum ex argumento sequitur, amorem spei minus esse perfectum, quam amorem charitatis, quod ultro fatemur; sed non inde efficitur, ut per spem ita Deum mente apprehendamus nobis utilem, ut non sit ipse per se amabilis, sed tantum ut nobis bonus, quod quidem magna perversio esset. Imo potius a minus perfecto ad id, quod perfectius est progredientes, a spe ad charitatem inducimur. Unde inquit S. Thomas 2a. 2ae. Q. XVII. *art.* 8. *Spes introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, et servandum praecepta ejus.*

Inst. 2.° Ex concessis per amorem spei in nobismetipsis sistimus, licet amor iste charitatem *positive* non excludat. Atqui ut actus sit omni ex parte bonus, non sufficit, ut non excludat relationem, atque ordinem ad Deum, seu non sufficit, ut possit referri ad Deum, sed necesse insuper est, ut revera ad Deum intentione saltem *virtuali* referatur, ut supra ostendimus; alioquin actus peccatum erit vel *vitio operis*, vel *vitio operantis*. Ergo si per spem in nobis sistimus, hinc efficitur, spem esse malam saltem *vitio operantis.*

℟. *Dist. min.* Necesse est, ut actus referatur ad Deum ex charitate Theologica, *neg.* Ex quantacumque dilectione justitiae, ac summi boni, licet adhuc imperfecta, qualis est in spe Theologica, *conc.*

Inst. 3.° Amor mercenarius non laude, sed vituperatione dignus est, unde Christus *Joan. X.* 12. pastorem improbum describens, eum mercenario comparat. Hinc Bernardus *Tract. De dilig. Deo cap.* 12. *Est*, inquit, *qui confitetur Domino, quoniam potens est; et est qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est; et item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi. Secundus mercenarius, et cupit sibi. Tertius filius, et defert* pa-

patri. Itaque et qui timet, et qui cupit, utrique pro se agunt. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Vituperatione dignus est amor mercenarius proprie, ac stricta significatione dictus, sive qui pro mercede temporalia bona concupiscit, atque expectat, qualis est amor Pastoris, de quo Christus loquitur, qui scilicet sola turpis lucri cupiditate ducitur, *conc.* Amor mercenarius latiori significatioue, qui scilicet non aliam mercedem, nisi Deum ipsum, propositam habet, *neg.* Hujus enim mercedis promissione Christus ipse nos incitat, atque in rebus adversis roborat. *Matth. V.* 12. *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.*

Inst. 4.° Amor mercenarius, quacumque tandem significatione intelligatur, est amor *concupiscentiae.* Atqui amor concupiscentiae semper in vitio est. Ergo.

℟. *Dist. min.* In vitio est amor concupiscentiae rerum temporalium, qui simpliciter concupiscentia, et cupiditas dicitur, *conc.* Amor concupiscentiae summi boni, *neg.* Est igitur concupiscentia laudabilis vel ipsius beatitudinis, vel rerum spiritalium, quae nos ad vitam beatam ducunt: unde dicitur *Eccl. XXIV.* 26. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Et *Eccli. VI.* 37. *Cogitatum habe in praeceptis Altissimi . . . et concupiscentia sapientiae dabitur tibi,* et alia ejusdem generis. Quare S. Thomas 2a. 2ae. Q. XXVI. *art.* 3. spem vocat amorem concupiscentiae. Fatemur quidem, concupiscentiae, et cupiditatis nomen, si dicatur simpliciter, nec addatur cujus rei concupiscentia sit, semper intelligi deteriori sensu de concupiscentia prava; sed non eo sensu spem vocamus amorem concupiscentiae.

Objic. II. Contra spei certitudinem. Non potest dici certa virtus illa, quae timorem parit. Atqui spes timorem parit; cum enim ejus objectum sit bonum absens, atque arduum, non potest hinc non oriri timor, ne bonum illud amittatur; qui quidem timor tanto major erit, quanto majus est bonum. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si virtus illa timorem pariat per se, et ratione principii infirmioris, et incerti, cui innititur, *conc.* Si timorem pariat ex infirmitate hominis, qui

qui formidat, ne non bene partes expleat suas, faciatque quod ab eo exigitur, *neg.* Sic certissimae sunt artis regulae et tamen timet artifex, ne non bene eas fervet, tantoque magis timet, quanto materia, quam tractat, pretiosior est. *Quod aliqui*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. Q. XVIII. *art.* 4. *habentes spem deficiant a consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu divinae potentiae, et misericordiae, cui spes innititur. Unde hoc non praejudicat certitudini spei ... de omnipotentia autem Dei, et misericordia certus est quicumque habet fidem.* Imo ex metu propriae infirmitatis magis erigitur animus ad fiduciam suam in Deo collocandam, ut ait Apostolus: *cum infirmor tunc potens sum. I. Cor. XII.* 10. quia sicut qui viribus suis fidit, ac superbit, a Deo deseritur, sic qui de se magis, ac viribus suis diffidit, eo magis a Deo adjuvatur, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Corollaria.

I. Quoniam spei *objectum* est futura beatitudo, atque adjumenta, quibus illam adipiscamur; sequitur 1.° spem non esse in damnatis, quibus non est aeterna beatitudo expectanda, nec auxilia ulla, quibus eam consequantur. Nulla proinde in ipsis spes, sed aeterna desperatio. 2.° Nec in beatis, qui jam sunt beatitudinem illam adepti, nec ullo ipsis amplius opus est adjumento, quo eam aut adipiscantur, aut servent; cum deficere nullo modo possit. Hinc Apostolus *Rom VIII.* 24. *Spes, quae videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* Expectant quidem beati futuram corporum resurrectionem, at non ex virtute spei, sed potius charitatis, qua Deum diligunt; ideoque ejus gloriam desiderant, et expectant, quae ex corporum resurrectione, atque perfecta piorum beatitudine splendescet. 3.° Nec in haereticis, et infidelibus, qui, ut ait Apostolus, *spem non habent*; cum enim sperandi ratio sit Dei erga nos bonitas, ejusque potentia, ac misericordia lumine fidei cognita; ubi fides non est, nec spes esse ullo modo

potest. 4.° Spem remanere in peccatoribus, modo ipsi illam speciali desperationis peccato non abjiciant; cum enim per spem ex divino auxilio expectemus salutis adjumenta; inter salutis autem adjumenta sit etiam remissio peccatorum; hinc fit, ut non omne peccatum spem extinguat. *Spes*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. Q. XVIII. *art.* 4. *non innititur principaliter gratiae jam habitae, sed divinae omnipotentiae, et misericordiae, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam aeternam perveniat; de omnipotentia autem Dei, et misericordia certus est quicumque habet fidem.*

II. Rursus quoniam obiectum spei est Deus, ut bonus nobis, hinc efficitur, spem a fide, et charitate *in specie* differre; a fide quidem, ut contra Lutheranos, et Calvinistas (qui fidem ajunt esse fiduciam in Dei promissionibus) Catholici docent; quia fidei *objectum* est Deus, ut verax, ideoque fides virtus est intellectus; *objectum* vero spei est Deus, ut nobis bonus atque ideo spes virtus est voluntatis: a charitate vero, quia charitatis *objectum* est Deus, quatenus in seipso bonus est, ut suo loco dicemus. Hinc Apostolus tres istas virtutes aperte distinguit, dicens *I. Cor. XIII.* 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec, major autem horum est charitas.*

III. Spes sive sit in homine justo, quae spes *formata* dicitur, sive sit in peccatore, quae dicitur *informis*, unius, ejusdemque speciei est; cum unum, idemque habeat *objectum materiale*, ac *formale*: ita ut differentia omnis inter spem formatam, atque informem in denominatione extrinsecus adveniente sita sit, sicut etiam supra de fide diximus. Ceterum spes formata, quae propria Christianorum est, viva dicitur, quia ex charitate, quae virtutes omnes vivificat, redditque actuosas, fit spes ipsa vividior, propter vehementius rerum caelestium desiderium, studiumque ardentius aeternae vitae capessendae per orationem, ac reliqua bona opera, et firmiorem fiduciam in Deum. *I. Joan. III.* 21 *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Hinc S. Thomas 2a. 2ae. Q. XVII. *art.* 8. advertit, quod licet ordine

ne generationis spes charitatem antecedat, tamen ordine perfectionis charitas praecedit spem. *Secundum ordinem perfectionis*, inquit, *charitas prior est naturaliter. Et ideo adveniente charitate, spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus.* Contra vero spes informis plerumque otiosa est, propter diffidentiam, quae ex prava conscientia gignitur, frigusque cupiditatis, qua a rebus caelestibus avocatur animus; et terrenis desideriis implicatur.

IV. Cum spes sit virtus, qua beatitudinem nostram, et illius assequendae adjumenta expectamus, hinc sequitur, unumquemque per spem Theologicam sibimetipsi dumtaxat beatitudinem suam expectare posse, non autem alteri, nisi ille ita sit speranti charitate conjunctus, ut unum quodammodo cum eo fiat. Hinc Augustinus *Enchir. cap.* 8. *Fides*, inquit, *et suarum rerum est, et alienarum* . . . *Spes autem nonnisi bonarum rerum est: nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spe agere perhibetur.*

V. Quoniam sperandi ratio est infinita Dei potentia, ac misericordia, patet, nonnisi in Deo spem reponi posse, tamquam in auctore, et caussa principe nostrae salutis; minime vero in hominibus, aut Angelis. Hinc per Jeremiam ait Deus *Jerem. XVII.* 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine*, et multo magis si fidit in semetipso. Sed quia Deus creaturis suis uti potest, sicut saepenumero utitur, *ex. gr.* precibus sanctorum, aut aliorum hominum consilio, et auxilio, ut nobis ea largiatur adjumenta, quibus ad beatam vitam assequendam indigemus; hinc non est absurdum collocare in homine spem aliquam, tamquam in instrumento, quo Deus ad salutem nostram utatur; ita tamen parati, ut si ab illo destituamur, non concidamus animis; quin eo magis nostram in Deo Patre amantissimo fiduciam roboremus, et augeamus. Qua in re peccatur a nonnullis, qui ita suis adhaerent consiliariis, adjutoribus, Directoribus, ut si ab illis quocumque modo deserantur, jam de sua salute actum putent, ideoque in hominum virtute, potentia, doctrina, et non in Domino sperare videantur.

Scho-

Scholion.

I. Diximus *objectum formale* spei esse Deum, quatenus nobis bonum, seu quatenus a nobis possidendus ex ipsius Dei omnipotentia, et misericordia est, ut vitaremus controversiam in Scholis agitatam de *formali objecto* spei, quod nonnulli volunt esse unam Dei erga nos bonitatem, alii omnipotentiam ejus, et misericordiam. Nos utrumque conjunximus, nempe bonitatem Dei erga nos, ejusque potentiam, et misericordiam. Nam cum spes feratur in bonum arduum, et possibile; hinc sequitur neque solam Dei potentiam, et misericordiam esse ejus *objectum formale*, quia potentia, et misericordia non sunt bonum illud, quod concupiscimus, neque solam Dei bonitatem, quia sine omnipotentia, et misericordia Dei non esset possibilis. Quapropter Dei in nos bonitas per potentiam ejus, et misericordiam possibilis, formale spei objectum est. Nomine autem misericordiae, etiam Dei promissiones intelligimus, quibus nos in spem erigit beatae vitae adipiscendae.

II. Rursus diximus, ex spe oriri timorem. Sed advertendum est, timorem esse duplicem, nempe *timorem mundi*, et *timorem Dei*. Timor autem mundi ille est, quo quis ad violandas Dei leges inducitur timore hominum. Qui quidem timor tantum abest, ut a spe oriatur, quin potius ab illa comprimatur, imo et effugetur. Quanto enim magis quis Deo fidit, tanto magis minas hominum contemnit. *Rom. VIII.* 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Psal. XXVI. Dominus protector vitae meae; a quo trepidabo?* Hinc contra hunc timorem saepe Deus nos roborat in Scripturis. *Isaiae LI.* 12. *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi faenum ita aresect?* Matth. X. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, etc.

III. Timor autem Dei triplex est, *servilis*, quo timetur poena; *filialis*, quo timetur culpa, *initialis*, quo culpa simul, et poena timetur. De quibus quoniam plura diximus *Lib. VIII. Part. V.* ea hic repe-

petere non oportet; sed attingenda breviter, quae sunt propria hujus loci. Timor igitur servilis bonus est, quo timore Christus ipse nos concutit dicens *Matth. X.* 28. *Timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam*, quod non faceret, si timor ipse malus esset. Unde *Augustinus* Serm, CLXI. al. XVIII. De verb. Apost. *Modo*, inquit, *cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri times, quid dicturus sum? male times? . . . Non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeat.* Et quidem licet ipsa *servilitas*, qua quis peccare vellet, nisi timore coërceretur, mala sit, et vitium timentis, tamen timor ipse bonus est, et utilis, cum saltem externum prohibeat peccati actum, atque peccandi consuetudinem minuens, paret locum dilectioni justitiae. Hinc merito Tridentinum *Sess. VI. can* 8. contrariam Lutheranorum doctrinam damnavit. Sed a fortiori bonus est *initialis* timor, quo non solum poena timetur, verum etiam culpa. Omnibus autem praestat *filialis* timor, qui et timor *castus* appellatur, de quo dicitur *Psal. XVIII. Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi.* Est enim timor iste sanctus, quia a charitate simul, ac spe procedit in viatoribus, et quanto est charitas major, tanto etiam timor ipse augetur, unde inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XIX. art.* 10. *Timor filialis necesse est, quod crescat, crescente charitate, sicut effectus crescente causa; quanto enim magis aliquis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, et ab eo separari.* Est etiam *permanens in saeculum saeculi*, quia in patria, etiam cessante spe, manet charitas, ex qua manat *filialis* timor, non ut fuga mali possibilis, sed ut aversio, ac detestatio peccati, quod summo bono adversatur, unde etiam in Christo summum futurum esse timorem filialem praedicit Isaias *Is. XI. Replebit eum spiritus timoris Domini.*

CAP.

CAP. XXXI.

De necessitate spei.

Advi I. Cum necessitas, ut saepe diximus, alia *medii* sit, alia *praecepti*; Spes autem spectari possit, vel quoad habitum, vel quoad actum; quanta ejus generatim necessitas sit, inquirendum est.

II. Spem *habitualem* esse omnino necessariam ad salutem, non secus, ac gratiam sanctificantem, a qua divelli nequit, res est manifesta. Spem vero quoad actum, necessariam esse ad justificationem *necessitate medii*, nemo unquam negavit catholicus. Sed nonnulli recentiores *Casuistae* contendebant, nullum esse praeceptum eliciendi actum spei, quod praeceptum ipsum per se obligaret, etiam seclusa necessitate spei vel ad justificationem obtinendam, vel ad alias exercendas virtutes. Quorum doctrinam Alexander VII. damnavit in ea propositione: *Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis, ex vi praeceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

III. *Michael Molinos* Hispanus, falsa sanctitatis imagine magnam apud vulgus pietatis, ac doctrinae laudem adeptus, arcanam quandam, ac nefariam doctrinam Romae spargere incepit, ex *Beguardorum* principis magna ex parte derivatam. Docuit enim, esse quendam altiorem perfectionis statum, in quo animus nulla amplius spe vitae beatae moveretur, nulloque pulsaretur timore; sed abjecta omni salutis cura, totus in Deo quiesceret. In eo statu nullos omnino exercendos esse virtutum actus, nullisque tentationibus utcumque foedis, atque infandis resistendum; *omnesque animae potentias annihilandas*, ne a quiete sua deturbaretur animus. Hinc ejus sectatores, qui jam numero in dies augebantur, *Quietistae* nuncupati sunt. Verum cum occultari amplius

ea res non posset, comprehensus *Molinosius*, et in carceres *S Inquisitionis* trusus, arcanum omne patefecit ejusque doctrina ab *Innocentio XII.* in Bulla *Coelestis Pater* anno MDCLXXXVII. damnata est viginti tribus propositionibus. quarum haec erat prima: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. . . . Neque timor poenarum atque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

IV. In eundem scopulum, licet illa foeda, ac propudiosa *Molinosii* dogmata declinans, impegit *Franciscus Fenelon* Episcopus Cameracensis (*a*). Verum is, errore comperto, post *Innocentii XII.* definitionem, palam illam e suggestu ejuravit.

PROPOSITIO I.

Actus spei necessarii sunt adultis ad salutem tum necessitate medii, tum necessitate praecepti. Est dogma fidei.

Prob. 1a. pars. I. ex Script. 1.° Non minor est ad justificationem, et salutem spei quam fidei necessitas. Sicut enim dicitur ab Apostolo *Heb. XI. Sine fide impossibile est placere Deo*; ita etiam *qui spem non habent* inter eos recensentur, quorum est desperata salus, imo ipsa spes indirecte ponitur ab Apostolo in definitione fidei Christianae, quae sine dubio est ad salutem necessaria *necessitate medii*: *Est autem*, inquit, *fides sperandarum substantia rerum.* 2.° Sicut spes ab homine exigitur tamquam conditio, ac dispo-

(*a*) In Libello, quem inscripsit *Explication des Maximes des Saints.*

spositio ad justificationem necessaria *Matth. IX.* 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata*, ita sine illa nihil boni a Deo expectandum esse denunciatur *Jac. I.* 7. *Non ergo aestimet homo ille*. (qui spem firmam non habet) *quod accipiat aliquid a Domino*. Hinc merito Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 6 inter dispositiones ad justificationem necessarias spem recenset. Ergo.

Prob. II. ex PP. 1.° Ambrosius *Lib. De poenit. Cap. I. Nemo*, inquit, *potest bene agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam*. 2.° Augustinus *Hom. CCCLII. inter L. Judam proditorem non tam scelus, quod commisit, quam indulgentiae desperatio fecit penitus interire.*

Prob. III. ratione. Tam arcta est fidei, speique conjunctio, ac veluti cognatio, ut qui spem non habet, is fidem vel nullam, vel omnino inanem, atque otiosam habere videatur. Sic qui non sperat, se a potentiore adjuvandum, is vel non credit, eum posse, aut velle auxilium ferre, vel ita se gerit, ac si non crederet. Hinc Scriptura fidem, ac spem ita aliquando conjungit, ut una veluti videatur esse virtus; unde dicitur de Abraham *Rom. IV.* 3. *In spem contra spem credidit.* Ergo si fides ad salutem est omnino necessaria, paris erit necessitatis haec virtus, sine qua fides aut nulla est, aut prorsus inutilis.

Prob. 2a. *pars.* 1.° Deus ipse in Scripturis sperare nos jubet. *Psal.* XXXVI. *Spera in Domino, et fac bonitatem. Eccl.* II. 6. *Dirige viam tuam, et spera in illum.* I. Pet. I. 13. *Sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam.* 2.° Quidquid necessarium est necessitate medii, necessarium est etiam *necessitate praecepti*, ut saepe diximus. Atqui spem necessariam esse necessitase medii; paulo ante ostendimus. Ergo etc.

Scholion.

I. Quamvis certissimum sit sperandi praeceptum, non ita tamen exploratum est, quo tempore, aut quoties obliget. Qua in re illud primum videtur affirmari posse, toties nos spem nostram excitare debere, quoties actiones nostras debemus ad vitam aeternam consequendam referre, quod utique sine aliqua spe fieri nequit. Cum ergo ad eum finem omnes actus nostros dirigere debeamus; ad hoc enim Christiani sumus, *regenerati in spem vivam . . . in hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem*; hinc efficitur, spem nostram esse debere non actu, sed virtute continuam; sicut et continuam orationem nobis Christus ipse insinuat saepius, et inculcat: et Apostolus *I. Thessal. V.* 8. praecipit, ut semper *induti simus loricam fidei, et charitatis, et galeam spem salutis.*

II. Sed certa esse tempora, in quibus praecipue urget spei praeceptum, communis Theologorum sententia est. Et 1.° quidem initio usus rationis, quo tempore praecipue debet homo ad Deum converti per fidem, spem et charitatem. 2.° In exitu vitae, cum jam ad eam metam perventum est, in qua ardentius vitae aeternae bravium concupiscere, atque anhelare necesse est. 3.° Cum graves contra spem tentationes urgent. 4.° Cum de peccatis agenda est poenitentia 5.° Quando est orandum; vana enim omnis est oratio, quae sine ulla fiducia funditur, ut et Christus saepe monet in Evangelio, et Jacobus Apostolus paulo ante laudatus *Jac. I.* 7. insinuat.

PRO-

PROPOSITIO II.

Non est agnoscendus ille perfectionis status a Quietistis confictus, in quo nec spei, aut desiderium aeternae vitae, nec poenarum timor; nec ullus actus potentiarum animae locum habeat.
Est dogma fidei.

* *Prob.* I. *ex Script.* Apostolus, cui utique nemo se aequare, ne dicam anteponere audebit, *Philip. III.* 12. de omnibus utcumque in hac vita perfectissimis haec habet: *Non quod jam acceperim, aut perfectus sim . . . fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et de viris ad summum perfectionis apicem evectis loquens *Rom.* VIII. 23. *Nos ipsi*, inquit, *primitias Spiritus habentes et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemtionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus.* Haec quidem de spe dicta sunt. De timore vero ait idem Apostolus de seipso I. *Cor.* IX. 27. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et omnibus fidelibus praecipit Philip. II. 12. *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini.* Denique de actibus omnium potentiarum animae, ait Christus diligentibus eum Joan. XIV. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate*, quibus verbis omnium virtutum comprehendit actus. Et Apostolus *Philip. IV.* 8. *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.* Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *in Psal.* CXXII. *Non praeter spem*, inquit, *esse debemus, imo cum magna fiducia praesumere, quia si per charitatem ipse nobiscum in terra est, per eandem charitatem et*

nos

nos cum eo in coelo sumus . . . Ille deorsum est per compassionem, et nos sursum sumus spe charitatis. Spe enim salvi facti sumus Rom. VIII. 24. 2.° Bernardus *Lib. De diligendo Deo Cap.* 15. describens omnes gradus, quibus in hac vita in Deum tenditur, incipiens a timore poenarum, qui primus est gradus, ex quo ascenditur in alterum, nempe spem, atque inde ad charitatem, sic habet: *Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter ipsum. At vero cum ipsum coeperit occasione propriae necessitatis colere, ac frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo; quadam hujuscemodi familiaritate paulatim, sensimque Deus innotescit, consequenter et dulcescit, et sic gustato quam suavis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu diu statur; et nescio, si a quoquam quartus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt, mihi, fateor, impossibile videtur.* Ubi S. Doctor ultimum perfectionis gradum, quem etiam in hac vita ait esse fere impossibilem, in eo constituit, ut homo diligat se, hoc est suam ipsius beatitudinem propter Deum. Fictitius igitur est ille gradus, in quo homo sese, ac beatitudinem suam non diligat, ideoque nec desideret, nec expectet.

Prob. III. *ratione* 1.° Non est vera charitas, quae conjuncta non est cum desiderio boni absentis, quod amatur; unde Christus orare nos jubet: *Adveniat regnum tuum.* Et Apostolus *desiderium* habebat *dissolvi, et esse cum Christo.* Si ergo nulla erit in nobis expectatio beatitudinis, qua perfecta adhaereamus, et conjungamur summo bono, nec charitas ipsa in nobis erit: ideoque tantum abest, ut summum attigerimus perfectionis apicem, quin potius jam in peccatum lapsi simus, atque a charitate exciderimus. 2.° Quamdiu in hac vita sumus, continua est nobis colluctatio adversus nostrae salutis hostes, carnem scilicet, mundum, et diabolum, qui tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret. Atqui adversus ejusmodi hostes pugnandum est fortiter non nostris viribus, sed Dei auxi-

auxilio. Nihil autem excogitari poterat foedius, ac scelestius, quam non esse tentationibus resistendum. Ergo si tantisper abjiciamus arma fidei, et galeam spem salutis, jam de nobis, nostraque salute actum est.

Solvuntur argumenta Quietistarum.

Objic. I. Est quidam quietis status, in quo animus nullum omnino exercet actum, sed perfecte in Deo quiescit. Dicitur enim *Cant. II. 7. Adjuro vos filiae Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Hanc orationem quietis viri Sancti, ad apicem evecti perfectionis, experti sunt, scriptoque tradiderunt, ut Bernardus *De domo interiori*, *S. Theresia in vita sua Cap. 14.* Salesius *Lib. VI. De amore Dei*, et alii. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Quod enim legitur in *Canticis*, quodque Sancti viri experti sunt, scriptoque tradiderunt; non est status ille quietis ab omnibus virtutum actibus, sed aliquantula requies a sensuum, aliarumque potentiarum inferiorum tumultibus; atque ab exterioribus etiam tentationibus; ita ut aliquantulum ab hoste, et a corporeis imaginibus quiescens animus vehementius feratur in Deum per vividiores actus fidei, spei, et charitatis. Ita rem explicat Bernardus *Serm. VII. in Cant.* Contra hanc quietem adversa fronte pugnat *Molinosii* quies, per quam animus, abjecta omni salutis cura, tentationum etiam obscenissimarum gurgite, praetexu quietis, ac libertatis spiritualis immergitur.

Objic. II. Moyes *Exod. XXXII. 31.* sic Deum pro Israelitis orat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Apostolus *Rom. IX. 3. Optabam*, inquit, *ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ergo datur ille perfectionis gradus, quo quis propriae etiam salutis curam abjiciat.

℟. *Neg. cons.* Verba enim Moysis non de vita aeterna intelligenda sunt, cum de libro illius vitae, nem-

nempe de numero electorum nemo deleri possit, sed de vita temporali, quam vir sanctus pro fratribus suis perdere paratus erat; ut advertit Hieronymus *in Epist. ad Algas*. Sed si quis contendat, etiam de vita aeterna intelligenda esse verba Moysis, sicut etiam verba Apostoli intelligit *Chrysostomus*, non inde sequitur, eos revera aeternam damnationem exportasse pro fratribus; sed humano more, et affectu locuti sunt ad explicandam amoris vehementiam, ut si fieri posset, optassent aeternam etiam subire poenam ut frates salvi fierent.

Objic. III Amor perfectus est gratuitus; ait enim Apostolus *I. Cor.* XIII. 5. *Charitas non quaerit quae sua sunt*: unde ait etiam *I. Cor.* X. 24. *Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius*. Sed qui mercedem respicit aeternam, non amat gratuito, sed quaerit adhuc quae sua sunt. Ergo imperfecte diligit, ideoque alter ei ascendendus est perfectionis gradus, ut sine ulla spe aeternae mercedis, imo et cum persuasione aeternae damnationis Deum diligat.

℞. *Neg. min.* Qui enim non aliam mercedem quaerit, nisi bonum ipsum, quod amat, gratis amat: quia nulla re alia fruitur, nisi bono, quod amat. *Nullo modo merces quaereretur ab eo, qui gratis amatur, nisi merces esset ipse, qui amatur*, inquit Augustinus *Serm*, CCCXI. *al*. XXXIX. Imo non gratis quis amaret, nec amaret omnino, nisi optaret frui bono, quod amat. *Frui enim est amore inhaerere alicui rei propter ipsam*, ut ait idem Augustinus *Lib. I. De doct. Christ. Cap.* 4. *Maxima charitas*, inquit S. Bonaventura *in* III. *Dist.* XXVI. *art. I. Q. I. maxime desiderat uniri Deo*. Non potest igitur in hac vita vera esse charitas sine spe, ut ostendit S. Thomas 1a. 2ae. *Q. LXV. art.* 5. Qui ergo ajunt, se vitam aeternam non desiderare, ne mercenarii videantur; *seipsos non intelligunt . . . si aliud quaereres ab ipso, gratis non amares, sed non amares, si non desiderares*, Inquit Hugo Victorinus *Lib. II. De Sacram. Cap.* 8. Quod ergo ait Apostolus: *Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius*, non ita accipiendum, quasi seipsum quis diligere non debeat, cum potius amor

amor sui tamquam exemplar dilectionis proximi sit nobis propositum: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Sed ne quis proprio commodo ita studeat, ut nulla sit ei de salute proximi sollicitudo, aut cura.

Inst. Amor, quo quis proprium commodum, et utilitatem respicit, est amor concupiscentiae. Atqui amor concupiscentiae vel vitiosus est, si quis positive amorem charitatis excludat, vel saltem imperfectus, ut supra diximus. Ergo perfectior est amor purus sine ulla permixtione utilitatis propriae.

℞ *Dist. min.* *quoad* 2m. *part.* Est imperfectus si a charitate ad ipsum Deum summe dilectum non referatur, *conc.* Secus, *neg.* Concedimus igitur, amorem concupiscentiae, si charitatem excludat, qualis est amor rerum terrenarum, in quo quis finem ultimum constituit, in vitio esse. Concedimus etiam, amorem concupiscentiae etiam, aeternae beatitudinis, qualis est amor spei, si sit a charitate sejunctus, imperfectum esse. Sed negamus, esse posse charitatem, sive amorem Dei perfectum sine desiderio fruendi summo bono, quod desiderium in hac vita sine spe esse non potest; sed ab ipsa spe magis accenditur; spe ablata, extinguitur. Hinc *Psal.* CXVIII. dicitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Et Christus *Matth. VI.* 10. nos jubet regnum Dei quaerere ea oratione: *Adveniat regnum tuum*; quae oratio sine spe nulla est. Apostolus etiam *Colos. I.* 4. *Audientes*, inquit, *fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes, propter spem, quae reposita est nobis in caelis.*

Scholion.

Acriter in Scholis disputatum est, utrum ille, cui Deus certissime revelaverit, ac denunciaverit futuram damnationem, adhuc in Dei misericordia et omnipotentia sperare teneretur. Nonnulli affirmant, alii negant. Nobis haec quaestio parum videtur utilis, cum Deus, qui semper in se sperari jubet in Scripturis, nunquam alicui certissimam damnationem revelaturus sit,

sit, nisi forte minitando, ut Ninivitis proximam urbis eversionem denunciavit. Sed etiam ea certissima revelatione posita, ut magis pium est de Dei bonitate cogitare; sic videtur Scripturis magis consentaneum, debere hominem etiam tum, exemplo Abrahae, in spem contra spem credere, sive sperare, non quidem immutandum fore Dei decretum, quod est absurdum, sed vel revelationem illam esse potius voluntatem *signi*, quam beneplaciti, vel Deum alia ratione homini ignota posse extra ordinem ei succurrere.

C A P. XXXII.

De peccatis contra spem Theologicam.

I. Quoniam spes Theologica est virtus, qua beatitudinem nostram, et adjumenta ad illam necessaria expectamus per divinam misericordiam, et omnipotentiam; hinc duplici ratione contra spem peccari potest, vel quia non amplius beatitudinem, aut *media* illius consequendae expectamus, vel quia non ex Dei misericordia, et omnipotentia expectamus, sicut oportet. Prius dicitur *desperatio*; alterum *praesumtio*.

II. Est igitur *desperatio* dejectio animi, ac diffidentia obtinendi beatitudinem, atque adjumenta ad illam necessaria, quae falso judicio existimantur impossibilia, oriturque plerumque ex fastidio rerum divinarum, aliquando etiam ex errore aliquo contra fidem, vel ex magnorum scelerum conscientia; ejusmodi fuit peccatum *Caini*, *Judae*, aliorumque.

III. *Praesumtio* vero est temeraria fiducia beatitudinem obtinendi non ea ratione, ac via, qua nos Deus ad beatam vitam adducere constituit; sed alia, quam superbia, aut cupiditas fugerunt, hoc est vel propriis viribus, sine Dei auxilio, vel sine oratione, bonis operibus, ac celeri, et promta poenitentia peccatorum, quam quis vana spe se acturum confidit in exitu vitae, ut interim cupiditatibus indulgeat. Non est autem haec ratio obtinendae salutis a Deo proposita, cum clare edicat in Scripturis: *Sine me nihil potestis facere*

cere Joan. XV. 5. *Oportet semper orare, et numquam deficere* Luc. XVIII. 1. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis* II. Pet. *I.* 10. *Non tardes converti ad Dominum Eccl. V.* 8, Quia licet promiserit Deus poenitenti indulgentiam, non promisit tamen tempus, et gratiam poenitentiae, ut saepe advertit *Augustinus*.

IV. Porro peccatum utrumque tum desperationis, tum praesumtionis, cum virtuti Theologicae adversetur, lethale est ex genere suo *Cum enim virtutes Theogicae habeant Deum pro objecto*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* XX. *art.* 3. *peccata eis opposita important directe, et principaliter aversionem a Deo.* Et quidem, quod desperatio a Deo avertat, manifestum est, cum desperans omnem abjiciat ultimi finis desiderium, ideoque in creaturis finem suum constituens, in omnia ruat scelera: unde Apostolus de ejusmodi hominibus ait *Ephes. IV.* 19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.* Idem dicas de eo, qui *praesumit*, vel propriis viribus fidens, de quo dicitur *Jerem.* XVII. 5. *maledictus homo qui confidit in homine*; vel de Dei misericordia male judicans, ideoque ad finem vitae poenitentiam differens, quasi Deus peccandi impunitatem foveat, cum contra clamet Apostolus *Rom.* II. 4. *An divitias bonitatis ejus et patientiae, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei.*

V. Ceterum quamvis ex genere suo desperatio, atque praesumptio lethalia sint; possunt tamen fieri ex imperfectione actus, sive ob defectum *advertentiae*, et consensus venialia. In hominibus praesertim conscientiae timidioris solent aliquando vehementes desperationis procellae insurgere, licet in superiori voluntatis parte non sit consensus, saltem plenus, ac perfectus, quod ex aliis actionibus dijudicari potest: si scilicet orationem, aliave consueta pietatis officia inter ipsos desperationis fluctus non abjecerint.

VI. Utrum autem venialia fieri possint haec peccata ex levitate materiae, quaestio est. Et quidem si de rebus ad salutem non omnino necessariis agatur, concedit *Habert*, esse posse ex levitate materiae leve desperationis, ac praesumptionis peccatum; quia etiam posita in rebus non necessariis ad salutem aliqua desperatione, aut praesumptione, manet tamen adhuc integra spes salutis, et eorum, quae ad salutem consequendam necessaria sunt. Quod non accidit in peccatis contra fidem, cum quilibet dissensus rei revelatae, secum habeat contemtum divinae auctoritatis, et Ecclesiae eam proponentis. Sed de spe haec hactenus dicta sufficiunt, nunc de charitate disserendum est.

CAP. XXXIII.

De charitatis natura, atque objecto.

Adv. I. Jam de charitate dicendum, quae maxima omnium virtutum est, *Charitas* enim, ut inquit Augustinus *Lib.* XV. *De Trin. cap.* 18. *est donum Dei, quo nullum excellentius. Sola est, quae dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis aeternae*, et sine qua cetera quidem Dei dona, atque virtutes esse possunt, sed non ad vitam aeternam adipiscendam prodesse, dicente Apostolo I. *Cor.* XIII. *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest etc.*

II. In definienda autem charitatis natura, in contrarios errores abiere nonnulli. Novi enim *mystici*, seu *Quietistae* charitatem eam esse voluerunt veram, atque perfectam, quae omnem excluderet aeternae vitae spem, et desiderium, omnemque ejus amittendae formidinem, ut supra diximus. Contra alii, ut longius ab eo errore declinare viderentur, ipsam charitatis naturam non aliud esse voluerunt, nisi amorem Dei, quatenus nobis bonus est, seu propter nostram beatitudinem, inter quos nuper *Bolgenius* novarum rerum studiosior, duo volumina de hoc argumento edidit, ut adstrueret, charitatem non aliud, nisi amorem concupiscentiae esse existimandam.

PRO-

PROPOSITIO

Charitas recte definitur: Virtus infusa, Theologica, qua Deum amore benevolentiae super omnia diligimus, et cetera propter ipsum.

Prob. et expl. Dicitur 1.° *Virtus*, quia ipsa praecipua, ac maxima virtutum est, quae ceteras ordinat, vivificat, et informat, quaeque simpliciter, et absolute bonum facit hominem, dicente Augustino *Tract. VII. in I. Joan. Habere nomen Christi et malus potest, habere autem charitatem, et malus esse non potest.*

Dicitur 2.° *infusa*, quia ut diximus in *Lib. VII. Cap.* 12. ex Concilio Arausicano II. *prorsus donum Dei est diligere Deum. Charitas* enim *ex Deo est I. Joan. IV.* 7. Et Rom. V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Dicitur 3.° *Theologica*, *qua Deum etc.* quia ejus *objectum primarium*, ad quod cetera referuntur, est ipse Deus, omniaque ejus attributa, quae simul cuncta diliguntur, potentia, sapientia, justitia, misericordia, etc. ideoque totus amabilis, ac desiderabilis est sive puniat, sive misereatur.

Dicitur 4.° *qua Deum amore benevolentiae*, ut distinguatur charitas ab amore concupiscentiae. Amor enim concupiscentiae proprium commodum quaerit, ac diligit: amor vero benevolentiae bonum ipsius amici vult, et facit quantum in se est; talis autem est charitas.

Dicitur 5.° *super omnia diligimus*, hoc est non solum plusquam omnia creata, sed etiam plusquam nosmetipsos: qua in re charitas a spe discernitur, per quam diligimus quidem Deum super omnia nostra, sed nondum *positive* super nos ipsos.

Porro duplici ratione Deum super omnia diligi posse, docent Theologi, nimirum *appretiative*, et *intensive*. Et *intensive* quidem super omnia diligitur Deus, cum amore maxime ferventi, atque intenso amatur, qualis

est

nat mercedem. Et Chrysostomus *Hom. V. in Epist. ad Rom.* docet, servandam esse Dei legem *nec propter minas supplicii, nec propter promissionem regni* (quae ad spem pertinet) *sed propter eum, qui legem tulit.* Similiter Bernardus *in Tract. De diligendo Deo. Cap.* 12. *Qui timet, et qui cupit, utrique pro se agunt: sola, quae in filio est, charitas non quaerit, quae sua sunt* Et Cap. 14. *Cupiditas tunc quidem a superveniente charitate ordinatur, cum mala quidem penitus respuuntur, bonis vero meliora praeferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cum plene per Dei gratiam assecutum fuerit, diligetur corpus propter animam; anima propter Deum; Deus autem propter seipsum.* Denique, ut alios omittamus, S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XVII. art. 8. Perfectus amor est, quo aliquis secundum se amatur, utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid, non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quae inhaeret Deo secundum seipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Accurata igitur est tradita superius charitatis definitio.

Corollaria.

I. Hinc sequitur, duo esse *objecta* charitatis *materialia* directe, alterum primarium, quod est ipse Deus; alterum secundarium, quod sumus nos ipsi, et proximus, sive creaturae omnes rationales, quae ejusdem beatitudinis sunt nobiscum capaces. *Proximus* enim, inquit Augustinus *Epist.* CLV. *non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est*; quamcumque religionem profiteatur, quantumcumque scelestus, quamcumque nobis injuriam irrogaverit. Unde inquit Leo M. *Serm. XI. De jejun. X. mens. Proximi nomine non ii tantum intelligendi sunt, qui nobis amicitia, aut propinquitate junguntur, sed om-*

nes

nes prorsus homines, cum quibus nobis natura communis est. Damnati vero, ac daemones objectum charitatis non sunt; quia cum amare idem sit ac alteri velle bona, quae nobis volumus, idest aeternam beatitudinem; contra charitatem, quam Deo debemus, esset, optare tantum bonum damnatis, qui jam a Deo rejecti sunt. Possunt tamen damnati; ut et creaturae irrationales indirecte diligi, tamquam opera Dei, qui ea in gloriam suam conservat, sicut qui amicum diligit, etiam jumentum, aliasque res ad amicum pertinentes indirecte diligit.

II. Cum *formale objectum* charitatis erga Deum, nos ipsos, et proximum sit bonitas, quae in ipso Deo est ratione ipsius essentiae, in nobis vero, et proximo per quamdam participationem divinae bonitatis; hinc sequitur, unam, eamdemque virtutem esse, qua Deum, nos ipsos, et proximum diligimus; ita ut qui Deum non diligit, neque se, neque proximum charitate diligat; et qui vel unum ex proximis non diligit, neque Deum, neque seipsum diligat; sicut qui vel unum fidei dogma negaverit, omnino fidem amittit. *I. Joan. IV.* 20. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* Et Damascenus *Lib. I. Parallel. cap.* 18. *Quemadmodum nec anima sine corpore, nec rursus corpus sine anima, hominis nomen obtinet, eodem modo nec charitas erga Deum, nisi charitatem erga proximum comitem habeat, charitas dicenda est; nec rursus charitas erga proximum charitatis nomen tueri potest, nisi charitas erga Deum accesserit.* Hinc saepe Scriptura solam proximi charitatem tamquam legis complementum commemorat. *Rom.* XIII. 8. *Qui diligit proximum legem implevit*, quia scilicet dilectio proximi etiam dilectionem Dei, ideoque totam legis observationem includit.

III. Hinc etiam sequitur, amare Deum propter accepta beneficia, proprie esse actum grati animi, non charitatis. Sed saepenumero divinis beneficiis excitamur ad ejus bonitatem considerandam, et diligendam; ut supra ex *Bernardo* advertimus. Item in justis, sicut charitas imperat aliarum virtutum actus, sic etiam actus

actus grati animi imperare solet; ut gratiarum actio in justis a grato animo sit elicita, sed a charitate saepenumero imperata.

IV. Sic etiam amare proximum propter ejus aut supernaturales, aut naturales dotes, atque virtutes, non est charitatis actus, sed ejus virtutis, quam in proximo admiramur, atque diligimus; nisi forte ejusmodi virtutes, ac dotes spectentur, ut participatio quaedam divinae bonitatis, quae in proximo elucet. Tunc enim actus ad charitatem pertinebit.

V. Pari ratione qui proximum diligit propter consanguinitatem, amicitiam, aliasve necessitudines, nondum eum ex charitate diligit, nisi temporales istas necessitudines considerat ut effectus bonitatis Dei; qui admirabili sapientia, ac providentia talem inter homines constituit societatem, ut alter alterius aeternae saluti deservire posset, nisi ipsi ad perditionem suam iis instrumentis abuti vellent, quae Deus ad eorum salutem suppeditavit.

Objecta Diluuntur.

Objic. I. A falsis *Misticis* confictus est ille amor, quo Deus propter seipsum diligitur, et non propter amantis beatitudinem. Ergo male in definitione charitatis posita sunt ea verba *propter ipsum.*

℟. *Neg. ant.* Numquid enim falsae mysticae principia tradit *Augustinus* cum *Lib. De doct. Christ. cap.* 16. ait: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se, et proximo propter Deum.* Numquid Bernardus, qui *Lib. de dilig. Deo cap.* 15. de eo, qui a spe ad charitatem transit, sic ait: *transit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter se, sed propter ipsum?* In hoc igitur positus est damnatus recentiorum *Mysticorum* error, quod diceret, esse aliquem perfectionis statum, quo non diligatur amplius, nec quaeratur propria beatitudo, sed diligatur tantum Deus propter ipsum. Quod quidem supra merito refutavimus: qui enim non optat videre Deum, utique Deum ipsum non diligit.

 Sed

Sed hinc non sequitur, ut propriam beatitudinem non possit, ac debeat homo diligere propter Deum.

Inst. 1.° Impossibile est, ut ametur aliquid, quod non sit amanti conveniens, scilicet ipsi utile, jucundum, honestum; si enim amari posset aliquid, quia in se bonum est, omnia ab omnibus amanda essent; omnia enim in se ipsa bona sunt, quod est absurdum; quia quod uni convenit, alteri repugnat. Non est igitur amor Dei propter ipsum, sed tantum propter nos ipsos, unde inquit Aristoteles *Lib. IX. Ethic. Amicabilia, quae sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quae sunt ad seipsum*; ita ut amor sui ipsius sit prima radix, et ratio amandi cetera, ideoque non possit amari Deus, nisi propter nos ipsos, nostramque beatitudinem. Ita fere *Bolgenius.*

℞. *Dist. ant.* Impossibile est, ut ametur aliquid, quod non sit amanti conveniens eo sensu, quod amans nullum ordinem, nullamque relationem ad illud habeat, *conc.* Eo sensu, qui positus est in argumento, nempe quod sit ipsi amanti utile, *subdist. Supernaturaliter, neg.* Naturaliter saltem in hoc statu naturae corruptae, *conc.* Fatemur itaque, amari non posse id, ad quod amans nullum habet ordinem, nec ei conveniens est, ideoque falsum est, omnia ab omnibus amanda esse, sed negamus, hinc fieri, ut id solum amari possit, eaque sola ratione, quod amanti sit utile. Sit hoc impossibile naturae corruptae, ideoque licuerit *Aristoteli*, qui Dei gratiam nesciebat, omnis amoris radicem in amore sui ipsius constituere: non erit tamen impossibile per Dei auxilium, a quo amor iste praecipitur. At *Bolgenium* potius Sanctorum Patrum, quam Philosophorum sententias sequi oportebat. Ceterumjetsi naturalem tantum rationem spectemus, absurdum est, amorem sui ipsius esse radicem amoris Dei; ex hoc enim sequeretur, hominem esse sibi ipsi suum ultimum finem, ad quem omnia, ipsumque Deum referret: quo quid dici potest scelestius?

Inst. 2.° Patres docent; hunc esse ultimum finem nostrum, ut aeterna beatitudine potiamur. Sic Augustinus *Serm. IX. al. XCVI. De temp. Qui de futura*

turo saeculo non cogitat, nec propterea Christianus est, ut id quod Deus in fine promittit, accipiat, nondum Christianus est. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Ut potiamur aeterna beatitudine, quatenus nos Deo ultimo fini perfecte conjungit, *conc.* Quatenus ea beatitudo ad nostram dumtaxat refertur utilitatem, *neg.* Fatemur itaque, beatitudinem nostram esse ultimum finem, ad quem tendimus, ideoque recentiorum *Mysticorum* commenta rejicimus; quia nonnisi in ea beatitudine charitas nostra perficitur, et perfecte conjungimur Deo ultimo fini, eoque perfecte perfruimur, ipsam beatitudinem nostram ad ejus gloriam referentes; ideoque eum, qui hanc non expectat, non esse perfecte Christianum. Nihil tamen inde conficitur contra charitatis definitionem, atque naturam.

Objic. II. Nemo proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur, sed charitas in alterum tendit, ut charitas esse possit, ut inquit Gregorius M. *Hom. XVII. in Evang.* Ergo nos ipsi charitatis objectum non sumus.

℟. *Dist. ant.* Charitas posita pro actuali amicitia, *conc.* Pro amore, quo aliquid propter Deum diligitur, qui quidem amor omnis amicitiae fundamentum est, *neg.* Si ergo charitatis nomen de actuali amicitia intelligatur, fatemur, nonnisi inter duos esse posse, cum amicitia mutuum duorum amorem, atque *unionem* significet. Sed principium, et fundamentum unionis est unitas; sicut fundamentum amoris erga proximum est charitas, qua nosmetipsos diligimus propter Deum. Ad rem S. Thomas 2a. 2ae. Q. XXV. art. 4. *Sicut unitas est principium unionis, ita amor, quo quis diligit seipsum, est forma, et radix amicitiae, in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quod ad eos nos habemus sicut ad nos ipsos.*

Objic. III. Angeli naturam habent ab humana diversam. Ergo absurdum est dicere, etiam Angelos censeri proximos nostros charitate diligendos.

℟. *Dist. ant.* Angeli habeant naturam ab humana diversam, sed cum homine conveniunt in genere substantiae spiritalis, quae ejusdem nobiscum beatitudi-

nis est capax, *conc.* Secus, *neg.* Porro charitas non in communione ejusdem naturae fundata est; alioquin Deus, qui naturam humanam infinito intervallo superat, non posset charitate diligi, sed in communione ejusdem beatitudinis, qua creaturae omnes rationales unum cum Deo fieri possunt.

Objic. IV. Peccatores odio habentur a Deo, ut legitur *Sap. XIV.* 9. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Ergo si Deum diligimus non possumus ex charitate diligere, nisi bonos; peccatores autem odisse debemus. Hinc legimus in Psalmis: *Perfecto odio oderam illos: Facientes praevaricationes odivi: Iniquos odio habui.* Quin et ipsis Regius Psaltes omnia mala passim imprecatur; *Deleantur de Libro viventium: Convertantur peccatores in infernum etc.*

R. *Dist. ant.* Peccatores odio sunt Deo ratione peccati; sive quatenus peccatores sunt, *conc.* Ratione humanae naturae, *neg.* Diligit enim Deus peccatores, quatenus homines sunt, ad imaginem suam conditi, atque aeternae gloriae capaces; et in tantum diligit, ut pro eis Filium suum miserit, cumque morti acerbissimae dederit propter ipsorum salutem. Unde ait Apostolus *Rom. V.* 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Nos igitur Deum imitantes odisse debemus cum Propheta peccatores, quatenus peccatores sunt, hoc est odisse in peccatoribus peccatum, tamquam vitium naturae, naturam vero diligere; sicut medicus odit morbum, diligit aegrotum. *Iniquus homo,* inquit Augustinus *Lib. XIX. cont. Faust. cap.* 14. *in quantum iniquus est, odio habendus est; in quantum autem homo est, diligendus est.* Quam doctrinam S. Thomas 2a. 2ae. Q. XXV. *art.* 6. etiam auctoritate Aristotelis *Lib. IX. Ethic.* confirmat. Quod autem ait Propheta; *convertantur peccatores in infernum*, non est imprecatio aeternae ipsorum damnationis; sed vel praedictio rei futurae; vel desiderium, ut auferantur peccatores; quatenus peccatores sunt, hoc est, ut destruatur eorum culpa, vel ad summum ut e vivis auferantur, si emendari nequeunt, et nocere desinant.

Inst. 1.° Saltem ii, qui ab Ecclesia excommunicati sunt, et à corpore Christi tamquam membra putrida recisi, non sunt amplius inter proximos censendi, cum non liceat pro eis orare, cum eis cibum sumere; imo nec *ave* eis dicere. Idem videtur dicendum de infidelibus, et incredulis. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Excommunicatio enim est medicina, qua utitur Ecclesia, ut peccatores confundantur, et resipiscant; ideoque non est vetitum privatim pro eis orare, ut convertantur. Unde Apostolus incestuosum Corinthium tradidit *satanae in interitum carnis; ut spiritus salvus* fieret *I. Cor. V.* eumque resipiscentem magna charitate excepit *II. Cor. II.* Quod autem ipsi infideles, increduli, et persecutores inter proximos censendi, ac diligendi sint, ostendit Christus *Luc. X.* qui ut doceret, quis sit noster proximus, Samaritanum proponit. Et Apostolus pro omnibus etiam principibus, qui eo tempore increduli erant, et persecutores Ecclesiae, orandum praecipit *I. Tim. II.*

Inst. 2.° Qui nos odio habent, insectantur, calumniantur, nihilque relinquunt intentatum, quo nos perdant; ii utique nihil habent, quo voluntatem nostram ad ipsorum amorem allicere valeant; voluntas enim non fertur, nec ferri potest in id, quod sibi contrarium mente apprehendit. Ergo ii charitate diligi non possunt.

℟. *Neg. ant.* Sicut enim membra corporis nostri morbo affecta, licet acerbissimis cruciatibus nos afficiant; diligimus tamen quoad substantiam, et ab iis quantum possumus, morbum expellere nitimur; ita in homine nequissimo, nobisque inimico magnum bonum considerare possumus, quod voluntatem nostram alliciat, divinam nempe imaginem; tamquam gemmam pretiosissimam luto foedatam, quae deterso luto, mirum in modum refulget. Sic Christus inimicos dilexit, eosque sanguine suo mundatos amicos fecit, imo et fratres, et membra sua. Cujus dilectionis exemplum nobis reliquit, dicens; *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos Joan. XIV.* 12. Praeclare Augustinus *Tract. VIII. in I. Epist. Joan. Ne pigri sitis diligere inimicos. Saevit in te homo?*

Ille

Ille saevit, tu deprecare; ille odit, tu miserere; febris animae ipsius te odit; sanus erit, et gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt aegrotos? Ad hoc diligunt aegrotos, ne aegroti permaneant, sed ut ex aegrotis sani fiant: et quanta plerumque patiuntur a phreneticis; quales contumelias verborum? plerumque et percutiuntur: persequitur ille febrem, ignoscit homini. Et quid dicam, fratres? amat inimicum suum, imo odit inimicum suum, morbum; ipsum enim odit, et amat hominem, a quo percutitur, odit febrem. A quo enim percutitur? a morbo, ab aegrotatione, a febre: illud tollit, quod illi adversatur, ut remaneat illud, unde gratuletur. Sic et tu; si odit te inimicus tuus, et injuste te odit. Quod si omnibus adhibitis fomentis non nobis contingat eorum frangere pervicaciam, licebit quidem ab ipsis, tamquam a putridis membris cavere, ne noceant; numquam tamen eos a charitate nostra excludere.

Scholion.

I. Quaerunt Theologi, utrum charitas constituat vere, et proprie amicitiam inter Deum, et homines. *Durandus* negat, ceteri passim Theologi cum S. Thoma 2a. 2ae. Q. XXIII. art. 1. affirmant; et quidem verius. Nam *Jac. II.* 23. *Abraham . . . amicus Dei appellatus est.* Et *Psalm. CXXXIII.*: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et *Sap. VII.* 14. *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* Unde Hieronymus *in Cap. VII. Micheae*: *Si vis*, inquit, *vera amicitia delectari; esto amicus Dei, sicut Moyses, qui loquebatur Deo, quasi amicus ad amicum; esto amicus, ut Apostoli, ad quos Salvator, ait Joan. XV.* 15. *Jam non dicam vos servos . . vos autem dixi amicos.* Et quidem nihil charitati deest, quod ad veram requiratur amicitiam. Est enim 1.° amor benevolentiae. 2.° est mutuus *Joan. XIV.* 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* 3.° Est notus utrique amanti; Deo enim notus est amor noster, nobis vero potest esse

esse notus saltem morali certitudine amor Dei erga nos, ut diximus *Lib. VII. cap. 18.* 4.° Fundatur in communione bonorum. *Ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. I. Joan. I.* Imo quod in amicitia non requiritur, efficit charitas, ut homo in Deo sit, et Deus in homine *I. Joan. IV. 10. Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Neque refert, quod Deus ob gloriam suam nos diligat, nosque proximum propter Deum diligamus. Nam in hoc vere Deus bonum nostrum, nosque bonum proximi quaerimus, si diligamur, et diligamus ob Dei gloriam, in quo nostra beatitudo est.

II. Dividitur charitas 1.° in *habitualem*, et *actualem*, 2.° in *inchoatam*, *provectam*, et *perfectam*. Perfecta erit in patria, provecta est in justis, habetque gradus varios pro eorum majori, vel minori perfectione: inchoata est in iis, qui primo ad Deum convertuntur, illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.

C A P. XXXIV.

De necessitate charitatis.

I. Cum necessitas duplex sit *medii*, et *praecepti*; quod pertinet ad necessitatem *medii*, charitas quidem *habitualis* sine dubio necessaria est, cum non differat, vel separari non possit a gratia sanctificante, sine qua salvus esse nemo potest. Charitas vero *actualis* in parvulis quidem necessaria non est, cum non sint ejus capaces, solaque baptismi gratia salvi fiant: in adultis vero eam, saltem inchoatam, necessariam esse, ad justificationem, etiam in sacramento Baptismi, et Poenitentiae, ostendimus *Lib. VIII. Part. V.*

II. Restat ergo dicendum de necessitate praecepti. Sed cum duplex sit, ut superiori capite diximus, charitatis objectum Deus, et proximus, circa proximum vero varius sit spectandus ordo, variaque sint implenda

da officia charitatis; idcirco quinque articulis, quae ad praeceptum charitatis pertinent, explicabimus; primo de praecepto charitatis erga Deum. 2.° de praecepto charitatis erga proximum. 3.° de ordine charitatis. 4.° de eleemosyna. 5.° de fraterna correctione.

§. I.

De praecepto charitatis erga Deum.

Adv. I. Cum universa lex, et prophetae pendeant ex praecepto amoris Dei, et proximi, ipse autem amor proximi verus non sit sine amore Dei, ut supra vidimus, manifestum est, amorem Dei, quatenus implicite in praeceptis ceteris continetur, esse omnibus praeceptum. Sed quaeritur, utrum sit speciale praeceptum amandi Deum, quatenus amor hic distinctus est a reliquorum praeceptorum observatione.

II. Non defuerunt inter nuperos *Casuistas* nonnulli, qui docerent, nullum esse praeceptum charitatis, sive amoris Dei distinctum a reliquis legis divinae praeceptis, ex quo inferebant, non peccare eum, qui nullo umquam vitae suae tempore actum amoris Dei eliceret. Alii vero concedunt, esse praeceptum actum amoris Dei, sed raro, aut semel tantum in vita.

PRO-

PROPOSITIO I.

Est praeceptum charitatis erga Deum speciale, et distinctum a reliquis legis divinae praeceptis.

Prob. Illud praeceptum est speciale, et distinctum, quod dicitur primum omnium, maximum omnium, et a quo cetera legis mandata pendere dicuntur; nihil enim est primum, maximum, et caput ceterorum, nisi sit speciale, et a ceteris distinctum. Atqui hujusmodi est praeceptum amoris Dei, quod habetur *Deuter. VI.* 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua etc.* De eo enim ait Christus *Matth. XXII.* 37. *Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetae.* Quapropter hoc speciale praeceptum, tamquam certissimum habens *Augustinus*, admirabundus ait *Lib. I. Confess. Cap.* 5. *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam, mineris ingentes miserias?* Merito igitur *Alexander VIII.* anno MDCXC. eam damnavit propositionem: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae mortalis.* Et Clerus Gallicanus anno MDCC. hanc alteram: *Praeceptum affirmativum amoris Dei non est specialis, sed generale, et cui per aliorum praeceptorum observationem satisfit.*

Di-

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Joan. XIV. 15. Si diligitis me, mandata mea servate. Et v. 21. *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* Ergo praeceptum amoris Dei non est distinctum, sed implicitum in ipsa mandatorum observatione

℟. *Neg. cons.* Verba enim Christi non aliud sibi volunt, nisi: 1.° observationem mandatorum esse signum amoris Dei, cum ab illo pendeat; tamquam effectus a causa; cum autem, qui legem violat, etsi diligere se dicat, esse mendacem. 2.° Eum vere praecepta implere, sicut oportet, qui Deum diligit; quia dilectio est plenitudo legis. *Si forinsecus*, inquit Augustinus *Quaest. LIV. in Deuter. ea, quae Deus jubet, manibus fiant, et in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui praecepta arbitretur impleri.* Fiunt autem in corde praecepta per dilectionem, quae principium est, ac finis legis.

Objic. II. Ait Bernardus *Serm. I. in Cantic. Est charitas in actu, est et in affectu; et de illa quidem, quae operis est, puto datam legem hominibus, mandatumque firmatum, nam in affectu quis ita habeat, ut mandetur?* Ergo non aliam charitatem *Bernardus* existimavit esse praeceptam, nisi quae in ipsis bonis operibus consistit.

℟. *Neg. cons.* Nam cum ait *Bernardus*, charitatem *in affectu* non esse praeceptam, non intelligit charitatem, quae in interiori actu amoris Dei sita est, sed illam, quae suaviter afficit animum, illumque spiritalibus deliciis, ac laetitia replet, et satiat, qui quidem amor in praecepto non est, cum non ex voluntate, ac libertate hominis pendeat, sed ex Dei misericordia aliquando donetur, aliquando vero ex Dei sapientia negetur amantibus. Quod quidem patet ex sequentibus *Bernardi* verbis, ubi distinguens triplicem affectum, carnis, rationis, et sapientiae, ait: *Igitur per secundum* (nempe affectionem rationis) *opera fiunt, et in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quae sale sapientiae condita pinguescens,*

magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quaedam potius actualis, quae etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit.

Objic. III. S. Thomas 2a. 2ae. Q. XLIV. art. 6. haec habet de praecepto charitatis: *Qui in via hoc praeceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nam ibi *S. Thomas* per ea verba *implere praeceptum* significat plenissimam, ac perfectissimam charitatem habere, qua omnino impletur praeceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua etc.* Quod quidem praeceptum impletur in patria a beatis, sed in via, qui illud perfecte non implet, non idcirco graviter peccat, unde ait: *intendit autem Deus per hoc praeceptum, ut homo Deo totaliter uniatur, quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, et ideo plene, et perfecte in patria implebitur hoc praeceptum; in via autem impletur, sed imperfecte.* Quamvis autem praeceptum dilectionis speciale, ac distinctum a ceteris agnoscamus, fatemur tamen, eum qui reliqua praecepta servat ex *motivo* dilectionis, Dei, praeceptum ipsum dilectionis implere, etsi non expresse dicat: *Diligo te, Domine.* Atque hoc sensu intellecta nostra propositio ad fidem pertinet.

PROPOSITIO II.

Saepe, ac frequenter in vita charitatis actus ex praecepto eliciendi sunt.

Prob. Deus ipse sic praecipit *Deut. VI. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, eruntque verba haec, quae praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae.* Atqui fru-

frustra praecepisset Deus tam frequentem mandati hujus meditationem, nisi frequenter servandum esset. Ergo etc.

Scholion.

I. In definiendis temporibus, quibus praeceptum hoc urget, Theologi varie opinantur. Nos primum eas opiniones, quae a Sede Apostolica damnatae sunt, rejicimus. Sunt autem hae ab *Innocentio XI.* damnatae, 1.° *Praeceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.* 2.° *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.* 3.° *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* 4.° *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

His igitur explosis opinionibus, quas mirum est a Christiano homine evulgari potuisse; certum videtur, praeceptum dilectionis Dei obligare 1.° in ipso rationis crepusculo in pueris. Ait enim S. Thomas 1a. 2ae. Q. LXXXIX. *art.* 6. *Ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere, sed a peccato omissionis praedictae* (scilicet dilectionis Dei) *non liberatur, nisi quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet, sicut ad finem; finis enim est prior in intentione, et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei praecepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me; et ego convertar ad vos.* Sed cum hoc crepusculum non tamquam mathematicum, atque individuum punctum debeamus intelligere, sed cum aliqua morali latitudine, quae pro vario puerorum ingenio varia esse potest; hinc nonnisi prudenti quadam aestimatione definiri debet, quandonam praeceptum dilectionis Dei puer violasse videatur.

2.° In exitu vitae, cum jam ad eum finem, ad quem nos, et omnia nostra directa sunt, properamus.

mus. 3.° Cum tentatione aliqua vel contra charitatem ipsam impellimur, vel contra praecepta alia; quae quidem tentatio vinci nequit, nisi frigescens charitas repetitis actibus accendatur. 4.° cum eas Dominicae orationis preces fundimus. *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua.* Per eas enim profitemur, nos primum Dei gloriam expetere, ejusque voluntatem, plusquam omnia nostra, imo plusquam nos ipsos diligere; ut late *Cyprianus* explicat in libro *De oratione Dominica.* Quapropter ne simus ex iis, qui labiis tantum Deum honorant; quae ore proferimus, cordis etiam affectu prosequamur, necesse est. 5.° Denique dicendum cum Augustino *Lib. I. de Doct. Christ. cap.* 22. *Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat, et quasi dare locum, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illud rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.*

II. Amor Dei, qui praeceptus est, esse debet *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus*; qui quidem diligendi modus etiam praecepto dilectionis continetur. Quod enim Scholastici ajunt, *modum praecepti non cadere sub praecepto*, tunc solum verum est, cum potest praecepti substantia servari, etiamsi non servetur modus; at charitas vera non est, nisi sit ex toto corde, tota mente, totis viribus, saltem imperfecte, quantum status viatorum efficere potest. Nam diligere Deum ex toto corde etc. est illum super omnia, et plusquam seipsum diligere, quod qui non facit, non utique Deum diligit, tamqnam ultimum finem, ad quem omnia referenda sunt. Hinc Augustinus *Lib. I. De morib. Eccl. cap.* 11. *Summum, inquit, bonum . . . . non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus, idque significatur, et exprimitur eo, quod dictum est, ex tota anima, ex toto corde, ex totis viribus.*

III. Sed quamvis in statu viatorum sufficiat diligere Deum super omnia, ut dici possit dilectio ex toto corde, tota mente, totis viribus, quantum hic status po-

potest efficere; ut tamen quis perfecte Deum ex toto corde etc. diligat, non sufficit tamen super omnia diligere, sed necesse est, ut omnes cogitationes mentis, totus voluntatis impetus, omnesque aliarum potentiarum vires ita ad Deum amandum intendantur, ut ne minima quidem pars alio amore occupetur, aut retardetur; quod quidem quia in hoc statu, in quo corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, impossibile est; non est praeceptum, nisi ut finis, ad quem tendere debemus, quique perfecte obtinebitur in patria.

IV. Atque hinc sequitur, ut in hac vita semper novos in charitate progressus facere debeamus. Cum enim Deus summum, et infinitum sit bonum, quod nullos agnoscit dilectionis limites, unde ait Bernardus *Lib. De dilig. Deo Cap. I. Modus diligendi Deum est diligere sine modo*: conandum nobis semper est, ut si non possumus eum tanta hic perfectione diligere, quanta erit in caelis, crescamus saltem quotidie, Deo auxiliante, et ad eum perfectionis gradum quantum possumus enitamur. Hinc dicitur *Eccl. XVIII. 22. Ne verearis usque ad mortem justificari.* Et *Apoc. XXII. 11. Qui justus est, justificetur adhuc*, hoc est in justitia crescat incremento charitatis, et imminutione cupiditatis. Nam ex Augustino *Lib. de nat. et grat. cap. 68. Charitas inchoata, inchoata justitia est, charitas provecta, provecta justitia est, charitas magna, magna justitia est.* Et *Lib. III. De doct. Christ. cap. 10. Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur* Hinc illud Patrum effatum: *In via Domini non proficere, est deficere*: hoc est, eo ipso quod aliquis nolit amplius in charitate proficere, quasi jam satis dilexerit Deum, ut numquam satis amari potest; jam charitate deficere incepit, non secus ac illi, qui adverso flumine vehuntur, eo ipso regredi incipiunt, quo cessant toto conatu in anteriora conniti.

§. II.

§. II.

De praecepto charitatis erga proximum.

Adv. Cum praeceptum dilectionis Dei *Casuistae* nonnulli conati sint evertere, mirum non est, quod etiam praeceptum dilectionis proximi abolere tentaverint duabus iis propositionibus ab *Innocentio XI.* damnatis; 1.° *Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali*, 2a. *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

PBOPOSITIO I.

Praeceptum est proximum diligere interno amoris actu. Est dogma fidei.

Prob. Matth. XXII. 39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Atqui seipsum unusquisque diligit non externis tantum actibus, sed etiam interiori affectu. Praeterea jubet nos Christus diligere proximum, sicut nos ipse dilexit *Joan. XV.* 12. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Atqui nemo negaverit, Christum nos interiori voluntatis affectu dilexisse. Accedit quod Apostolus I. Cor. XIII. externos charitatis actus sine interiori charitate nihil proficere docet; *Si distribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Denique ita expresse praecipitur *I. Pet. I.* 22. *In fraternitatis amore simplici corde invicem diligentes.* Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

Objic. I Scriptura totam proximi dilectionem in exterioribus charitatis officiis videtur constituere. Christus enim *Matth. XXV.* extremi judicii formam, atque statum in eo versari docet, quod quis officia charitatis externa aut impleverit, aut neglexerit. *Venite benedicti Patri mei, percipite regnum . . . esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. Discedite a me maledicti in ignem aeternum . . . . . esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Quod enim pertinet ad extremi judicii statum; quoad reprobos quidem sufficit ad damnationem neglexisse externa charitatis officia, quia ex eo neglectu, tamquam ex signo unicuique manifesto, constat, eos etiam interiori charitate erga proximum, ideoque etiam erga Deum caruisse; ac proinde violasse legem, quamvis nonnulla legis praecepta *ex objecto* bona fecisse videantur. Quoad electos vero implevisse officia charitatis tunc sufficit ad salutem, eum ex interiori charitatis affectu implentur, quia interior charitas erga proximum a dilectione Dei, ideoque a legis totius observatione divelli nequit. Sed si impleantur sine interiori charitate, profecto et si distribuerint in cibos pauperum omnes facultates suas, charitatem autem non habuerint, nihil ipsis prodest.

Objic. II. Debet unusquisque diligere proximum, sicut seipsum. Atqui nullum est praeceptum, ut quis diligat seipsum interiori charitatis affectu. Christus enim duo esse ait, non tria mandata praecipua, ex quibus pendet universa lex. *Diliges Dominum Deum tuum, et proximum tuum sicut teipsum.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Eo ipso enim praeceptum est diligere seipsum, quo praeceptum est diligere Deum. Ait enim Augustinus *Epist. CLV. al. LII. Cum ergo illa dilectione, quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, et seipsum, et proximum; non tamen ex hoc tria praecepta data sunt, nec dictum est: in his tribus, sed in his duobus praeceptis tota lex pendet, et Prophetae, idest in dilectione Dei ex*

ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, et proximi tamquam sui ipsius; videlicet ut intelligeretur, nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum, qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est; fit quippe iniquus, privaturque luce justitiae, qui a potiore, ac praestantiore bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus ad inferiora, et egena utique convertitur, fitque in ipso quod veracissime scriptum est: Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo, nisi Deum diligendo, diligit seipsum, non opus erat, ut dato de dilectione Dei praecepto, etiam seipsum homo diligere juberetur, cum in eo diligat seipsum, quod diligit Deum. Debet ergo et proximum diligere tamquam seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiae consolatione, vel informatione doctrinae, vel disciplinae coercitione adducat ad colendum Deum.

Scholion.

Quamvis constet, interiori affectu diligendum esse proximum; variae tamen hac de re sunt expediendae quaestiones.

Q. I. *Quid est diligere proximum sicut seipsum?*

℟. Particulam *sicut* non significare aequalitatem dilectionis, sed similitudinem, quemadmodum et alio in loco *Matth. V. 48.* ait Christus: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est*, ut scilicet eadem bona quis proximo velit, et faciat, quae sibi ex charitate desiderat, ipsam scilicet beatitudinem, et quae ad illam perducunt, nam qui sibi divitias dumtaxat, voluptates, gloriam optant, nec seipsos vere diligunt, nec proximum, si eadem dumtaxat bona alteri desiderant. Ceterum non eodem dilectionis gradu nos ipsos, et proximum diligere debemus, cum semper nostram magis, quam alienam salutem optare, et operari debeamus; nec ullum vel leve peccatum debemus admittere, ut mundum universum salvum faciamus. Vide S. Thomam 2a. 2ae. Q. XLIV. *art.* 7.

Q. II. *Quasnam dilectio proximi conditiones habere debeat.*

℟. Tres ex S. Thoma 1a. 2ae. Q. XLIV. *art.* 7. conditiones charitas erga proximum habere debet, nempe ut sit *sancta*, *justa*, et *vera*. Et 1.° quidem sancta, nempe ut sicut nos ipsos diligimus propter Deum, ita et proximum nonnisi propter Deum diligamus. *Ille veraciter amat amicum*, inquit Augustinus *Serm. CCCXXXVI. qui Deum diligit in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.* Cujus dilectionis exemplum in seipso proposuit Christus dicens: *ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Quid enim*, inquit idem Augustinus *Tract. LXV. in Joan. nisi Deum dilexit in nobis, non quod habebamus, sed ut haberemus?* 2.° *Justa*, nempe ut non optemus, nec procuremus proximo, nisi verum bonum, quo possit ad beatam vitam pervenire. *Quemcumque diligis, propter vitam aeternam dilige*, inquit Augustinus *Serm. CCCLXXXV.* nec aliquid faciamus mali, ut ei indulgeamus; unde ait ipse Cicero *Lib. De amicit. Haec igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati* 3.° Denique *vera*, nempe ut procedat ex animo erga proximum benevolo. Cum enim quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem, non vere proximum diligit, sed seipsum, inquit S. Thomas *loc. cit.* Unde vides, non omnes, qui proximum diligere videntur, vere ex charitate diligere, sed plerumque ex carnali affectu, aliisque rationibus.

Q. III. *Quandonam urgeat praeceptum charitatis erga proximum?*

℟. Cum amare, ut supra diximus, idem sit, ac bene velle, et facere, hinc charitas spectari potest vel quoad voluntatis affectum, vel quoad effectum. De praecepto autem charitatis erga proximum quoad effectum, sive de officiis charitatis, dicemus inferius. Rursus praeceptum charitatis erga proximum quoad affectum spectari potest vel ut *negativum*, quo prohibemur proximum odisse, vel ut affirmativum, quo jubemur illum diligere. Negativum igitur semper obli-

ligat, nec ullum est temporis momentum, quo proximum odisse liceat, etiam in bello. Affirmativum vero non semper, cum non possit singulis momentis idem actus perseverare. Quando autem, et quoties obliget, non potest quidem definiri, sed certe urget saepius, praesertim 1.° cum orationem dominicam recitamus, in qua non pro nobis solum, sed pro omnibus oramus hominibus, qui nobiscum tamquam unum corpus efficiunt, pro quo oramus. 2.° Quando periculum est, ne propter irrogatam nobis iujuriam, aliquis irae, aut odii motus insurgat. 3.° Denique cum menti proximus occurrit, tamquam indigens Dei auxiliis, nostrisque orationibus apud Deum.

Q. IV. *Praeceptum dilectionis inimicorum quam habet vim, et ad quaenam nos obligat?*

℞. Primo quidem tenemur inimico offensionem sincere, et ex animo remittere, et quidem statim; non enim ullum est momentum, quo liceat ei optare malum, aut ultionem meditari, cum id negativo charitatis praecepto, quod semper obligat, prohibeatur. Hinc Christus saepe denunciat, non fore nobis dimittenda peccata, nisi et ipsi inimicis ignoverimus. *Matth. VI.* 15. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*; quod et saepissime repetit in Evangelio. Ceterum licet offensionem remittere teneamur, non tamen tenemur etiam remittere actionem injuriarum, et damni illati, nisi forte plena satisfactio, ac restitutio privatim offeratur; quia justitia charitati non adversatur, ut S. Thomas 2a. 2ae. Q. CVIII. *art.* 1. acute, et sapienter ostendit. Sed cum saepius periculum sit, ne pretextu servandae justitiae, dolori potius nostro, atque odio serviamus; hinc consultius est, ut cum agitur quidem de injuria Dei, aut proximi, eam defendere nitamur, aut optemus; cum vero de injuria nostra quaeritur, eam exemplo Christi Domini patienter feramus. Damni vero illati restitutionem repetere, nullo jure vetitum est, modo non sit adeo exiguum, ut ad removendum odii periculum satius sit illam remittere.

2.° Inimico, praesertim veniam petenti, sincere exhibenda sunt communia urbanitatis, et dilectionis

signa, quae aliis ejusdem conditionis hominibus, cum quibus nullas gerimus inimicitias, exhiberi solent. Specialia vero dilectionis, ac familiaritatis signa, ut ex. gr. familiae colloquium, invitatio ad coenam etc. iis exhibere non tenemur, nisi duabus tantum in caussis, si scilicet aut spes effulgeat, inimicum talibus benevolentiae argumentis reconciliandi, atque ita eum a peccato retrahendi, aut ante acceptam injuriam ea signa familiaritatis ei exhibere consueverimus; tunc enim si post injuriam ea denegentur, non bene reconciliatae amicitiae, sed occulti adhuc remanentis odii suspicionem injiciemus Ceterum si prudenter judices, inimicum talibus benevolentiae signis aut fieri pejorem, aut ad novas subinde injurias inferendas proclivem, denique si tu superior sis, ille subditus, quem aliqua ratione coerceri oporteat, non erit contra charitatem specialia illa signa benevolentiae, saltem ad tempus praetermittere, quoadusque ipsa inimici spiritualis necessitas, aut utilitas, quam semper in hoc negotio spectare debemus, aliam agendi rationem postulare videantur. Dixi autem *praesertim veniam petenti*, quia etsi aequum sit, ut qui prior laesit, prior se subjiciat, tamen etsi non petat veniam, iis quae supra diximus urbanitatis officiis praeveniendus est, nisi forte prudenter timeatur, ne deterior evadat. Cavendum autem semper est, ne cum aliqua amicitiae signa praetermittenda sunt, scandalo simus intuentibus.

3.° In rebus adversis inimico opem ferre, quantum possumus sine nostro gravi damno, debemus *Prov.* XXV. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere.* Et *Matth. V.* 44. *Benefacite iis, qui oderunt vos . . . . Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos.*

§. III.

§. III.

De ordine charitatis.

I. Servandum esse aliquem in charitate ordinem, ex ipsa charitatis natura consequitur, quia divina bonitas, quae diligendi ratio est, non aeque in omnibus elucet. *Ille juste, et sancte vivit*, Inquit Augustinus *Lib.* I. *De doct. Christ. cap.* 27. *qui rerum integer aestimator erit. Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut aeque diligat quod vel minus, vel amplius diligendum est; aut minus, vel amplius quod aeque diligendum est.*

II. Sed ut charitatis ordo definiatur, distinguenda est dilectio in affectu, et in effectu, sive, ut scholae ajunt, amor *affectivus*, et *effectivus*. Alius enim ordo charitatis servandus est in amore *affectivo*, alius in *effectivo*. (* *In bene affecta charitate*, inquit Bernardus *serm. I. in cant. non dubium, quin dilectioni hominis Dei dilectio praeponatur, et in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, caelum terrae, aeternitas tempori, anima carni: Attamen in bene ordinata actione saepe, aut etiam semper, ordo oppositus invenitur.* *)

III. Et in amore quidem *affectivo* dilectionis ordo ex varia eorum, qui diliguntur, dignitate, ac praestantia sumendus est; ita ut magis diligantur meliores, ac sanctiores, tantoque magis, quanto meliores. Hinc primo loco diligendus Deus, qui summum bonum est, quo nihil melius nec esse, nec cogitari potest. 2.° Sancti homines, et Angeli, iique magis, aut minus pro majori, vel minori sanctitate, qua Deo conjuncti sunt; ideoque amore *affectivo* magis proximum, qui sanctus sit, quam nos ipsos, si peccatores sumus, debemus diligere, licet amore *effectivo* magis de nostra, quam de aliorum salute debeamus esse solliciti. 3. Anima plusquam corpus, ideoque magis anima proximi, quam corpus nostrum. 4.° Qui vel

vel aeque sancti reipsa sunt, vel aeque sancti a nobis sunt existimandi, ii aeque diligendi sunt.

IV. In amore autem *effectivo* ratio ordinis duplici ex capite repetenda est, nempe ex vario gradu necessitatis, sive indigentiae, et ex vario etiam gradu conjunctionis, quam nobiscum habent; ita ut in pari necessitate ii, qui nobis magis conjuncti sunt, praeferendi sint ceteris, et in pari conjunctione ii, qui in majori necessitate sunt. Cum vero utraque inaequalia sunt et conjunctio, et necessitas, ut si *ex. gr.* qui in majori positus est necessitate, minus nobis conjunctus sit, tunc debemus esse, ut ait Cicero, *boni ratiocinatores officiorum, et addendo, deducendoque videre, quae reliqui summa fiat; ex quo quantum cuique debeatur intelligas.*

V. Sed ut haec, quae generatim dicta sunt, ex ipsa singularum rerum explicatione clarius intelligantur, advertendum est 1.° triplicem esse necessitatis gradum, ut scilicet alia sit *communis*, alia *gravis*, alia *extrema*. *Communis* est, qua quis indiget quidem aliorum ope, sed ei passim ab aliis succurri solet, ut est *ex. gr.* in bonis temporalibus necessitas pauperum, qui ostiatim mendicant. *Gravis* est, qua quis in gravi discrimine versatur, nec ei passim auxilium ferri potest, ut est in temporalibus quidem bonis necessitas eorum, qui nisi eis succurratur, e statu suo dejiciendi sunt, *ex. gr.* a conditione nobili ad statum mendicantium, in spiritualibus vero necessitas eorum, qui in extremo vitae positi possent quidem per contritionem perfectam, sine Sacramento Poenitentiae, justificari, quod tamen rarum est. Denique necessitas *extrema* eorum est, qui nisi feratur auxilium, certissime perituri sunt. 2.° Advertendum est, varia esse bonorum genera, in quibus aliquis aliena ope indigere potest; eaque in vario esse dignitatis, atque aestimationis gradu, ita ut primum teneant locum bona spiritualia ad vitam animae pertinentia, secundum vita corporis, tertium fama, quartum bona, quae dicuntur fortunae. 3.° Varium esse conjunctionis gradum, ut primo loco, ex *Ambrosii*, aliorumque sententia, sit patria, deinde pater, tum mater (quamvis *S. Thomas*

mas patentes patriae anteponendos putet, (qua de re dicemus inferius) deinde uxor, postea filii; denique fratres, aliique cognati, alii aliis proximiores, aut remotiores.

VI. His igitur explicatis, illud primum pro certo habendum est. 1.° in pari necessitatis gradu vitam nostram spiritualem vitae spirituali proximi praeferendam esse. Neque enim licet vel minimum peccare ut proximorum saluti consulamus: non sunt facienda mala, ut eveniant bona: *Quid autem prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Matth.* XVI. 26. 2.° In extrema necessitate spirituali, etiam cum vitae nostrae temporalis periculo succurrendum est, ut si infans certo moriturus baptizandus sit, nec ei baptismus sine vitae periculo praesentissimo ministrari possit. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere I. Joan. III.* 16. 3.° In gravi necessitate spirituali privatus quidem non tenetur cum evidenti vitae periculo succurrere. Pastorem tamen (qui ex officio suo obligatur arctius) teneri, communis Theologorum sententia est; *Bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Quapropter nec ei licet, grassante pestilentia, fugere, aut non ministrare sacramenta baptismi, et Poenitentiae, quae gravioris sunt necessitatis, ut saepe Summi Pontifices, ac S. Congreg. declaravit, qua de re vide *Fagnanum* in *Cap. Clericos de cleric. non resident.*, idem de extrema unctione videtur sentiendum, si nullum aliud possit praeter illud moribundo sacramentum ministrari. Sed de aliis sacramentis, quae non adeo necessaria sunt, quaestio est. *Merbesius* enim, et *Collet* putant, Parochum Eucharistiam etiam tempore pestis cum vitae periculo ministrare debere; quod et sentit etiam *Sylvius*, nisi forte, ut ministret aliquibus Eucharistiam, aliis Poenitentiae sacramentum ministrare nequeat, aut probabilis metus sit, ne mortuo Parocho, nullus supersit alius Sacerdos, qui sacramenta ministret (a). 4.°

(a) Simplices Sacerdotes, deficiente Parocho, teneri sacra-

4.° Pro salute totius Reipublicae tenentur ii, ad quos eam tueri spectat, vitam suam temporalem periculo objicere: idem dicas, si agatur de servanda vita alicujus, ex quo salus ipsius reipublicae pendet, secus si homo privatus sit, ex cujus morte nulla imminet reipublicae pernicies; tunc enim propriam vitam alienae anteferre, ordo charitatis postulat, nisi forte ille aut Ecclesiae, atque animarum saluti utilior sit, aut pater, mater vel ejusmodi amicus, sive benemeritus pro quo vitam periculo objicere laudabile sit (*a*) juxta illam Christi Domini sententiam *Joan. XV.* 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* 5.° Ad famam, sive honorem, aut ad bona temporalia servanda non licet periculo vitam objicere; quae superioris ordinis bonum est, nisi bona ipsa temporalia adeo ad vitam servandam necessaria sint, ut iis ablatis, vita ipsa periclitetur. 6.° Denique cum in pari necessitate multi positi sunt, quibus omnibus succurrere non possis, proximiores praeferendi sunt juxta eum gradum, quem supra posuimus. *Omnes autem homines*, inquit Augustinus *Lib. I. De doct. Christ. cap.* 27. *aeque diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis, potissimum consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte, junguntur.* Sed cum non eadem est omnium necessitas, poteris eos qui in longe majori necessitate, sunt, propinquioribus anteferre, dummodo tantus sit necessitatis excessus, ut debitam propinquioribus charitatem, prudentum judicio, vincat.

§. IV.

---

cramentum Poenitentiae moribundo ministrare, si is in peccati habitu sit, adeoque rudis, ut nesciat contritionis actum elicere, sentit post *Layman*, *Ligorius.* Ex quo recte inferunt, tempore pestis teneri *Sacerdotes*, deficiente Parocho, ministrare moribundis poenitentiae sacramentum; cum inter tot morientes multi non solum in gravi, verum etiam in extrema necessitate sint.

(b) *S. Thomas*; *Estius*, etc.

§. IV.

De charitate erga proximum, quoad effectum, sive de officiis charitatis erga proximum. Et primo de eleemosyna.

Adv. I. Nunc, quod supra propositum est, dicendum de charitate erga proximum quoad effectum, sive quoad ipsius charitatis officia. Omnia autem officia charitatis *Augustinus* uno *eleemosynae* vocabulo comprehendit, quod a Graeco verbo derivatum misericordiam significat. Sic *Enchirid. Cap.* LXXII. *Non solum*, inquit, *qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegro, vel incluso visitationem, captivo redemtionem, debili subvectionem, caeco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti, verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab illo laesus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur; non solum in eo, quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo, quod corripit, et aliqua emendatoria poena plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam praestat. Multa enim bona praestantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant, et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quae cum facimus, adjuvamus, ut dimittantur nobis nostra peccata.*

II. Theologi passim post S. Thomam 2a. 2ae. *Q.* XXXII. *art.* 2. in duas classes dividunt eleemosynas, sive officia charitatis, quarum altera ad corporis, altera ad animae adjumenta pertinet. Quae ad corpus pertinent, septem sunt, hoc versiculo comprehensa: *Visi-*

Visito, *poto*, *cibo*, *redimo*, *tego*, *colligo*, *condo*; scilicet visitare infirmos, potum praebere sitientibus, cibum esurientibus, redimere captivos, tegere nudos, excipere hospites, sepelire mortuos. Quae vero pertinent ed animam, item sunt septem, hoc altero versiculo explicatae:

Consule, *carpe*, *doce*, *solare*, *remitte*, *fer*, *ora*; hoc est, consilium dare dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari afflictum, remittere offensionem, patienter ferre homines molestos, orare pro omnibus. Quamvis autem omnia haec officia generatim *eleemosyna* dici possunt, nos tamen, omissis ceteris, quae nihil difficultatis habent, dicemus hic dumtaxat de sola eleemosyna, quae ad victum, atque vestitum indigenti praestandum pertinet; in sequenti vero articulo de fraterna correptione.

III Sed ut ea, quae ad eleemosynam pertinent, explicentur clarius, 1.° repetendum est quod supra diximus, triplicem esse necessitatis gradum, *communem*, *gravem*, *extremam*; 2.° addendum hic est, bona temporalia, quae eleemosynae materia esse possunt, in triplici esse posse circumstantia, vel enim sunt necessaria vitae, ita ut sine iis non possit, qui ea possidet, seipsum, et suos alere, vel sunt superflua quidem vitae, sed necessaria statui, sive conditioni legitime adeptae; ita ut sine iis debeat quis ad humiliorem statum descendere; vel denique sunt superflua non solum vitae, verum etiam statui, et conditioni conservandae.

IV. His igitur explicatis, quoniam nonnulli praeceptum eleemosynae, quo nihil est in Scripturis expressius, convellere falsis interpretamentis conati sunt, juvat ea quae ad rem pertinent, sequentibus propositionibus explicare.

PRO-

PROPOSITIO I.

Extat praeceptum elemosynae faciendae, et quidem graviter obligans. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars* I. *ex Script.* Deuter. XV. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae; idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi.* Et Eccl. XXIX. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo.* Tob. IV. 7. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* I. Tim. V. 18. *Divitibus hujus saeculi praecipe . . . : facile tribuere.* Atque his similia sexcenties in Scripturis occurrunt. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* Illud praeceptum graviter obligat, cujus violatores charitate, sive gratia sanctificante privantur, atque aeterna poena puniuntur. Atque ejusmodi est eleemosynae praeceptum; ait enim Joannes I. *Joan.* III. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Et *Matth.* XXV. 41. praedicit Christus, praecipue propter elemosynae omissionem se dicturum reprobis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedisti mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitastis me.* Ergo.

Prob. II. *utraque pars ex PP.* 1.° Basilius *Homil. in verb. Luc.* sic divitem inducit loquentem: *Quem tandem injuria afficio, dum quae mea sunt, premo, ac retineo?* Cui sic respondet: *Quaenam autem, quaeso, tua sunt? Annon nudus e materno utero excidisti? Annon rursum et nudus in terram reverteris? Quae autem nunc habes, unde tibi contigerunt? Si a fortuna dixeris, impius es, qui Creatorem non agnoscas, nec ei, a quo accepisti, gratiam ullam habeas. Si autem a Deo ea te habere confiteris, affer jam causam, quambrem*

obrem acceperis. Num iniquus est Deus, qui ea, quae ad servandam vitam attinent, nobis haud aeque distribuit? Ecquid est, cur tu opibus abundas, ille contra egeat? annon omnino, ut et tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem referas, et ille ingentis patientiae praemii ornetur? Siccine vero cum tu vastissimo atque inexplebili avaritiae tuae sinu omnia coerceas, nemini te injuriam inferre censes, tot homines eorum usu spolians? Quis est avarus? an non is, qui in eo quod satis est, non acquiescit? Quis spoliator? an non is, qui sua cuique eripit? Tune igitur avarus, et spoliator non es, qui ea, quae administrationis causa suscepisti, tua ducis? Si quis homini vestem detrahit, citra controversiam fur est; qui nudum non induit, cum id facere possit, alio nomine appellari debet? Famelici est panis ille, quem retines; nudi vestimentum, quod in arcis asservas, ejus qui calceis caret et calcei illi, qui apud te corrumpuntur; egentis illud aurum, quod humi defossum habes. Ac proinde tot homines injuria afficis, quot sunt quibus praebere poteras.

2.° Augustinus *in Psal.* CXLVII. *Superflua*, inquit, *divitum, necessaria sunt pauperum; res alienae possidentur, cum superflua possidentur.*

3.° Chrysostomus *Homil.* II. *De Lazaro*: *Quemadmodum regalis aerarii custos, si commissas sibi pecunias illis ipsis, quibus est jussus distribuere, impertiri neglexerit; sed in suas contulerit voluptates, et delicias, plectitur, et exauctoratur; ita vir dives se gerere debet, ad instar quaestoris cujuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam poscat sua ipsius necessitas, suos in usus converlat, se gravissime plectendum esse noverit; non enim ejus sunt quae possidet, sed conservorum, quos egestas afflixerit.* Idem passim alii docent Patres. Nihil enim est in Scripturis, et Traditione inculcatum apertius, quam esse divinum praeceptum, idque gravissimum largiendi eleemosynam. Ergo etc. Verum hoc, quod generatim diximus de praecepto eleemosynae

synae ad dogma fidei pertinere, de singulis, quae supra positae sunt, circumstantiis, enucleatius explicandum est.

PROPOSITIO II.

Si pauper est in extrema necessitate, succurrendum ei est ex bonis vitae nostrae superfluis, licet ad decentiam status necessariis.

Prob. *Ordo enim charitatis postulat*, inquit Layman *Lib.* II. *Tract.* III. *cap.* 6. *per se loquendo, et ceteris paribus, ut proximi vitam pluris faciamus, quam dignitatem nostram.* Quam doctrinam pluribus aliorum auctorum, non utique rigidioris doctrinae sectatorum, sententiis confirmat. Ergo.

Illud tamen animadvertendum est, quod sicut pro seipso, suaque vita servanda, non tenetur quis extraordinaria quaedam adhibere remedia, quae cum immensa bonorum omnium jactura conjuncta sunt, ita nec pro servanda vita proximi. Ideo diximus in propositione *ad decentiam status* non vero *ad statum ipsum, et conditionem*, quasi quis debeat in extrema proximi necessitate omnino statum mutare, et ex nobili, et divite, fieri plebejum, et mendicum. Quapropter recte monet P. Collet *De Charit.* §. *V. post Sylvium.* judicio prudentum aestimandum esse, quantum de suo statu debeat quis diminuere, ut extremae proximi necessitati succurrat.

PRO-

PROPOSITIO. III.

In gravi necessitate succurrendum pauperibus est non solum ex bonis statui superfluis, verum etiam ex iis, quae ad aliquam status decentiam, ac splendorem necessaria sunt.

Prob. I. ex verbis *Joannis* supra laudatis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* At qui bona habet, licet ad splendorem status necessaria, revera habet substantiam hujus mundi, ex qua sine gravi incommodo potest alteri opitulari: qui vero in gravi necessitate est, revera dicitur necessitatem habere, etsi non extremam, talem tamen, ut qui non fert opem, cum commode possit, *claudere viscera sua* videatur. Ergo si ei in tali tempore non succuratur, non servatur charitas.

Prob. II. Unusquisque proximo succurrere debet eadem ratione, qua sibi eodem tempore, ac necessitate succurri vellet. Atqui nemo est, qui in gravi necessitate non vellet, ut homines ditiores aliquantum de status sui splendore minuerent, ac sibi opitularentur; quis enim non indignatur, cum videt in magnum equorum, ac famulorum numerum insumi ea, quae ipsum a gravi necessitate sine gravi divitis incommodo servare possent? Ergo etc.

Quapropter urgente annonae penuria, ac caritate, aliquantum resecandum est de impensis, quae ad splendorem status servandum fieri consueverant, ut pauperibus subveniatur, idque eo magis, quod in ejusmodi publica necessitate multi sunt pauperes, qui non solum gravi, verum etiam extrema necessitate laborant.

PRO-

PROPOSITIO IV.

In necessitate communi opitulandum pauperibus est ex bonis tum vitae, tum statui superfluis.

Prob. I. Christus absolute pronunciat *Luc. XI.* 41. *Quod superest, date eleemosynam*, nullo discrimine, aut gravis, aut communis necessitatis. Et in extremo judicio poenis aeternis addicturus est eos, qui esurientibus etsi in extrema, aut gravi non essent necessitate, eleemosynam largiti non fuerint. Sic etiam in veteri Testamento jubet Deus *Deuter.* XV. 11. *Praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi.* Ergo etc.

Prob. II. ex iis Patrum sententiis, quas supra recitavimus, aliisque innumeris, quae proferri possent; ex quibus constat, hac lege Deum permittere, ut inaequalis sit inter homines divisio bonorum, quae ad omnium hominum vitam alendam creata sunt, ut divites superflua egenis distribuerent. Hinc *S. Thomas* duobus ex capitibus debitum largiendae eleemosynae repetit, scilicet ex *superfluitate* bonorum, et ex gravi proximi necessitate; ita ut si necessitas proximi non gravis, sed communis sit, diviti vero bona ad vitae, et status decentiam superflua sint, adhuc eleemosynam dare praeceptum sit. *Dare*, inquit, *eleemosynam de superfluo, est in praecepto, et dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate* 2a. 2ae. *Q.* XXXII. *art.* 5.

Prob. III. ratione. 1.° Si non esset praeceptum largiri eleemosynam in communi pauperum necessitate, jam haec necessitas non solum gravis, verum etiam extrema evaderet. Nemine enim ferente opem, utique pauperibus moriendum esset. 2.° Unusquisque proximum debet diligere sicut seipsum. At dici non potest, alterum diligere sicut seipsum, qui in communi necessitate duriter ei opem ferre nolit. Ergo etc.

Di-

esset Reipublicae, cum hinc cessaret industria civium, commercia, artes, agricultura langueret, minuerentur communes divitiae, et copia civitatis. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Sunt enim conditiones nonnullae, quibus servatis, ad altiorem gradum ascendere, charitatis lex minime vetat. 1.° Si ascensus iste, spectatis omnibus circumstantiis, conveniens, atque probabilis sit, non somniantis cupiditatis delirium, ut saepe accidit. 2.° Si non omnino pauperibus in communi necessitate positis eleemosyna negetur, sed tribuatur quantum Christiana prudentia suggesserit. 3.° Si in gravi pauperum necessitate haec ascendendi, et status mutandi cogitatio abjiciatur, ne subtrahatur eleemosyna.

Objic. III. Si vera sunt quae a Patribus afferuntur de praecepto eleemosynae in communi pauperum necessitate, idest eum, qui superflua non tribuit, retinere alienum, sequeretur, pauperes in communi necessitate surripere posse superflua divitibus. Hoc autem absurdum, et damnatum ab *Innocentio* XI. in illa propositione: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Si enim in gravi necessitate furari non est permissum, multo minus in communi. Ergo etc.

℟. *Neg. maj.* In extrema enim necessitate furari licet, quia tunc omnia communia sunt, ideoque ille, qui furatur in ea caussa, non alienum, sed suum accipit. At in necessitate communi, imo, et in gravi, licet divites generatim pauperibus ex superfluo succurrere debeant, non tamen ex justitia uni potius singulari pauperi opitulari debent, quam alteri. Ideoque semper charitatis est, non justitiae quod singulari pauperi tribuitur; quod enim uni negatur, tribui potest alteri quae quidem electio prudentiae divitis relicta est. Potest etiam in alios pios usus impendi, qui fortasse majoris momenti sunt. Peccat ergo semper contra justitiam pauper, qui in gravi, aut communi necessitate furatur. Quod enim superfluum est diviti, non est ex justitia huic pauperi *in individuo* debitum.

Sed jam nonnullae hic quaestiones explicandae sunt, quae pertinent ad rem praesentem.

Q. I. *Quidnam sit superfluum illud, quod communibus pauperibus erogari debeat, seu quaenam sit eleemosynae quantitas, quae communibus pauperibus debeatur.*

℟. Christus quidem omnia, quae supersunt, pauperibus erogari jubet. Sed superfluum non in aliqua certa mensura consistit, sicut non in aliquo indivisibili puncto consistit quod est statui necessarium. *Terminus necessarii*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* XXXII. *art.* 6. *non est in indivisibili constitutus, et multis subtractis, adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum.* Quapropter considerandum est 1.° quid soleant impendere homines pii ejusdem conditionis. Qui autem in vestium immoderatiore pompa, aedium magnificentia, epularum lautitia, equorum, et curruum numero, et ornatu, inter aequales excellere contendit, jam charitatis legem violat, et superfluum, quod pauperibus debebat, in cupiditatis gurgitem projicit. 2.° Considerada est familia alenda, filiorum numerus, et necessarii sumptus, ut ii aliquem vitae statum juxta conditionem suam suscipiant. 3.° Quaedam etiam servanda est pecuniae summa, ut aliquibus occurratur necessitatibus, quae in illa status conditione solent accidere. Sed ut advertit S. Thomas 2a 2ae. *Q.* XXXII. *art.* 5. *Non oportet, quod homo consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum, hoc enim esset de crastino cogitare; quod Dominus prohibet. Sed debet dijudicari superfluum, et necessarium secundum ea, quae probabiliter, et in pluribus occurrunt.* Verum haec omnia non privata cujusque cupiditate; sed arbitrio viri prudentis metienda sunt; alioquin numquam invenietur superfluum, ex quo eleemosyna facienda sit. Unde damnata est ab *Innocentio* XI. illa propositio: *Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: et ita vix aliqais tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Ceterum multo strictius esse debet hoc viri prudentis arbitrium, agitur de iis, qui Ecclesiasticos habent reditus, et bona; illi enim quidquid honestae ipsorum sustentationi superest, pauperibus ero-

gare

gare debent. Imo si curam habent animarum, etsi iis non occurrunt pauperes, qui eleemosynam petant, ipsi sponte inquirere tum corporales, tum spirituales creditarum sibi ovium necessitates; et erga illos parentum vice fungi, ut monet Tridentinum *Sess.* XXIII. *De Reform. Cap.* I.

Q. II. *Quibus ex bonis facienda sit eleemosyna?*

℟. Eleemosynam faciendam esse ex bonis propriis, non vero ex alienis, aut alteri debitis. Ex bonis quidem propriis, et non alienis, sic enim jubet Deus *Tob. IV. 7: Ex substantia tua fac eleemosynam.* Et *Prov. III. 9. Honora Dominum de tua substantia.* Et *Is. LXI. 8. Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto.* Ex bonis vero alteri non debitis; non enim peccandum contra justitiam est, ut exerceamus misericordiam: ideoque qui aere alieno obligatus est, vel alias aliquid debet restituere, prius necesse est, ut justitiae satisfaciat, deinde si quid supererit, tribuet charitati. Ceterum in extrema pauperis necessitate licet etiam aliena surripere, si propria non suppetant, ut ei succurratur: tunc enim omnia communia sunt.

Q. III. *Quinam possint, aut debeant largiri eleemosinas?*

℟. Eos omnes, qui rerum suarum non solum dominium, sed et liberam habent administrationem; ex rebus enim vel alienis, vel quae alienari vetantur, eleemosynam dari non posse, manifestum est. Ex quo sequitur, nec famulos ex rebus domini; nec filiosfamilias ex rebus paternis eleemosynam largiri posse. Licet tamen famulis, et filiisfamilias ex eo, quod sibi ad sustentationem honestam datum est, demere aliquid, quod pauperibus tribuant, dummodo id non cedat aut in detrimentum laboris, et operae, quam domino debent famuli, aut in familiae dedecus, quod filiifamilias cavere debent. Ceterum de bonis *castrensibus*, seu quae militia comparaverint, vel de *quasi castrensibus*, quae officio publico, aut beneficio Ecclesiastico filiifamilias adquisiverint; quoniam eorum plenum dominium, et administrationem habent, eleemosynam facere posse filiosfamilias, nemo negat.

Uxor vero de bonis quidem *paraphernalibus* eleemosinas, quas volet largietur; sed de bonis dotalibus, aut alias ad maritum pertinentibus, non poterit nisi vulgares, et modicas largiri eleemosynas, quas aliae ejusdem conditionis largiri solent. Denique *Regularium* Praelati, quae sustentationi Religiosae familiae supersunt, pauperibus erogare possunt; secus vero privati *Regulares*, nisi ex expressa, vel *praesumta* Praelati venia.

Q. IV. *Quibus eleemosyna facienda sit?*

R. 1.° Salvo ordine charitatis, de quo supra dictum est, eleemosyna omnibus facienda est, si opes suppetant, nec ab ea excludendi peccatores, si vere pauperes sint; *Ut sitis*, inquit Christus *Matth. V.* 45. *filii patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos.* Unde generatim dicitur *Tob. IV.* 7. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Et *Luc. VI.* 30. *Omni petenti te tribue.* Imo respectu peccatorum potest esse eleemosyna aptissima occasio, et modus eos salutaribus monitis ad meliorem frugem revocandi.

2.° Pauperes, qui mendicare erubescunt, quoniam in graviori esse solent necessitate, quam ii, qui stipem ostiatim mendicant, ceteris praeferendi sunt ex ipso charitatis ordine. *Sunt enim*, inquit Leo M. *Serm. IV. de Collect. qui palam ea, quibus indigent, poscere erubescunt, et malunt miseria tacita egestatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo* (h. e. quaerendi) *isti sunt, et, ab occulta necessitate sublevandi, ut hoc ipso amplius gaudeant, cum et paupertati eorum consultum fuerit, et pudori.*

3.° Qui validi sunt viribus, sed ignavi, et otiosi, iis vel nulla, vel satis modica eleemosyna praebenda est. *Qui non vult operari, nec manducet*, inquit Apostolus *II. Thessal.* III. 10. Ceterum spectandae sunt rerum, et locorum circumstantiae, ex quibus dijudicandum est, utrum ii ex ignavia laborem detrectent, an ex eo, quod laborandi occasionem invenire non possint.

Q.

Q. V. *Quaenam esse debeant elemosynae conditiones?*

- ℟. Quinque. 1.° Debet esse *prudens*, habita scilicet ratione tum indigentiae pauperum, ne si plus aequo iis, qui minus egent, largiaris, largiendi aliis, qui magis egent, vena exhauriatur; tum etiam temporum difficiliorum, quibus annonae caritas pauperibus est gravior. 2.° *Promta*, ut monet Sapiens *Prov. III.* 28. *Ne dicas amico tuo; vade, et revertere, cras enim dabo tibi.* 3.° *Hilaris*: *non ex tristitia*, inquit Apostolus *II. Cor. IX.* 7. *aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Alioquin, inquit Augustinus *in Psal. XLII. Si panem dederis tristis, et panem, et meritum perdidisti.* 4.° *Modesta*, ne scilicet tuba canas ante te, sicut hypocritae faciunt *Matt.* VI. 2. Quod non ita intelligendum est; ut semper aut occultanda, aut neganda sit coram aliis eleemosyna, cum saepe expediat, ut et alii videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in caelis est; sed ut in eleemosyna non nostram, sed Dei gloriam, et proximi bonum quaeramus. 5.° *Urbana*, ut scilicet ab omni prorsus asperitate, contemtu, conviciis aliena sit. *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus Prov. XVII.* 5. Juvat autem maxime, si eleemosynam salutaria etiam monita comitentur.

Q. VI. *Quinam sunt eleemosinae fructus, quibus divites ad largiendam eleemosynam incitari possunt?*

℟. 1.° *Eleemosyna ab omni peccato, et morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras Tob. IV.* 11. 2.° Vitam aeternam meretur; unde Christus in extremo judicio dicturus est electis: *Venite . . . possidete paratum vobis regnum . . . esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. Matth. XXV.* 34. *Cibus egeni*, inquit Leo M. *Serm. IV. De collect. regni caelestis est pretium, et largitor temporalium heres efficitur aeternorum*, 3.° Bona etiam temporalia, quae saluti largientis expediant, aliquando eleemosynae merito comparantur: *Esurienti dedisti panem: ille quidem pastus est; sed, ad te redit quod dedisti cum fru-*

fructibus, *et usuris*, inquit Ambrosius *Lib. de Tobia Cap.* 16.

§. V.

De correctione fraterna.

Adv. Nunc quae pertinent ad alterum charitatis officium, quod superiori articulo proposuimus, ad fraternam scilicet correctionem, breviter expedienda sunt. Qua in re 1.° expendemus, utrum fraterna correptio praecepta sit, et quinam praecepto illo teneantur. 2.° Quaenam ejus praecepti materia sit. 3.° Quaenam conditiones, et modus.

PROPOSITIO

Omnibus praeceptum est corrigere peccantes non solum aequales, verum etiam superiores, maxime vero inferiores, ac subditos.

Prob. 1a. *pars. I. ex Script. Matth. XVIII.* 15. *Si peccaverit in te frater tuus*, *vade*, *et corripe eum.* Et *Eccl. XIX.* 13. *Corripe amicum . . . ne iterum addat facere . . . corripe proximum . . . . ne forte iteret.* Ergo.

Prob. II. ex PP. Basilius *in Reg. brevior.* ad eam quaestionem; *an adversus peccantes dissimulatione uti conveniat*, respondet: *Sane quod hoc fieri non debeat*, *perspicuum est ex praeceptis Domini*, *qui in veteri quidem Testamento dixit*: *Correptione corripies proximum tuum et non accipies peccatum propter ipsum*; *in Evangelio autem*; *Si peccaverit in te frater tuus*, *vade*, *et corripe eum.* Ex quibus vides, rem ad fidem pertinere.

Prob. III. ratione. Praecepta est proximi dilectio. Atqui dilectio postulat, ut cum possumus, alteri bene faciamus, non solum quoad corporis necessitates, quod fit per bonorum largitionem, verum etiam mul-

te

to magis quoad necessitates animi, quod aliquando nonnisi per correptionem fieri potest. Ergo.

Prob. 2a. pars. scilicet non solum aequales, verum etiam superiores esse corrigendos. Praeceptum fraternae dilectionis non solum aequalium, verum etiam superiorum salutem nos optare, et quantum possumus procurare jubet. *Unicuique enim mandavit Deus de proximo suo Eccl. XVII.* 12. Ergo non solum aequales, verum etiam superiores corrigendi sunt. Hinc S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XXXIII. art.* 4. *Correctio*, inquit, *fraterna, quae est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personae, ad quam charitatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inveniatur.* Unde Paulus ipsum Petrum correxit, *quia reprehensibilis* erat. Gal. II. 11. Ceterum non arroganter, sed summa cum reverentia superiores corrigendi, obsecrationibus potius, quam increpationibus, ut idem Paulus nos admonet, *I. Tim. V.* 1. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

Prob. 3a. pars. Licet omnes urgeat correctionis fraternae praeceptum, ii tamen maxime eo tenentur, quibus specialibus proximi cura, ac sollicitudo commissa est. Ii enim non solum ex charitate, verum etiam ex munere suo ad hoc charitatis officium obligantur. Ergo etc.

Dices. Qui in peccatis est, alios corrigere non debet. Ait enim Christus *Matth. VII.* 3. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? . . . Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Unde ait *Isidorus* ap. S. Thomam 2a. 2ae. Q. XXXIII. *art.* 5. *Non debet vitia aliorum corrigere, qui est vitiis subjectus.* Ergo saltem peccatores ab hoc praecepto immunes sunt.

℞. *Dist. ant.* Peccator non debet alios corigere more hypocritarum, qui exterius justitiam affectant, ideoque alios corrigunt, *conc.* Non debet alios corrigere prius corrigendo seipsum, *neg.* *Si cogitantes nosmetipsos*, inquit Augustinus *Lib. II. De serm. Dom. in mont. cap.* 19. *invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus; non re-*

pre-

prehendamus, neque objurgemus, sed tamen congemiscamus, et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum invitemus. Nunc vero alia duo, quae superius proposuimus, explicanda sunt.

Q. I. *Quaenam peccata fraternae correctionis materia sint?*

R. Primo, et praecipue peccata mortalia vel commissa, vel certe, ac proxime committenda. Deinde peccata etiam venialia, quae gravium malorum occasio sunt, ut si quis ex iis in proximum lethalis peccati periculum conjicitur, si scandalum pariunt, ut nonnulla peccata in Clericis, vel Religiosis; denique si totius communitatis disciplinam labefactant. Quae vero peccata venialia talium malorum caussa non sunt, ea si quis corrigenda putet, infinitam suscipiet provinciam, totique hominum societatis intolerabilis, et inutilis evadet, nisi forte agatur de amicis, ac viris frugi, atque animi docilioris.

Q. II. *Quando praeceptum fraternae correctionis urgeat?*

R. Tria debent concurrere; exploratum, certumque peccatum, spes emendationis, temporis opportunitas. Primo quidem peccatum debet esse certum, alioquin injuriam sibi illatam queri posset is, qui corripitur, si forte peccatum revera non admisit; cum praesertim in rebus dubiis bene de altero sentire debeamus. Inquirere autem proximi vitia nemo tenetur, nisi forte sit superior, ad quem id ex officio pertinet. Sed privatus quisque ea tantum corriget, quae veluti sponte occurrunt. Deinde emendationis spes aliqua esse debet; *Eccl. XXXII. 6. Non effundas sermonem, ubi non est auditus.* Quod quidem eo sensu est intelligendum, ut correctio omittatur, ubi eam esse inutilem moraliter certum est; non vero cum non est certum, eam esse profuturam. Ceterum cum aeque dubitatur, utrum profutura, an nocitura sit, quod plerumque accidit in iis, quorum ingenium, ac mores ignoramus, certe est omittenda, non secus ac medicamentum, quod utrum aegroto noceat, an prosit, aeque ambigitur. Sed si peccandi quidem inutilis correctio videatur, sed speretur profutura circumstantibus; qui ex peccato scan-

scandalum passi, pravo possunt exemplo depravari; omittenda non est, nisi forte ex correctione majora scandala prudenter timeantur. Denique temporis etiam opportunitas spectanda est, si scilicet in aliud tempus dilata correctio utilior futura videatur, quae praemature adhibita, dum adhuc peccantis animus ira; otio, aliave passione perturbatus est, aut minus utilis, aut noxia videatur.

Q. III. *Quinam sit correctioni adhibendus modus?*

℟. 1.° Si quidem peccatum sit publicum, publice redarguendum est. *Peccantes*, inquit Apostolus I. *Tim. V.* 20. *coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. Non tantum enim*, inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XXXIII. art.* 7. *adhibendum est remedium ei, qui peccavit, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit; ut non scandalizentur.*

℟. 2.° Si vero fuerit occultum, clarissimum est Christi praeceptum *Matth. XVIII.* 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum* . . . *Quod si te non audierit; adhibe tecum adhuc unum vel duos* . . . *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae.* Iis enim, qui occulte peccantes publice redarguuntur, non solum fama injuste minuitur, verum etiam nocet correctio. Ceterum hic correctionis ordo tribus in caussis mutari potest, ut praetermissa secreta correctione, statim crimen ad superiorem deferatur, 1.° quidem si secreta correctio evidenter inutilis appareat. 2.° cum agitur de peccatis, quae in publicum damnum, atque perniciem vergunt, ut est *ex. gr.* patriae proditio, occulta errorum doctrina contra fidem, aut bonos mores, sollicitatio ad turpia. Tunc enim periculum est, ne peccans non quidem ex secreta admonitione corrigatur, sed cautius, ideoque periculosius in publicum detrimentum peccet. 3.° cum speratur, longe utiliorem fore correctionem, si fiat a superiore viro prudente, non quidem ut Praelato, aut judice, sed ut patre, et sine periculo famae peccantis. *Si ego scio*, inquit S. Thomas *Quodlib. XI. Q.* 10 *art.* 11. *quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Praelato: si autem videtur, quod hoc melius fiat per Praelatum,*

tum, et Praelatus sit nihilominus pius, et discretus, et spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum; tunc licite potest hoc denunciari ipsi; et tunc non dicitur Ecclesiae, quia non dicitur ei sicut Praelato, sed sicut personae proficienti ad correctionem proximi, et emendam. Sed quia propter diversas conditiones Praelatorum, et subditorum, non potest in hoc dari generale judicium; quia aliquando vel Praelatus movetur ad odium adversus subditum, vel subditus non bene ferret verba Praelati; ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est charitas, et quod melius, et magis expedire videtur. Addendum, quod recedere a regula Christi Domini semper periculosum est, nisi evidens ratio suadeat, peculiarem aliquam caussam fuisse a Christo ex illa regula exceptam.

℟. 3.° Debet correctio esse fortis et mansueta, hoc est validis quidem ad persuadendum rationibus comitata, sed tamen lenis, et mansueta. Hinc Apostolus I. *Tim IV.* 2. *Increpa in omni patientia, et doctrina.* Et *Gal. VI.* 1. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.*

Q. IV *Utrum grave peccatum sit fraternae correctionis omissio.*

℟. Esse quidem ex genere suo peccatum grave, satis apparet tum ex verbis Apostoli *Rom. I.* 32. *Digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; hoc est qui cum possint impedire, connivent, et corrigere negligunt; consentire enim quodammodo videntur; tum ex ipsa materiae gravitate, scilicet spirituali hominis ruina, quae per correctionem impedienda est. Verum levis haec omissio fieri potest vel ob materiae levitatem, vel ob *advertentiae* defectum, vel ob timorem, qui ita animum perturbet, ut nec inveniat quo pacto utiliter corrigat, nec putet, utilem fore correctionem. Unde S. Thomas 2a. 2ae. Q. XXXIII. *art* 2. ait; venialem esse correctionis omissionem, *quando timor, et cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corrigenda*

de-

delicta fratris. Non tamen ita, quod si ei constaret, quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret; quibus in anima sua praeponit charitatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes. Quapropter docet Augustinus *Lib. I. De Civ. cap.* 9. Deum aliquando publicis calamitatibus justos simul, ac peccatores affligere: propterea quod justi aliorum peccata corrigere neglexerunt, ac proinde jure cum eis temporali aerumna castigantur, quamvis non puniantur in aeternum.

§. VI.

De peccatis charitati contrariis.

Quamvis omnia peccata tum mortalia, tum venialia charitati suo modo adversentur, cum omnia prodeant ex radice cupiditatis, quae cum charitate ex adverso pugnat; sunt tamen quaedam, quae praecipue charitati opponuntur, quia scilicet pugnant contra proprios charitatis actus. Ea decem numerantur a S. Thoma 2a. 2ae. Q. XXXIV. *et seqq.* scilicet odium Dei, ac proximi, *acedia*, sive tristitia de rebus ad Dei gloriam pertinentibus, invidia, discordia, contentio, schisma, injustum bellum, rixa, seditio, scandalum. Novem priora perstringemus breviter; de scandalo dicemus accuratius.

De novem prioribus peccatis charitati contrariis.

I. Odium Dei est voluntatis aversio a Deo ipso, quatenus mente apprehenditur ut malorum vindex. Est utique omnium peccatorum gravissimum. Vide S.Thomam 2a. 2ae. Q. XXXIV. *art.* 1.

II. Odium proximi est voluntatis motus, qua proximo malum optatur. Est ex genere suo mortale peccatum; quod leve fieri potest ex levitate mali, quod optatur. Ceterum si quis proximo malum aliquod velit temporale, ut a peccando resipiscat, non hoc ad odium

odium, sed ad charitatem pertinet. *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere, si contingat; non in quantum est malum illius, sed . . . secundum quod per malum poenae impeditur frequenter malum culpae*, ut inquit S. Thomas *in III. Dist. XXX. art.* 1. Saepe tamen in ejusmodi desiderio non charitas, sed livor latet.

(* Optare autem proximi mortem aliudve grave malum, vel ea de re gaudere propter bonum, quod inde vel consecuti sumus, vel nos consecuturos esse speramus, grave sine dubio peccatum est. Qua in re prae oculis habendae sunt propositiones illae duae ab Innocentio XI. damnatae. 1a. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 2a. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis.* Quid de his propositionibus *Cicero*, quid *Epictetus*, quid alii Ethnici Philosophi dixissent?

Sed utrum sibimetipsi mortem optare liceat quaesitum est. Sane si id fiat ex religionis zelo, ut fecit Elias *III. Reg. XIX.* qui *petivit animae suae, ut moreretur* necnon Matathias, et Judas *I. Machab. II. et III.* peccatum non est. Si vero ex ira, aut impatientia, nemo negat esse lethale. Denique si fiat ad vitanda quaedam gravissima mala, quae morte videntur amariora juxta illud *Eccl. XXX. Melior est mors, quam vita amara*; aut etiam ad vitandas tentationes quasdam adeo veheementes, ut timeat quis ne tandem prae infirmitate sua vincatur, non videtur esse, saltem lethale, peccatum (*a*). Veniale enim deesse non potest. Ceterum si quis ea conditione mortem optet, si ad Dei gloriam atque ad suam ipsius salutem conducat, nullo modo peccatum est. *)

Hinc

(a) *Cuniliati*. etc.

Hinc sequitur, graviter peccare eos, qui in proximum maledicta congerunt, sive malum imprecantur, si id ex animo exoptent, et malum, quod exoptant, grave sit. Quod quidem saepissime accidit, licet postquam ira deferbuit, dicere nonnulli soleant, se non ex animo ea mala fuisse proximo imprecatos. Quod si quis verbo tenus sine animi voluntate malum proximo imprecetur, est quidem veniale peccatum, sed fieri aliquando poterit lethale, vel propter contumeliam personae venerabilis, vel propter scandalum coram filiis. Ceterum maledicere creaturis irrationalibus, brutisque animantibus, si illa considerentur ut opera Dei, grave peccatum est ad blasphemiam pertinens, si vero considerentur in seipsis, vanum est et otiosum, ideoque leve, ut inquit S. Thomas 2a. 2ae. Q. LXXVI. *art.* 2.

III. *Acedia* est rerum spiritualium fastidium, ac tristitia, quae si est de re graviter praecepta, quam quis ex fastidio omittit, aut se fecisse poenitet, vel de re quidem non praecepta, sed quae conjuncta sit cum contemtu, grave peccatum est; alioquin veniale.

IV. Invidia est tristitia de bono alterius, quatenus propriam invidentis excellentiam minuit. Est quidem ex genere suo lethale peccatum, quod etiam veniale fieri potest, vel ex ratione imperfecti actus, vel ex levitate materiae.

V. Discordia est oppositio voluntatum iis in rebus, in quibus debemus proximo consentire. *Unde per se discordat aliquis a proximo, quando scienter, et ex intentione dissentit a bono divino, et a proximi bono, in quo debet consentire*, inquit S. Thoma 2a. 2ae. Q. XXXVII. *art.* 1. Nam in rebus, in quibus consentire non debet, discordia non est. Item discordia non est opinionum diversitas, vel oppositio voluntatum, ex contrariis orta opinionibus, cum scilicet consentientibus animis circa finem ultimum, unus existimat aliquid bonum esse, et ad eum finem utile; alius vero contrarium. Quae quidem opinionum oppositio inter *Paulum*, et *Barnabam* extitit *Act. XV.* 36. imo inter ipsos Angelos *Dan. X.* 13.

VI.

VI. Contentio, quam Apostolus *Gal V.* 20. inter *opera carnis* enumerat, graviterque reprehendit *Rom. I.* 29. est pugna verborum cum immoderata acrimonia. De ea inquit S. Thomas 2a. 2ae. Q. XXXVIII. *art.* 1. *Si contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniae, sic contentio est laudabilis. Si autem accipiatur secundum quod importat impugnationem veritatis* (scilicet fidei, aut morum, quam quis cognoscit, aut debet cognoscere) *et inordinatum modum, sic est peccatum mortale. Si autem accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale, nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum. Unde et Apostolus cum dixisset II. Tim. II. noli contendere verbis*, subdit: *ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

VII. *Schisma* est separatio ab Ecclesiae unitate, qua scilicet quis non solum Ecclesiae praecepta contemnit, et infringit (non enim omnis, qui non obedit, schismaticus est) verum etiam rebellis est, et contumax, nolens subesse vel generali Concilio, vel S. Pontifici, vel suo Episcopo. Patet autem, id esse peccatum. (* Porro Schismatici, ut *Lib. II.* diximus, alii nullam profitentur haeresim, alii haeresim etiam schismati adjungunt. Meri autem Schismatici in excommunicationem S. Pontifici reservatam incidunt; atque ad beneficia ecclesiastica adipiscenda sunt inhabiles. Qui autem non meri schismatici, sed et haeretici sunt, in alias etiam haereticorum incidunt poenas, ut cuique perspicuum est. Eorum autem fautores, receptatores, si meri schismatici fuerint, excommunicatione plectuntur non reservata ex constitutione Pauli IV. *Cum Apostolatus.* Si vero non meri schismatici, sed et haeretici fuerint, eorum fautores, defensores, receptatores, credentes in excommunicationem incidunt S. Pontifici reservatam, ut ceteri haereticorum fautores. *)

VIII. Bellum omne esse illicitum docuerunt Manichaei, Waldenses, aliique. Sed ex utriusque Testamenti Scripturis manifestum est, esse aliquod bellum li-

licitum, cum multa bella a filiis Israel, Deo jubente, suscepta sint, et in Evangelio *Luc. III.* Joannes Baptista militibus interrogantibus, quid sibi essent faciendum, non praeceperit, ut militiam desererent, sed ut nulli injuriam irrogarent, suoque stipendio contenti essent, ut advertit Augustinus *Epist.* CXXX. *al.*V. Imo ipse Abraham bellum gessit, a *Melchisedecho* post praelium, victoriamque benedictus *Gen. XIV.* 19. et naturae lex vim vi repellere permittit; quam vim principes, qui superiorem judicem non habent, nonnisi bello possunt repellere. Verum ut bellum sit justum, quatuor simul servari necesse est. 1.° Ut a legitima potestate, hoc est a summo Reipublicae principe, penes quem summa potestas est, indicatur, ut advertit Augustinus *Lib. XXII. cont. Faust. cap.* 75. ideoque nec privata duella, nec ea, quae a minoribus principibus, aut magistratibus, aut ab ipso populo suscipiuntur, justa censenda sunt. 2.° Ut causa justa sit, nempe *si quae gens, vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est*; ut idem monet Augustinus *Q. X. in Josue.* Fieri autem non potest, ut bellum ex utraque parte sit justum, licet accidere fortasse possit, ut una pars injustitiam caussae suae invincibiliter ignoret. Ceterum cum dubia est causae injustitia, subditus sine culpa obediet principi, cujus est de hoc negotio cum consiliariis suis, adhibita omni diligentia, judicare. Gravissime tamen peccat princeps, qui bellum indicit, de cujus justitia dubitat, aut dubitare debet. Sicut etiam peccant conductitii milites, qui post bellum indictum, operam quodammodo suam locant, cum de belli justitia non liquet. 3.° Ut intentio recta sit, *scilicet*, ut inquit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. XL. art.* 1. *ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur* (nec alia pateat via bonum illud promovendi, aut malum vitandi, praeter hoc terribile, et vehementer formidandum instrumentum). *Potest autem contingere, ut sit legitima auctoritas indicentis bellum, et causa justa; nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum; dicit enim Augustinus Lib XXII.*

cont.

cont. Faust. nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi: et si qua similia, haec sunt quae in belli jure culpantur. 4.° Ligitima administratio. Sunt enim quaedam belli jura vel ipsa naturae lege, vel jure gentium recepta, quae etiam adversus hostem servari necesse est. Verum cum ad hoc terribile malorum remedium devenitur; non solum justitiae, verum etiam humanitatis debet meminisse Christianus, ne ad arma capienda non communis boni causa, sed ex immanitate, aut cupiditate ditescendi ex hostium spoliis, incitatus esse videatur. Quae autem belli jura sint, singillatim explicare non est hujus loci.

IX. Rixa est bellum privatum, in quo duo, vel plures ex discordia voluntatum, contentionibusve verborum sese mutuo percutiunt. Quae quidem in aggressore grave peccatum est: in eo, qui se defendit, licita, si servet *moderamen inculpatae tutelae*; quod si excedat; erit pro ratione excessus vel veniale, vel lethale peccatum.

X. Ad extremum addenda est seditio, quae est plurium civium tumultus, qui pacem societatis turbant, et contra se mutuo bellum gerunt; quod non solum ipsum per se, verum etiam propter ingentia mala, et innumera scelera, quae hinc oriri solent, peccatum est sine ulla dubitatione gravissimum.

De Scandalo.

I. *Scandalum σκανδαλον* Graecum nomen proprie est offendiculum, in quod impingens viator corruit, per metaphoram vero in moralibus rebus scandalum est *dictum, vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*; quae definitio ex *Hieronymo in Cap. XV. Matth. a S. Thoma*, aliisque Theologis communiter traditur.

Dicitur autem 1.° *dictum vel factum*, quibus verbis etiam omissio continetur eorum, quae quis dicere vel facere debet; quae quidem omissio praebet alteri occasionem peccandi.

Di-

Dicitur 2.° *minus rectum*, hoc est quod aliquam mali speciem habeat; quamvis in se malum fortasse non sit; cum contra id, quod revera malum est, si nullam mali speciem praeseferat, non possit esse alteri ruinae occasio.

Additur 3.° *praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*; quod satis est ad scandalum, licet fortasse ruina ipsa spiritualis minime sequatur. Nam si quis ignem paleis admoveat, satis est ut incendii reus habeatur, quamvis ignis fortasse aliorum cura sit extinctus.

II. Duplex autem a Theologis scandalum distinguitur, *datum*, sive *activum*, et *acceptum*, sive *passivum*. Scandalum *activum* est ipsum scandalum, quod paulo ante definivimus, sive ipsum dictum, vel factum minus rectum. *Passivum* vero est ipsa proximi ruina, quae ex activo scandalo sequitur.

III. Rursus autem scandalum datum, sive activum duplex est, *directum*, et *indirectum*. *Directum* est, quo quis data opera dictis, vel factis suis quaerit alterum in peccatum impellere. *Indirectum* vero est, quo quis licet non quaerat directe proximi ruinam, revera tamen ut commodis suis, aut voluptati serviat, dicit aliquid vel facit, quod ruinae spiritualis occasionem praebeat.

IV. Sed et scandalum *passivum* distinguendum est duplex, nempe *Pharisaeorum*, et *pusillorum*. Prius est, quod non ex facto alterius, vel dicto, sed ex propria peccantis malitia oritur, quale erat scandalum, quod Pharisaei ex dictis, vel factis Christi accipiebant. Alterum vero est, quod ex proximi ignorantia, aut infirmitate oritur. Quamvis autem praeter Pharisaeos, et pusillos sint etiam homines perfecti, monet tamen *S. Thomas 2a. 2ae. Q. XLIII: art.* 5. non esse addendam tertiam scandali speciem, quod scandalum perfectorum dicatur. Homines enim ejusmodi tantum abest, ut ex aliorum peccatis in ruinam impellantur, quin potius majorem inde charitatis exercendae occasionem accipiant, unde dicitur *in. Psal. CXVIII. Pax multa diligentibus legem tuam*, *et non est illis scandalum.* Imo vero addit *S. Thomas*, perfectos ho-

homines scandalum aliis non praebere, tum quia peccata venialia, in quae ex infirmitate labuntur, plerumque in subitis, atque internis contrariae cupiditatis motibus sita sunt, tum quia si quid exterius ipsis excidat dictum minus cautum, aut aliquid agant minus rectum, tam leve est, tamque facile ex laudabili eorum vitae ratione excusari potest, ut si quis inde peccandi occasionem accipiat, ex malitia potius, quam ex infirmitate peccare videatur. Frustra igitur quidam peccata sua aliquibus sanctorum actis, plerumque falsis, et gratis confictis excusare nituntur, cum potius ad legem ipsam, ad quam sancti omnem vitam suam exigere studuerunt, attendere debeant, non ad leviora quaedam, in quae illi quodammodo inviti, ex infirmitate prolapsi sunt.

V. His igitur explicatis; 1.° scandalum quidem *passivum* peccatum est; cum sit ipse hominis lapsus ex alterius facto, vel dicto; et quidem ejus speciei, cujus est materia, in qua peccatur.

VI. 2.° Scandalum *activum directum* sine ulla controversia peccatum est; cum impellere alterum data opera in ruinam, contra charitatem ex adverso pugnet.

VII. 3.° Scandalum *indirectum*, quod *Pharisaeorum* dicitur, cum ex sola peccantis malitia proficiscatur, peccatum non est; unde Christus de iis, qui ex suis verbis, vel factis scandalizabantur, ait *Matth. XV. 14. Sinite illos, caeci sunt, et duces caecorum.*

VIII. Restat ergo *scandalum indirectum* pusillorum, quod nonnulli falso affirmant, non esse peccatum: quod si verum esset, jam nullum scandalum peccatum esset, praeter *directum*, contra apertissima Scripturae testimonia. Ex communi igitur Theologorum sententia post S. Thomam 2a. 2ae. *Q. XLIII. art.* 3. scandalum pusillorum grave peccatum esse affirmamus, si materia gravis sit, imo etiamsi materia levis sit, quae grave sive privato, sive communitati detrimentum affert, et quidem speciale peccatum, ideoque in Sacramentali confessione speciatim explicandum. Quod enim grave peccatum sit: Christus ipse nos admonet di-

dicens *Matth. XVIII. 6. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Vae mundo ab scandalis. Necesse enim est, ut veniant scandala.* Quae postrema verba satis ostendunt, non de scandalo tantum *directo*, verum etiam de *indirecto* verba Christi intelligenda esse, cum scandalum directum et rarius sit, et facilius vitari possit. Sed et Apostolus *I. Cor. VIII.* 11. loquens de iis, qui carnes idolis immolatas comedebant coram fratribus, qui scandalum inde patiebantur, quod sine dubio indirectum erat, ait: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Quae non solum grave peccatum significant, sed etiam rationem insinuant, quae id ostendit; si enim ex charitate fratres a peccato retrahere, quantum possumus, debemus, pro quibus Christus mortuus est, quanto magis cavere debemus, ne illos per scandalum indirectum in ruinam impellamus? Quod autem hoc peccatum speciale sit, ideoque in sacramentali confessione speciatim explicandum, patet; pugnat enim adversus specialem virtutem, scilicet charitatem. (* Ex quo sequitur, ut qui scandalum praebet plura peccata, et specie, et numero admittat. Specie quidem, nam praeter eam virtutem quam peccando violat; peccat etiam contra aliam saepe virtutem, ad quam violandam alterum inducit; ut si per furtum aut contumeliam alterum ad blasphemandum moveat. Numero autem, quia tot peccata sunt, quot homines, coram quibus scandalum, sive ruinae occasio parata est. *)

IX. Illud autem diligenter est expendendum, quaenam ad vitandum scandalum opera aut facere debeamus, aut praetermittere. Et quidem 1.° id fixum, ratumque sit, ad vitandum quodcumque scandalum nihil esse faciendum mali; quod lege naturali sit vetitum. *Non enim sunt facienda mala; ut veniant bona. Rom. III.* 8. Ipsa enim praecipit charitatis, et naturae lex, ut salutem nostram anteponamus alienae.

Qua-

Quapropter ne leviter quidem ad vitandum alterius scandalum mentiri licet.

2.° Actio quaecumque, sive ea bona sit, sive etiam indifferens, ad vitandum scandalum Pharisaeorum, quod ex sola alterius malitia oritur, omitti non debet, nisi forte aliquando ex charitatis officio, cum nulla nos ad agendum neque necessaria, neque utilis caussa movet. *Sinite illos; caeci sunt.* Quapropter ne bona quidem nostra temporalia negligere, aut dimittere debemus, quia inde homines iniqui, aut nolentes solvere quae debent, aut invidi, aut alio vitio excaecati, peccandi occasionem arripiunt.

3.° Ad vitandum vero pusillorum scandalum fieri potest id, quod est lege humana vetitum. Sic laborare die festo poterit famulus (a), aut subditus ad vitandam iniquam heri, aut principis infidelis vexationem, blasphemias, aliave peccata. Item carnes diebus esurialibus comedet catholicus; si alioquin injusta ab haereticis immineat contra catholicos persecutio. Secus vero se res habet, si id praecipiatur in religionis contemtum, aut signum ejuratae religionis catholicae.

4.° Si autem actio sit non vetita, sed praecepta vel humano, vel etiam divino, imo et naturali praecepto positivo: profecto cum positiva praecepta non semper, sed pro loco, et tempore urgeant; praetermittenda, vel differenda vel occultanda actio est, si scandalum inde prudenter timeatur. Sic differenda, vel omittenda est fraterna correctio, imo etiam aliquando juridica (ut excommunicatio ex Augustino *Lib. III. cont. Permen. cap.* 2.) aut manifestatio veritatis, si majora inde mala imminere videantur. *Nolite dare sanctum canibus Matth. VII.* 6. Quod non ita intelligendum est, ut ad vitandum scandalum, aut mendacium pro veritate obtrudamus, aut proximi peccata exterius approbemus, quod semper malum est, sed ut prudenti ra-

(a) Conductitii tamen famuli cum primum possunt tali domino valedicere debent.

ratione sileamus, nisi forte metus sit, ne perniciosus error latius serpat, aliosque decipiat; tunc enim praedicanda veritas, et contemnendum scandalum, quod ea in caussa Pharisaicum censeri debet. Sic Christum non impedivit oblatrantium Phariseeorum scandalum, quominus eorum vitia redargueret falsamque doctrinam confutaret.

5.° Si actio bona sit, sed non praecepta, ex qua scimus scandalizari aliquos ex pusillis, occultanda, vel differenda est, donec ipsi rationem nostrae actionis indicaverimus; tunc enim si adhuc scandalum patiuntur, Pharisaicum est.

6.° Denique si actio indifferens sit, omittenda est, si pusillos ob eam scandalum pati scimus. (* Quae quidem regula late patet, et omnibus indifferentibus actionibus, licet ex fine bonis aptanda est *) Hinc Apostolus *I. Cor. VIII.* 13. *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* (* Quapropter peccat etiam mulier in publicum prodiens, cum scit esse adolescentem aliquem, qui eam impudice aspiciens concupiscat: item si convivio, spectaculo, musicae intersit ubi scit esse aliquos dissolutos adolescentes, qui eadem peccabunt. *) Dixi autem *si scimus*; non enim omittenda actio est bona, aut indifferens vel ea tantum de causa, quia fieri potest, ut aliquis adsit pusillus, qui scandalum patiatur; hoc enim intolerandum esset, nisi forte actio talis sit, ut prudentum judicio omnibus infirmis ruinae occasio esse soleat. (* Quo in genere graviter peccant mulieres immodesto habitu atque ornatu prodeuntes, fucis vultum adultera ntes etc. Item qui obscenas imagines pingunt, sculpunt, expositas habent. *) Haec autem, quae strictim prosecuti sumus, fusius S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* XLIII. prosequitur.

X. Valde autem implexa quaestio est, et ad solvendum difficilis, utrum, et quando licet alterius peccato *cooperari.* Duplex autem *cooperatio* distinguitur a Theologis, *formalis*, et *materialis.* Prior est, qua quis *directe*, aut *indirecte* peccatum alterius cum sui operatione conjungendum intendit, ut si quis homina ira-

irato ensem praebeat, ut inimicum interficiat. Altera vero *cooperatio* est, qua quis rem bonam, aut indifferentem suppeditat, qua posset aliquis bene uti, sed ex sua malitia abutitur ad peccatum, quod quis vel non praevidet, vel si praevideat, non censetur intendere, aut velle.

XI Et formalem quidem cooperationem semper esse illicitam, manifestum est. De materiali vero tam variae in peculiaribus causis circumstantiae esse possunt, ut difficile aliquando judicium sit, et prudentium arbitrio relinquendum. Illud tamen generatim dici potest, *cooperationem materialem* esse quidem illicitam, si nulla adsit justa causa *cooperandi*; licitam vero, si justa sit causa. Si enim nulla justa causa sit, ideoque peccatum proximi sine nostro incommodo impedire possumus, certe si non impedimus, nulla erga eum charitate tangimur; quod malum est. Si vero justa sit causa, profecto censetur quis proximi malum moraliter impedire non posse, ideoque illud non quidem velle, sed permittere. Sic in causa necessitatis licet pecuniam ab usurario mutuam accipere: item ad vitandam mortem, aliudve grave damnum, licet vinum prabere iis, qui eo ad ebrietatem abusuri praevidentur, aut cibos iis, qui jejunium violaturi sunt.

XII. Sed in aestimanda caussae gravitate, quae *cooperationem materialem* efficiat non illicitam, magna interdum difficultas est in peculiaribus causis: nec nisi generalia hac de re praecepta tradi possunt. Quapropter haec semper in hoc judicio rata habeantur, ac certa; 1.° ut eo major causa requiratur, quo majus est peccatum, quod *materialem cooperationem* consequitur. 2.° eo major, quo proprius cooperatio peccatum ipsum attingit. 3.° eo major, quo minus jus habes ad actionem tuam exercendam. 4.° eo etiam major, quo probabilius est, sine hac *cooperatione* peccatum non esse secuturum. 5.° Denique eo major, quo majus ex futuro peccato imminet tertio damnum.

(* XIII. Illud est exploratum, non licere famulis domino inservire iis in rebus, quae proximae peccato sunt. Damnata est enim ab Innocentio XI. propositio illa *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat he-*

herum suum ascendentem per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Quae sententia late patet, et ad omnes similes aptanda est causas. Idem de eo dicas, qui domum locat, aut ornamenta meretrici.

XIV. Licetne aliquid facere eo consilio, ut aliquis ea occasione vel se innoxium probet[1], vel in peccato deprehensus corripiatur? Minime vero; esset enim hoc peccandi occasionem praebere; quod nullo quasi recto fine fieri potest. Omittere vero aliquid, ut de alterius probitate periculum fiat, quando id cognoscere nostra interest, nec alio modo cognosci potest, non videtur esse peccatum. *)

C A P. XXXV.

De virtutibus moralibus.

1. Quamquam in *Dissertatione Prodroma Cap.* 4. de virtutibus moralibus seorsim me acturum, si Deus dederit, praedixerim; tamen si paulo plura praestem, quam pollicitus sum, nemo, ut arbitror, id mihi vitio vertet. De virtutibus autem moralibus divinitus infusis diximus pauca *Lib. VII. Cap.* 20. quantum eo in loco sufficere judicavimus. Hic de virtutibus eisdem dicendum est, non solum quatenus divinitus per gratiam infusae sunt, sed generatim quatenus et infusas, et naturales complectuntur, licet naturales sine gratia virtutes non verae, ac perfectae sint virtutes, ut supra *Cap.* XXV. explicavimus, semperque cum aliquo operantis vitio conjunctae sint: propter quod a Patribus, praesertim *Augustino*, non virtutes, sed vitia appellantur. Sed nos eas hic spectamus non quales in homine sunt sive justo, sive vitioso, sed quales sunt in se ipsae *ex officio*; sive *ex objecto* bonae.

II. Est igitur moralis virtus bona qualitas mentis, quae versatur circa bonum creatum, ac finitum naturae rationali consentaneum; ideoque in mediocritate consistit. Cum enim moralis virtutis materia creatum, ac finitum sit bonum, ideo in ejus prosecutione sicut defectus esse potest, ita etiam excessus; unde inquit Poeta: *Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.* Qua in re morales virtutes a Theologicis differunt, in quibus; quia circa *objectum* infinitum versantur, non per excessum, sed per defectum peccari potest, ut supra docuimus.

III. Sed medium illud, in quo morales consistunt virtutes, duplex a Theologis, ac Philosophis distinguitur; nempe medium *rationis*, et medium *rei*. Medium rationis est, quod non in ipsa virtutis materia, sive *objecto* est definitum, sed pro varia *subjecti* dispositione, arbitrio prudentum definiendum est: quod in virtute temperantiae apertissime cernitur: eadem enim cibi potusve ratio, sive quantitas, quae in uno temperantia est, in alio nimia abstinentia. Medium vero rei est, quod in re ipsa est definitum, quod in just. commutativa semper servandum est, in qua rei ad rem aequalitas requiritur.

IV. Quamquam autem virtutes morales multae sunt, eae tamen omnes ad quatuor praecipuas revocantur, circa quas veluti circa cardines omnis honestae vitae ratio vertitur, ideoque virtutes cardinales appellantur. Sunt autem *prudentia*, *temperantia*, *fortitudo*, ac *justitia*, de quibus hic pauca dicemus. Nam prolixiores tractatus de justitia, ac religione, quae justitiae ipsius pars quaedam est, in aliud tempus, ut in *Dissertatione Prodroma* ante denuntiavimus, reservandos putavi. (a)

§. I.

(a) Eos tractatus nuper edidimus in duobus postremis harum Institutionum voluminibus; septimo scilicet; atque octavo.

§. I.

De prudentia.

I. Prudentia est virtus, qua bene, ac sagaciter ea seligimus, quae ad propositum honestum finem conducunt, rejicimusque contraria. Est igitur praecipue virtus haec in intellectu, cujus est cognoscere instrumenta ad finem apta, atque inter ea eligere meliora, quae prudentiae partes sunt. Sed quia non in sola consistit consideratione eorum, quae ad finem ducunt, sed ulterius ea ad opus aptanda, atque adhibenda judicat, et imperat, ideo inter morales virtutes recensetur; imo moralium omnium regina quaedam est, ac magistra virtutum, sine qua omnis aliarum virtutum actus in vitio est. (* Sicut etiam imprudentia contraria ratione generalis quaedam vitiorum omnium causa est, unde ait Sapiens *Prov. XIV. 22. errant qui operantur malum*, Quod et Aristoteles Lib. III. Ethic. Cap. I. ait: *Omnis pravus ignorat quae agere oportet.* *)

II. Est autem prudentia triplex, *singularis*, *oeconomica*, et *politica*. Prima bonum spectat privatum unicuique proprium, altera bonum familiae, tertia bonum totius reipublicae. Ex quibus postrema ista maior est; magnamque requirit sapientiam rectoris, cui reipublicae cura, ac salus concredita est. Quae quidem sapientia non solum ex praeceptis religionis, et justitiae, sine quibus salus esse publica nulla potest, verum etiam tum ex veteri rerum gestarum historia, tum ex praesenti aliorum regnorum, praecipue vicinorum statu; tum maxime ex omnium reipublicae partium exquisita cognitione comparatur. (* Unaquaeque autem ex his prudentiae speciebus vel *perfecta* est, ac *simpliciter* dicta prudentia, *vel imperfecta*, ac *secundum quid.* Perfecta prudentia est, quae proposito vero, atque ultimo humanae vitae fine, apta ad eum instrumenta, sive *media* inquirit, et eligit. Imperfecta vero, sive *secundum quid*, est quae proposito speciali fine, consentanea ad eum media demonstrat, sicut dicitur prudens paterfamilias, prudens imperator, qui tamen ma-

malus homo esse potest. Sed perfecte prudens, et malus homo esse nullo modo potest, *)

III. Cum autem prudentia virtus sit cardinalis, ad eam multae aliae reducuntur virtutes, quarum nonnullae dicuntur ejus partes *subjectivae*, seu ejusdem prudentiae species; de quibus paulo ante diximus; aliae ejus partes *integrales*, quae licet ad virtutis ipsius essentiam non pertineant, ad ejus tamen perfectionem requiruntur; aliae denique partes *potentiales*, quae sunt virtutes quaedam adjunctae, quae ad ipsam prudentiam accedere videntur.

IV. Porro prudentiae partes *integrales* (nam de *subjectivis* satis diximus) sunt novem, *intelligentia*, *memoria*, *providentia*, *ratio*, *sollertia*, *circumspectio*, *cautio*, *sollicitudo*, denique *docilitas*. 1.° quidem intelligentia est plena rei agendae cognitio, et generalis notitia moralium principiorum, qua cernitur quid sit rectum, quid honestum, quid utile, quaenam vero contraria. 2.° Memoria est praeteritarum rerum, atque eventuum recordatio, ex quibus quid in similibus causis sit agendum, ut felicem exitum habeant, ediscimus; hinc historia magistra vitae merito appellatur, cum homines in similibus causis simili ratione constanter agere soleant; quae quidem regula perraro fallit. 3.° Providentia est, qua futura antequam contingant, praevidentur, naturalia quidem necessario, contingentia vero cum morali quadam certitudine, ex qua quid agere debeamus, facile est intelligere. 4.° Ratio est illa ingenii vis, qua celeriter unum ex alio colligimus. 5.° Sollertia est animi promta, atque expedita facultas, qua statim, ubi fuerit usus, instrumenta, sive *media* invenimus ad propositum finem conducibilia. 6.° Circomspectio est attenta circumstantiarum omnium consideratio, qua quid facto opus sit, judicamus. 7.° Cautio est cura vitandi ea, quae rem propositam impediunt. 8.° Sollicitudo est vigilantis animi celeritas ad ea cito efficienda, quae si tardius fiant, quam oportet, omnis consiliorum nostrorum ratio irrita, atque inanis erit. *Deliberandum enim est diu*, inquit Aristoteles Lib. VI. Eth. Cap. 9. *sed quod deliberatione conclusum; incunctanter exequendum est.* Demum

mum docilitas: quae nescio an primo loco poni debuerit, est animi affectio, qua libenter recta aliorum consilia, ac monita suscipimus ac sectamur.

V. Sed et partes prudentiae potentiales a S. Thoma 2a. 2ae. Q. LI. ponuntur tres, *Eubulia*, sive boni consilii facultas; *Synesis*, sive bene judicandi virtus, et *Gnome*, seu perspicacitas quaedam mentis, qua de extraordinariis quibusdam caussis, quae solent accidere, recte judicamus.

VI. Vitia autem prudentiae contraria, ut sapienter advertit Augustinus *Lib. IV. conc. Julian.* partim ei manifeste adversantur, ut temeritas; partim sunt ipsi quasi specie fallente similia; ut astutia. Quae igitur manifeste adversantur prudentiae, sunt temeritas, inconsideratio, inconstantia, negligentia. Quae vero illi falsa quadam prudentiae similitudine videntur accedere sunt prudentia carnis, qualis est in peccatoribus, in quibus vera prudentia non invenitur; astutia, dolus, fraus, sollicitudo futurorum, de quibus late *S. Thomas*, atque acute disserit. (* Illud hic dumtaxat advertendum, quod quamvis haec contraria prudentiae vitia in intellectu praecipue sita sint; tamen cum caussa sint, ut supra diximus, et origo vitiorum, ejus peccati rationem habent, cujus caussam, aut periculum praebent. Sic qui ex inconsiderantia, vel negligentia hominem pro fera occidit, non duo peccata alterum negligentiae, alterum homicidii, sed unum homicidii peccatum committit. Sed et qui deliberato animo illa intellectus vitia non vult corrigere, quae peccati periculum habere advertit, jam ejusdem peccati, antequam illud admittat, aliquo modo reus est. *)

§. II.

§. II.

De temperantia.

I. Temperantia est virtus recte hominem ordinans circa ea, quae sensibus delectabilia sunt; sive, ut eam definit Augustinus, est amor, Deo sese integrum, incorruptumque servans, *ut scilicet nihil eorum* (quae delectant sensus) *diligat, nihil per se appetendum putet sed ad vitae hujus, atque officiorum necessitatem, quantum sat est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu Lib. I. De morib. Eccl. cap.* 21. Partes autem temperantiae sunt *abstinentia*, *sobrietas*, *et castitas*. Abstinentia usum cibi moderatur, cui opponitur gula. Sobrietas temperat usum potus, qui inebriandi vim habet; cui adversatur ebrietas. Castitas regit, ac refraenat venereorum appetitum, cui opponitur luxuria.

II. Porro virtutes temperantiae adnexae, sunt *continentia*, *clementia*, *mansuetudo*, *modestia*, *humilitas*; *taciturnitas*, *studiositas*, denique *eutrapelia*. Sed de hac postrema observandum est, Apostolum *Ephes. V.* 4. *eutrapeliam*, quam vulgata vertit *scurrillitatem*, inter vitia recensere, non secus ac turpitudinem, et stultiloquium: contra vero, *S. Thomam*, ceterosque Scholasticos, post *Aristotelem*, inter virtutes. Non tamen idcirco putandum est, *S. Thomam* Apostolo esse contrarium, cum longe diverso sensu *eutrapeliae* nomen usurpet, ac ab Apostolo usurpatum est, sive pro petulanti illo, atque illiberali, et obsceno jocandi genere, quod et ipse Cicero *Lib. I. De officiis* merito reprehendit; sed pro urbanitate quadam, et comitate, quae jocos etiam, ac ludos secundum rectam rationem moderatur. Si enim loco, et tempore adhibeantur opportuno, nec de rebus sint aut turpibus, aut viro gravi indignis, ad reparandas fatigati animi vires non mediocriter conducunt.

III. Contra singulas autem eas virtutes, sicut et ceteras morales, non solum defectu, verum etiam excessu peccari potest, unde unaquaeque in duorum vitio-

tiorum posita est medio (* Ita clementiae per excessum adversatur nimia lenitas, qua scilicet poena remittitur, ubi severitate utendum esse recta râtio postulat. Per defectum vero crudelitas, qua major poena, quam caussa postulet, infligitur, et saevitia, quae quis ad inferendam poenam non culpa alterius, sed ipsius poenae, ac mali delectatione movetur. Item mansuetudini per excessum opponitur irae vacuitas, qua scilicet nullo quis justitiae zelo movetur; per defectum vero iracundia. Humilitati per excessum opponitur nimia sui abjectio; quae ad proprii officii neglectum, vel contemtum movet, aut ad status sui jacturam, et incommodum eorum quibus imperandum, aut providendum est: per defectum vero superbia. Modestiae, quae motus, gestus, et ornatum corporis secundum rectam rationem moderatur per excessum adversatur ruditas, per defectum insolentia, petulantia, fastus, impudicus habitus. Studiositati per excessum curiositas, per defectum negligentia adversatur. Taciturnitati per excessum importunum silentium, cum scilicet loquendum esse ratio postulat, per defectum importuna loquacitas: De superbia autem ira, gula, pauca etiam de luxuria supra diximus. Cap. 24. Quando vero contra temperantiam, eique adnexas virtutes graviter peccatur, aut leviter, ex gravitate materiae, atque ex legis sive naturalis, sive positivae praecepto, aut prohibitione pensandum est.*).

§. III.

§. III.

De fortitudine.

I. Fortitudo est virtus ita animum regens in adversis, ut nec frangatur metu, nec temere quidquam contra rationem adgrediatur, sive ut eam definit *Augustinus*, est amor omnia propter Deum facile perferens. Hinc duo proprie fortitudini vitia adversantur, alterum *per defectum* hoc est inanis timor, sive timiditas; alterum *per excessum*, scilicet audacia, atque animi stupor; sive stupiditas nulla pericula formidantis.

II. Duo autem fortitudinis officia sunt *adgressio*, et *perpessio*. Prior est, qua sponte pericula adeuntur, ut rectus justitiae servetur, vel restituatur ordo. Altera vero, quae longe praestantior, est, licet minus splendoris, et gloriae habere videatur, est, qua gravia perferuntur incommoda, ne deseratur justitia; quo in genere martyrum nostrorum fortitudo excedit, qui longe plura praestiterunt, quam inflatis buccis philosophi de fortitudine praedicaverant.

III. Porro adfines fortitudini virtutes sunt *magnanimitas*, *magnificentia*, *perseverantia*. 1.° Magnanimitas est, quae animum ad heroicos omnium virtutum actus inclinat, cui opponitur per excessum *ambitio*, *praesumtio*, et *inanis gloria*; per defectum vero *pusillanimitas*. 2.° *Magnificentia* est, quae ad magna opera erigit animum, magnis sumtibus, secundum rectam tamen rationem, efficienda; cui per excessum opponitur profusio, quae ad magnos quidem sumptus inclinat, sed ad opera, quae non tantam opum merentur impensam; per defectum vero *parvifacientia* 3.° Perseverantia est propositi tenacitas, qua quis in opere incepto adversus obstantia quaecumque mala perseverat. Huic opponitur per defectum inconstantia, qua quis sine justa causa a suscepto opere absistit: per excessum vero pertinacia, qua quis in proposito perstat, cum non oportet; aut plusquam oportet. Quae autem vel per defectum, vel per excessum fortitudini vitia adversantur, ea vel gravia, vel levia putanda sunt, prout

prout peccata vel omissionis, vel commissionis, quorum caussam, vel periculum praebent, aut mortalia sunt, aut venialia.

IV. Quaesitum est a Theologis, utrum semetipsum occidere, actus sit fortitudinis. Et quidem quamvis olim aliter sentirent Stoici; nobis certum est, id ad imbecillitatem potius, et ignaviam, quam ad fortitudinem pertinere. Qui enim sibi mortem consciscit, non aliam ob causam violentas sibi manus infert, nisi quia res adversas patienter tolerare nequit. Peccat ergo contra praecipua fortitudinis officia. Unde Augustinus *Lib.* XIX. *De Civ. cap.* 4. *de Catone* Sapienter ait: *Non patientia, sed potius impatientia se peremit; non enim hoc fecisset, nisi victoriam Caesaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? cessit, succubuit.* Accedit, quod cum homicidium a Deo prohibeatur, qui sibi vitae, ac mortis arbitrium omne reservavit: *Non occides*: *Ego occidam, et ego vivere faciam*: *Tu es Domine, qui vitae, et mortis habes potestatem*: profecto, qui seipsum interimit, similis est militi, qui contra jussa imperatoris metu hostium e statione decedit, qui actus utique non fortitudinis, sed imbecillitatis est. Quod si qui aut in Scripturis, aut in Ecclesiastica historia laudantur, qui sibi mortem consciverunt, ut Samson, Eleazarus etc. eos vel majori Spiritus Sancti impulsu motos fuissse putandum est, ut advertit Augustinus *Lib. I. De Civ. cap.* 21. vel mortem non sibi *directe* intulerunt, sed *indirecte* permiserunt, ut de *Samsone* praesertim, et *Eleazaro* manifestum est.

§. IV.

§. IV.

De Justitia.

I. Justitia definitur communiter a Jurisconsulti, atque Theologis constans, et perpetua voluntas (sive animi dispositio) jus suum cuique tribuendi. De qua quidem virtute, sicut et de religione, qua ipsi est adfinis, valde prolixa tractatio est, neque hic expedienda. Quapropter de reliquis tantum virtutibus justitiae affinibus pauca strictim explicabimus. Sunt autem haec: *pietas*, *observantia*; *obedientia*, *veritas*, *gratia*, *liberalitas*, *affabilitas*.

II. Pietas proxima justitiae virtus est, qua post Deum parentibus, ac patriae debita officia obimus. Utrum autem parentes patriae praeferendi sint, an patria parentibus, inter Patres, et Theologos disputatur. Certe Ambrosius *Lib. I. De Offic. cap.* 27. patriam parentibus anteponit: *Justitiae*, inquit, *pietas est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes.* At S. Thomas 2a. 2ae. *Q. CI. art.* 1. parentes patriae anteponendos censet. Sed ne quid asseramus, quod tantis Doctoribus, quorum utrumque summe veneramur, vel leviter adversari possit, utrumque verum esse dicimus, ut in iis rebus, in quibus magis a parentibus, quam a patria accepimus, ut est existentia, et vita ipsa, quam vivimus; parentes patriae praeferamus; in aliis vero, in quibus et nos, et ipsi parentes a patria magis acceperunt, patriam anteponamus parentibus.

III. Observantia est, qua viros in dignitate constitutos debito honore prosequimur. Si enim omnes homines invicem se *honore praevenire* jubet Apostolus *Rom.* XII. 10. multo magis eos, qui in dignitate sunt.

IV. Obedientia est, qua propter Deum voluntatem nostram voluntati superiorum vel generatim aliqua jubentium, vel speciatim praecipientium subjicimus. Quae quidem maxima quodammodo virtutum est. *Melior est enim obedientia, quam victimae, et* su-

auscultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere I. Reg. XV. 22. Quam virtutem qui perfecte colit, et hanc mortalem vitam quiete agit, et aeterna beatitudine potietur.

V. Veritas est virtus, qua homo talem se et vita, et verbis exterius exhibet, qualis est. Cui virtuti contrarium est mendacium, de quo plura dicenda essent, quae non sunt hujus loci.

VI. Grati animi virtus quae vulgo ab Scholasticis *gratitudo* nuncupatur, est, quae ad referendam gratiam inclinat, cui opponitur ingrati animi vitium, quod naturae rationali valde dissentaneum est.

VII. Liberalitas est virtus, quae in convenienti bonorum distributione, atque usu consistit, ut scilicet nec negemus indigentibus, nec tribuamus indignis. Contra eam autem vel avaritia, vel prodigalitate peccatur.

VIII. Affabilitas est virtus. qua in civili societate ac conversatione ita dicta nostra, ac facta moderamur, ut neminem offendamus, cui quidem virtuti adversantur per excessum *adulatio*; per defectum *morositas.* Verum has morales virtutes, quoniam ad finem jam instituti laboris oratio properat, strictissime explicavimus, de quibus vide S. Thomam, qui in 2a. 2ae. de iis copiose disputavit.

IX. Harum autem virtutum officia saepe ita servanda concurrunt, ut cum simul servari nequeant, unius virtutis actus alteri praeferendus sit, ut si quis eodem tempore officia religionis erga Deum, ac pietatis erga parentes obire debeat, nec possit officia religionis obire, nisi parentes deserat, nec parentibus officia pietatis praestare, nisi posthabitis religionis officiis. Qua de re ut rectum judicium sit in peculiaribus causis, illud est prae oculis habendum, omnes virtutes, ut verae sint, a charitate proficisci debere; ideoque eam virtutem esse semper alteri praeferendam, quae a charitate proprius oritur, ipsumque charitatis *objectum*, quod est Deus, ac proximus, proprius attingit. Quapropter ipsum oremus Deum, qui charitas est, ut spiri-

spiritum nobis dilectionis suae tribuat, quo et dum vivimus omnia virtutum obire officia, cum oportet, valeamus, et postquam hac mortali vita fuerimus defuncti, ad ipsum aeternae veritatis, et charitatis fontem perveniamus, atque inde satiari penitus, et inebriari (qui finis fuit studiorum nostrorum principio propositus) beatitudine sempiterna perfruamur.

Finis. Lib. IX.

DISSERTATIONES

DE INDULGENTIIS, ET CENSURIS

Ut fidem, quam libro superiori *Part. V. cap.* 12. *in Schol.* obligavimus, in hujus voluminis exitu liberemus; Quoniam poena temporalis, quae etiam dimissa culpa remanet luenda, non semper satisfactione poenitentis expungi potest, ideoque Ecclesia poenam illam per indulgentiam remittit; merito Theologi in Tractatu de Sacramento Poenitentiae, de indulgentiis etiam disputare solent. Rursus cum poenitens aliquando censuris Ecclesiasticis sit ligatus, a quibus absolvi debet, ideo censuras etiam, earumque vim perspectam habere oportet eum, qui Poenitentiae sacramentum ministraturus est. Nos utramque tractationem ad calcem hujus Libri rejecimus, duabus dissertationibus explicandam, ut integrum sit Praeceptori, si annuum spatium pro auditorum ingenio satis ei non videatur integro Tractatui de Sacramentis absolvendo, Dissertationes has duas in alium servare annum, quo breviores tractatus laxius ei spatium relinquunt.

DISSERTATIO I.

De indulgentiis.

CAP. I.

De Indulgantiarum natura, et existentia.

Indulgentia est remissio poenae temporalis, quae post remissam culpam subeunda remanet, facta extra Sacramentum. Cum dicitur *remissio poenae temporalis* convenit indulgentia cum ea remissione temporalis poenae, quam *virtute clavium* pro majori, vel minori charitate in sacramento consequimur. Sed cum additur *extra Sacramentum* distinguitur indulgentia a quacumque poenae remissione, quae in Sacramento fit.

Esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias saltem pro poenis graviorum scelerum, negarunt Montanistae, ut constat ex *Tertulliano* jam illa haeresi infecto *Lib. de pudicit. cap.* 22. Deinde eam generatim negarunt Waldenses saeculo XII. teste Raynero *Lib. cont. Valdens. cap.* 6. *Wicleffus*, ejusque asseclae *Joannes Hus*, et *Hieronymus Pragensis*, quorum ea propositio damnata est in Concilio Constantiensi *Sess. XV. Indulgentiae Papae, sive Episcoporum concessae nihil prosunt.* Tandem *Lutherus*, qui ex hac ipsa indulgentiarum occassione ab Ecclesia recessit, cujus eae propositiones a *Leone X.* damnatae sunt: *Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum. Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles.* Eum secuti sunt *Zuvinglius*, et *Calvinus*..

At catholici quamvis uno ore fateantur, ut dogma fidei, potestatem esse Ecclesiae concedendi indulgentias, easque esse utiles, ac salutares; non omnes tamen eadem ratione explicant quam late pateat haec potestas, et ad quid indulgentiae utiles sint. Nam

Alexander de Hales, Durandus, Paludanus, Hadrianus VI. et ipse Cardinalis Cajetanus, qui hac de re scripsit contra Lutherum, opinantur, potestatem Ecclesiae concedendi indulgentias non ad aliud valere, quam ad remittendam satisfactionem a Sacerdote impositam in Sacramento Poenitentiae. At S. Thomas *in IV. Dist. XX. Q. I. art.* 3. et 3. *P. Suppl. Q. XXV. art.* 1. *Dominicus Soto*, *Bellarminus*, aliique Theologi fere omnes consentiunt, indulgentiarum potestatem non solum valere ad remittendam poenam a Sacerdote impositam, sed etiam eam, quae imponenda esset, si antiqui Canones vigerent; imo addunt, ad remittendam ipsam poenam temporalem, quae Deo solvenda remanet sive in hac vita, sive in *Purgatorio*, ad quam poenam redimendam satisfactio a poenitente exhibenda esset.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, easque fidelibus utiles esse, ac salutares.

Prob. 1a. *pars.* Ipse Christus *Matt. XVI.* 19. claves Regni coelorum promittit Petro, ut aperiat, et claudat: *Tibi*, inquit, *dabo claves Regni coelorum . . . . quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Eandem potesatem, salvo tamen Petri primatu, omnibus Apostolis post Resurrectionem dedit *Matth. XVIII.* 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis.* Atqui haec Christi verba constans, et perpetua traditio intellexit non solum de remittenda peccatorum culpa in sacramento Poenitentiae, verum etiam de remittenda poena temporali, ad quam remittendam satisfactio sive ante, sive post absolutionem exhibenda est. Nam 1.° Apostolus incestuoso Corinthio post annuam satisfactionem reliquam poenitentiam per indulgentiam remisit *II. Cor. II.* 6. *et seq. in persona Christi*: sive potestate a Christo accepta; non quod jam satis ille fecerat, sed *ne abundantiori tristitia absorberetur.*

2.° *Tertullianus* secundo saeculo testis est, Ecclesiam ex libellis, et precibus Martyrum poenitentibus indulgentiam concedere consuevisse. *Lib. ad Martyres cap.* 10. 3.° *Cyprianus* saeculo tertio eamdem consuetudinem indulgentias concedendi ob Martyrum preces testatur, et probat *Epist. XIII.* nisi quod invehitur in abusus, quos eam in rem nimia Presbyterorum Carthaginensium facilitas invexerat *Epist. XI.* 4.° Concilium Ancyranum *Can.* 5. et Nicaenum *Can.* 12. Saeculo quarto statuunt, ut penes Episcopum sit indulgentius agere cum poenitentibus, quia alacriter Canonicae poenitentiae stadium ingrediebantur, eisque aliquid de poena, ac tempore statuto condonare; quod et Basilius *Epist. ad Amphiloch.* et *Nyssenus Epist. ad Letojum*, aliaque Patrum, et Conciliorum testimonia confirmant ad saeculum usque VIII. quo indulgentiae frequentiores esse coeperunt, et maxime usque ad saeculum XI. et XII. quo ad recuperandam Palestinam fsequentissimus evasit indulgentiarum usus a Conciliis oecumenicis probatus, et a *S. Bernardo* praedicatus, ut ipse testatur *Lib. II. de Consid. cap.* 1. *et Epist. CCXLVI.*

Prob. 2*a. pars.*, quae evidenter ex priori consequitur. Si enim indulgentiae inutiles essent, aut noxiae, neque Christus hanc potestatem Ecclesiae fecisset, neque Ecclesia per XVIII. saecula fidelibus illusisset, inutiles, aut noxias indulgentias largiendo, nemine Sanctorum virorum per tot saecula reclamente, nisi contra abusus, quos et nos cum Ecclesia Catholica reprehendimus. Merito ergo Tridentinum *Sess. XXV. Decr. de Indulg. Sacrosancta*, inquit, *Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas Concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, et probatam Ecclesiae consuetudinem adhibere cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc indulgen-*

tia-

tiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos, et correctos cupiens etc.

PROPOSITIO II.

Potestas concedendi indulgentias non tantum valet ad remittendam poenam a Sacerdote impositam in Sacramento, sed et ad poenam secundum canones, et delictorum gravitatem, et numerum imponendam.

Prob. 1.° Christus (*loc. cit.*) generatim ait: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Atqui generalis haec potestas non solum complectitur injunctas poenas, sed etiam injungendas; ubi enim Legislator non distinguit, nec nos distinguere oportet. 2.° Quamvis aliquando Pontifices in concedendis indulgentiis ea verba posuerint: *de poenis injunctis*, ut plurimum tamen ea verba omittunt, praesertim ubi *plenarias* concedunt indulgentias, ut in *Extravag. Antiquorum* Bonifacii VIII. in *Extrav. Unigenitus* Clementis VI. aliisque Pontificum Bullis. Imo etiam cum concedunt Indulgentias *de poenis injunctis* contendunt *Sylvius*, *Suarez*, aliique Theologi contra Bellarminum *Lib. I. de indulg. cap.* 7. eas comprehendere non solum injunctas a Sacerdote poenas, sed etiam injungendas juxta Canones, idque satis solide probant ex Regula juris *Cap. Ex part. De Decimis*: *Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*; Porro majus est solvere a poena per Sacerdotem injuncta, quam a poena injungenda per canones; imo cum poena injuncta sit exigua pars injungendae, quia poenitens non amplius ferre poterat, qui etiam exiguam illam partem remittit, totam remittere censetur; ut si creditor debitori condonet etiam partem illam debiti minimam, qua fuit contentus, universum debitum dimisisse existimatur. 3.° Si indulgentiae ad poenas dumtaxat injunctas solvendas valerent, inutiles prorsus essent: cum non soleant hodie injungi a Sacer-

cerdotibus tales paenae, quales per indulgentias remittuntur. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Indulgentiae non solum ad poenas canonicas remittendas valent, sed ad poenam etiam illam temporalem, quae luenda est coram Deo, vel in hac, vel in altera vita.

Prob. I. Christus *Matth. XVIII.* 18. Promittit, ratam fore in coelo indulgentiam a Pastoribus in terra concessam. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Sed si indulgentia ad poenas tantum canonicas solvendas valeret; quae a Pastoribus solvuntur, soluta tantum essent in terra coram Ecclesia, sed maneret coelesti judicii adhuc solvenda poena temporalis. Ergo.

Prob. II. auctoritate, et ratione gravissima S. Thomae *in IV. Dist. XX. Q. I. art.* 3. et 3. *P. Suppl. Q. XXV. art.* 1. *Quidam dicunt*, inquit, *quod indulgentiae non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex canonum statutis. Sed haec opinio non videtur vera. 1.° quia est expresse contra Privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, in caelo remitteretur. Unde remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Et praeterea. 2.° Ecclesia ejusmodi indulgentias dans, magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet Purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad judicium Dei ad remissionem poenae residuae post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit injuncta, sive non.*

Prob. III. ex definitionibus Sum. Pontificum. Nam 1.° *Sixtus IV.* damnavit eam *Petri Oxomensis* propositionem: *Romanus Pontifex poenas Purgatorii remittere*

mittere non potest. (Bulla *Licet ea*) Leo X. cum inter ceteros Lutheri errores proscripsit : *Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.* Ergo etc.

Prob. IV. Ex definitione Tridentini. Concilium enim cit. *Sess. XXV. Decr. de Indulg.* 1.° damnat anathemate Protestantes, qui negant Ecclesiae potestatem largiendi indulgentias. At numquam fuerunt illi adeo stupidi, ut negarent, Ecclesiam posse poenas canonicas remittere, cum eae ab ipsa Ecclesia institutae sint, et ipsi Protestantes eas aliquando in sua Ecclesia remittant, sed negarunt dumtaxat, posse Ecclesiam remittere poenam coram Deo luendam, praesertim in *Purgatorio.* Ergo etc. 2.° Declarat Concilium, indulgentias esse fidelibus utiles, ac salutares; at si non liberarent a poenis, praesertim in purgatorio luendis, valde noxiae forent; remittentes enim satisfactionem canonicam, quibus poenae illae redimi possent, reservarent homines majoribus poenis cruciandos. *Sciendum enim est*, inquit Anselmus *in Cap.* 3. *Ep. I. ad Cor. quia gravior est ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vita*, quae sententia ex Augustino deprompta est, qui *in Psal. XXXV. Neque in ira*, inquit, *tua emendes me, ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salvi erunt sic tamen quasi per ignem . . . et quia dicitur salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane, quamvis salvi per ignem gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid pati potest homo in hac vita.* Ergo si indulgentiae ex Tridentino salutares sunt, adeo evidenter consequitur, eas etiam ad poenam coram Deo remittendam valere, ut Suarez (*in* 3. *P. S. Th. Disp. L. Sect. I. Concl. I.*) aliique contendant, hoc esse ut dogma fidei definitum a Tridentino.

Sol-

Solvuntur objecta.

Objic. I. cont. 1*m. prop.* Si Deus, dimissa culpa, poenam aliquam temporalem a peccatore luendam reliquit, nequit intelligi, quomodo possit Ecclesia illam remittere, cum non possit homo Deo esse major. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Nequit illud intelligi, si ipse Christus non abunde satisfecisset divinae justitiae pro peccatis totius mundi, neque Ecclesiae fecisset potestatem applicandi hominibus infinitum thesaurum meritorum suae satisfactionis, *conc.* Secus, *neg.* Christum satis, et abunde fecisse pro omnium hominum peccatis, jam demonstravimus *Lib. VI. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, inquit *I. Joannes II.* 2. Restat tamen, ut ejus satisfactionis merita nobis applicentur. Applicantur autem non solum per sacramenta, sed etiam per Ecclesiae indulgentiam. Quod autem Christus Ecclesiae tribuerit potestatem hanc, applicandi fidelibus merita satisfactionis Christi, probatur iisdem argumentis, quibus *Prop. I.* demonstravimus, esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias; neque enim aliter indulgentias concedere posset, nisi applicando fidelibus merita satisfactionis Christi. Hac igitur de causa merita Christi per metaphoram dicuntur *Indulgentiarum thesaurus* dispensationi Ecclesiae commissus. Et quamquam merita Christi infinita sint, tamen voluit ipse, ut caput in membra, influere merendi ac satisfaciendi virtutem etiam sanctis atque adeo in thesauro indulgentiarum sunt etiam merita Sanctorum non adjecta, sed innixa meritis Christi, tamquam instrumenta, quibus ille pro sua omnipotenti bonitate uti voluit.

Haec luculenter explicat Clemens VI. *Extravag. Unigenitus Tit. De Poenit. et Remis. In ara crucis* (Christus) *innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse . . . Quantum*

tum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, et superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit etc. . . . Ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, et omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum praestare noscuntur. De cujus consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut praedictum est merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis ipsorum accrescit cumulus meritorum. Utrum autem merita sanctorum ad indulgentias concurrant impetrando dumtaxat applicationem meritorum Christi, an immediate, atque ad modum solutionis, quaestio fuit inter Theologos agitata. *Pius V.* tamen eam *Baji* propositionem damnavit: *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur peccata, sed per communicationem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.*

(* *Inst.* Fictitius videtur ille indulgentiarum thesaurus. Nam 1.° Quamvis merita Christi infinita sint; tamen satis applicantur in remissionem peccatorum, quae cum injuriam Deo irrogaverint infinitam, vel superioris ordinis, nonnisi infinita satisfactione aboleri poterant, ut *Lib. VI.* diximus. 2.° Quidquid sancti vel fecerant, vel passi sunt satis ipsis, et abunde redditum est, cum dicat Apostolus *Rom. VIII.* 18. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, ideoque nihil superest quod in alios derivetur. 3.° Omnia sanctorum opera alio titulo debita erant, cum dicat Christus *Luc.* XVII. 10. *Cum feceritis haec omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus*; non ergo tanti sunt, ut pro aliis satisfaciant.

R. *Neg. ant. Ad* 1m. Q. Quamvis ea sit in peccato injuria in Deum, ut ad satisfaciendum persona infinitae dignitatis necessaria fuerit; Christi tamen satisfactio, ut *Lib. VI.* diximus, non solum par fuit, verum

rum etiam abundans ad remittenda peccata omnia, eorumque poenam tum aeternam, tum temporalem. Dimissa ergo per sacramentum cujuscumque peccati culpa, atque aeterna poena, abundat adhuc satisfactio Christi ad temporalem atque aeternam poenam pro peccatis totius mundi remittendam. *Ad* 2.° Distiguenda est in bonis sanctorum operibus ratio tum meriti, tum satisfactionis. Sic *ex. gr.* in eleemosyna non solum est ratio meriti, cum Christus pro ea regnum aeternum daturus sit electis *Matth. XXV.* 36. sed etiam satisfactionis, ut *Dan. IV.* 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* Et *Job. IV.* 11. *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat.* Quod ergo ad meritum attinet, sanctorum opera abundantem consecuta sunt mercedem, quod vero ad satisfactionem, cum multo plura passi sunt, quàm ad satisfaciendum pro peccatis suis necessarium esset, ut patet praesertim in B. Virgine; quae nullum peccatum habuit, superest ex eorum satisfactionibus quod in alios derivetur. *Ad* 3m. praeterquam quod loquitur ibi Christus de operibus, quae praecepta sunt, non supererogationis, vide quae diximus *Lib. VII. Cap.* 19.

Inst. 2.° Poenam temporalem, quam Deus, dimissa culpa, reposcere decrevit, nulla ratione mutari, aut averti posse sacrae litterae testantur. Sic Davidis jejunia, orationes, fletus efficere non potuerunt, ut non moreretur ei filius, quem Deus, dimissa Davidi culpa, morti addicere statuerat *II. Reg. XII.* Sic Moysis, et Aaron poenitentia non impetrarunt temporalis poenae, quam Deus minatus erat, remissionem. Unde sine ulla exceptione pronunciat Dominus *Psal. LXXXVIII. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Idem docet Apostolus I. *Cor.* XI. 32. frustra igitur ad eam poenam avertendam indulgentiae offeruntur, et praedicantur.

R. Trans. ant. Si enim Ninivitis propter poenitentiam condonavit Deus poenam, quam per Jonam Prophetam minatus erat, *Jon. ult.* cur non poterit alias propter pia poenitentium opera temporarias poenas remittere? Sed etiam *dato antecedenti*, *Neg. cons.* Non enim dicimus, valere indulgentias ad eas poenas aver-

ten-

tendendas, quas Deus ut sapiens ac misericors pater cognoscit ad correptionem nostram, atque eruditionem necessarias, sed eas quas vel poenitens ipse sponte in hac vita subire debet; vel in *Purgatorio* luere. *)

Objic. II. cont. 2m. prop. Si indulgentiae liberarent a poenis a Sacerdote in Sacramento impositis, qui lucratur indulgentias, praesertim *plenarias*, non deberet satisfactionem in Sacramento impositam adimplere. Sed hoc absurdum est: Sacerdos enim est in tribunali poenitentiae veluti supremus judex soli Deo subjectus; ejusque sententia non potest ab alio in terris rescindi. Imo vero noxium esset homines a bonis operibus avocare. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Non deberet, si incertus esset an indulgentias sit lucratus, *neg.* Si certus esset, *subdist.* Non deberet adimplere satisfactiones, si mere poenales essent, *Trans.* Si essent etiam medicinales, *neg.* Cum ergo nemo sine speciali revelatione certus esse possit, se indulgentias fuisse lucratum, semper debet impositam a Sacerdote adimplere satisfactionem. Constat enim debitum, solutio incerta est. Sed etsi daremus, aliquem ex revelatione cognoscere, se indulgentias plenarias lucratum fuisse, non deberet ille quidem impositam satisfactionem exhibere, quae mera vindicta sit, neque tunc rescinderetur sententia Sacerdotis, sed subtraheretur materia; soluto enim debito, non rescinditur, sed non amplius urget sententia judicis. Sed quia satisfactiones non solum imponuntur, ut poenae peccatorum, sed etiam ut fraena licentiae, et medicinae, quibus peccata praecaveantur in posterum; hinc semper poenitens impositam debet satisfactionem exhibere, si non ut poenam, saltem ut medicinam. Dixi autem *Transeat*; quia responderi adhuc posset, poenitentias mere poenales obeundas esse, ut partem Sacramenti integrantem.

Objic. III. Antiqui canones *poenitentiales* non vigent hodie in Latina Ecclesia. Ergo inutile est illos per indulgentias relaxare, cum etiam sine indulgentia nemo illis servandis teneretur.

Neg.

Neg. cons. Imo cum non serventur antiqui canones, quibus vel tota, vel magna pars poenae temporalis coram Deo luendae redimebatur, utilissimum est indulgentiam consequi, ne quod in hac vita patiebantur olim poenitentes, longe acerbius patiantur modo fideles in Purgatorio. Eadem enim est hodie, quae fuit olim justitia Dei, sed quia fideles prae infirmitate non possunt tali poenitentia defungi, quae redimendae poenae temporali par sit, succurrit Ecclesia indulgentiis. Alias *Lutheri*, *Calvini*, *Kemnitii* objectiones apud Bellarminum refutatas invenies. Ex quibus etiam ea facile refelli possunt, quae *Dallaeus* ingenti volumine contra indulgentias collegit.

C A P. II.

De ministro, et causa indulgentiarum.

Ado. I. Minister indulgentiarum ille est, cui concredita est a Christo potestas eas concedendi, seu, ut loquuntur, dispensatio thesauri indulgentiarum: vel ordinarius est, vel delegatus.

II. Causa autem concedendi indulgentias est finis, quem obtinere optat qui concedit, et opus injunctum. Quaestio ergo est inter Theologos, utrum indulgentiae sine justa causa *valide* concedantur. *Durandus*, *Paludanus*, *S. Antoninus*, aliique affirmant. At *S. Bonaventura*, *Hadrianus*, *Cajetanus*, *Navarrus*, *Estius*, *Sylvius* aliique negant; quae sententia inter recentiores communior est.

PRO-

PROPOSITIO I.

Ministri ordinarii indulgentiarum sunt Episcopi, imprimis summus Pontifex, delegati vero possunt esse quicumque Clerici.

Prob. 1a. pars. Cum potestas indulgentias concedendi descendat a potestate solvendi, quam Christus Apostolis fecit *Matth. XVII.* 18. illi sunt ordinarii indulgentiarum ministri, qui Apostolis succedunt. Atqui Episcopi Apostolis succedunt; ut ostendimus *Lib. VIII. Par.* 7. imprimisque summus Pontifex, qui successor est Petri Apostolorum principis, ut demonstravimus *Lib. II.* cui peculiariter promisit Christus, se daturum claves regni coelorum, ut quodcumque solveret super terram solutum esset et in coelo. Ergo.

Prob. II. ex traditione perpetua, ex qua haec potestas semper Episcopis, imprimisque summo Pontifici attributa est. Sic Cyprianus *Epist. IX.* conqueritur, Presbyteros, Episcopo inconsulto, ausos esse indulgentias dare poenitentibus, *quod*, inquit, *numquam omnino sub antecessoribus factum est.* Sic Concilium Ancyranum, et Nicaenum solis Episcopis permittit, ut indulgentias, quod opus sit, agant cum poenitentibus. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. 1.° Concilium Lateranense IV. *Can.* 60. agnoscit, Abates (qui Episcopi non sunt) posse ex speciali concessione indulgentias largiri. 2.° Cum indulgentia sit remissio extra sacramentum, non requirit potestatem ordinis, sed dumtaxat jurisdictionis, ita ut ab Episcopis electis, et nondum consecratis dari possit, ac proinde iis delegari potest, quibus potest jurisdictio Ecclesiastica delegari, ut sunt quicumque Clerici. Ergo etc.

Co-

Corollarium.

Cum jurisdictio Episcoporum suae tantum dioecesis limitibus coerceatur, et Archiepiscoporum juridictio ad universam provinciam aliquo modo se extendat, summus vero Pontifex universae Ecclesiae praesit, hinc Episcopi suis tantum dioecesanis, etiam a dioecesi absentibus: Archiepiscopi omnibus provincialibus *Cap. Nostro. De Poenit. et remission.* summus Pontifex omnibus fidelibus indulgentias dare possunt.

Dices. Si summus Pontifex per indulgentias solvere posset, quae Episcopi ligarunt, magna sequeretur in Ecclesia ordinis perturbatio. Ergo non est putandum, Christum ei dedisse potestatem omnibus fidelibus concedendi indulgentias, sed tantum singulis Episcopis in sua dioecesi.

℟. *Dist. ant.* Si sine justa causa solvere posset, *transeat.* Si ex publica Ecclesiae causa, ob quam ipsi Episcopi consentire censentur indulgentiis, *neg.* Dixi *Transeat*; tum quia dubitant nonnulli, ut infra videbimus, utrum *valide* Summus Pontifex sine justa causa indulgentias concederet, tum quia etiam hoc dato, non perturbaretur ordo jurisdictionis, quia ut supra observavimus, per indulgentias non rescinditur sententia Episcopi, aut Sacerdotis, sed tollitur obligationis materia.

Scholion.

(* Disputatum est inter Theologos, utrum S. Pontifex, aliique possint earum indulgentiarum esse participes, quas aliis in communi largiuntur; cum nemo seipsum possit absolvere. Sed respondetur ex *S. Thoma*, S. Pontificem, non quidem directe seipsum per indulgentiam absolvere, sed uti posse in rebus, quas aliis ex jurisdictione concessit; hujusmodi indulgentiae sunt, ad quas percipiendas non ut pastor, sed ut unus de grege accedit subjectus Ecclesiae clavibus; ideoque indirecte, et *per accidens* subjectus sibi. Idem de aliis *a fortiori* dicendum est).

PRO-

PROPOSITIO II.

Episcoporum potestas quoad indulgentias certis limitibus coercetur.

Prob. ex Concilio Lateranensi IV. in quo ita statutum est *Can.* 62. *Quia per indiscretas, et superfluas indulgentias, quas quidam praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur; decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum sive ab uno, sive a pluribus Episcopis consecretur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris praecipimus moderari, quae pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur Cap. Cum ex eo. De Paenit. et remiss.* Ergo etc. Utrum autem Decretum illud Lateranense intelligendum sit tantum de sollemnibus indulgentiis, quae in foro externo conceduntur, ita ut possit Episcopus in foro poenitentiae majores facere indulgentias, ut censent Fagnanus *in cit. Cap.* Innocentius IV. aliique, quaestio est.

Dices. Episcoporum potestas a Christo descendit; non ergo potuit per Concilium coerceri.

℟. *Neg. cons.* 1.° quia ipse Christus Episcopis potestatem Concilio oecumenico subjectam dedit; 2.° quia in Concilio oecumenico ipsi Episcopi voluerunt, ut eorum potestas illis limitibus circumscriberetur.

PROPOSITIO III.

Non valent indulgentiae sine justa causa concessae.

Prob. 1.° *Martinus V.* in Constitutione, quae habetur in Actis Concilii Constantiensis, interrogari jubet suspectos de haeresi *Wicleffi*: *Utrum credant, quod Papa omnibus Christianis vere contritis, et confessis ex causa pia, et justa possit concedere indulgentias.* Non ergo sine pia, et justa causa. 2.° Ecclesiae Pastores sunt Ministri, et dispensatores, ut loquitur Apostolus, quorum praecipuum munus est, ut sint fideles; non enim credendum est, Christum ratum habiturum quod ab infideli dispensatore, seu potius dissipatore geritur. Atqui infidelis dispensator est, qui sine justa, et pia causa indulgentias concedit. Ergo etc. 3.° Dispensatio bonorum Ecclesiae temporalium sine justa causa irrita, et inanis est; ergo a fortiori dispensatio bonorum spiritualium. 4.° Potestas Ecclesiae, ejusque ministris data est *in aedificationem*, ut inquit Apostolus *II. Cor. X.* 8. *non in destructionem* Sed indulgentiae sine justa causa in destructionem vergerent, ut advertit Concilium Lateranense, et Tridentinum. Ergo etc.

Objic. S. Thomas *in IV. dist. XX. Q. I. et* 3. *P. suppl. Q. XXV. art.* 2. *ad* 1. ait: *Si inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur.* Ergo etsi illicita, *valida* tamen est indulgentia sine justa causa.

℟. *Neg. cons.* Nonnulli enim ajunt *S. Thomam* retractaturum quae scripsit junior in *Libros Sententiarum* si Summam Theologicam absolvisset. Sed quia hoc divinare est, observandum cum *Soto*, *Estio*, *Sylvio*, S. Thomam per illa verba *si inordinate remittat*, non intelligere indulgentias sine justa causa: ait enim *in IV. Dist. XLVI.* et *in Suppl.* 3. *P. Q. LXXI. art.* 16. *Nec tamen sequitur, quod Papa possit*

possit pro arbitrio animas e Purgatorio liberare, *quia ad hoc ut indulgentiae valeant*, *requiritur causa conveniens*: sed intelligere indulgentias frequentiores, alioquin sibi ipse contradiceret.

Inst. Tritum est Canonistarum axioma, quod et S. Thomas (*loc. cit.*) verum agnoscit: *Indulgentiae tantum valent*, *quantum sonant*, *vel praedicantur*. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Tantum valent, quantum sonant, si debitae adsint conditiones, *conc.* Secus, *neg.* Cum ergo ex omnibus conditionibus tum ministri, tum *subjecti*, tum causae, indulgentiae ratae sunt: earum quantitas tanta est, quantum sonat, et praedicatur. Sic nos dicimus, Sacramenta efficere quod significant, si tamen debitae adsint ministri, et *subjecti* conditiones.

Scholion.

Causae autem, quibus indulgentia concedi possit, pro quantitate indulgentiae aestimanda est. Quis enim non videt ad indulgentiam *plenariam* causam requiri graviorem, quam ad indulgentiam dierum aliquot? Duo sunt autem, ut recte observat Bellarminus *Lib. I. De Indulg. Cap.* 12. quae ad justam indulgentiae causam concurrere debent, finis, et opus injunctum. Finis quidem semper debet esse bonum aliquod Ecclesiae non exiguum: ut conversio infidelium, et haereticorum, exaltatio Ecclesiae, pax inter Christianos principes; item Basilicarum extructio, pauperum in publica necessitate sublevatio, ministrorum sustentatio etc. Opus vero injunctum tale esse debet; ut ad finem illum consequendum censeatur aptum, et ipsum per se non leve, ita ut coram Deo melius sit opus illud fieri ad eum finem obtinendum, quam temporalem poenam ab homine solvi. Ceterum in indulgentiis, quae toti Ecclesiae, vel Regno, vel provinciae conceduntur, potest opus aliquod injungi aliquando levius; quod enim ipsum per se levius est, in tota Ecclesiae communitate magnum est.

CAP. III.

De subjecto indulgentiarum, et primo de vivis.

Adv. I. Indulgentiarum *subjectum* dicimus eos, quibus indulgentiae concedi possunt, iique vel vivi sunt, vel defuncti. De vivis hic agimus de defunctis *Cap.* sequenti.

II. Omnes homines baptizati, et justi indulgentiarum capaces sunt: baptizati quidem, quia in eos, qui foris sunt, Ecclesia jurisdicitonem non habet: justi vero, quia indulgentia, ut supra diximus, est remissio poenae temporalis, quae remanet, culpa jam dimissa, ideoque cum Pontifices indulgentiam concedentes ajunt, se remissionem peccatorum concedere, de peccatis quoad poenam temporalem intelligendi sunt. Hinc passim indulgentiae conceduntur *contritis*, et *confessis*. Sed utrum necessaria sit sacramentalis confessio etiam iis, qui jam in gratia sunt, quaestio est. *Suarez* enim, *Sylvius*, aliique putant verba illa: *contritis*, *et confessis*, non apponi in *Bullis* Pontificum, ut conditionem necessariam, sed ad significandum, necessarium esse statum gratiae sanctificantis. Sed communis fidelium praxis contraria, et tutior est. Imo id est hodie definitum. Declaravit tamen *S. Congregatio* Cardinalium anno MDCCLXIII. eos, qui laudabilem habent consuetudinem, octava quaque die confitendi, non teneri ad sacramentalem confessionem, ut lucrentur indulgentias, quae intra illud octiduum cadunt, nisi forte sint in peccato, idque valet, etiamsi aliquando ob justum aliquod impedimentum confiteri octava die non potuerint. Quam declarationem auctoritate sua *Clemens XIII.* confirmavit (*a*). De reliquis vero

(a) Excipiuntur tamen in eo decreto indulgentiae *Jubilaei*, vel quae ad instar *Jubilaei* conceduntur, in quibus omnino confessio peccatorum statuto tempore facienda est.

vero definitum est, posse eos confiteri pridie ejus diei, qua die indulgentiae concessae sunt. Sed non idem de Eucharistiae communione concessum est, cum ea etiam ad indulgentiam consequendam certa aliqua die praecipitur.

III. Ceterum necesse non est, ut singula opera a Pontifice injuncta peragantur in statu gratiae sanctificantis, sed satis est, si ultimum opus in gratia peragatur, quia eo instanti indulgentia effectum sortiri potest. Nam et in veteri disciplina Episcopi prius probabant laboriosa poenitentium opera, deinde si iis videretur, indulgentiam cum absolutione dabant, ut constat ex *Cypriano*, Concilio Ancyrano, et Nicaeno.

IV. Sed quaestio gravis est inter Theologos, quaenam dispositiones in *subjecto* necessariae sint, ut totam, quae concessa est, indulgentiam consequatur. Certum enim est, pro majori vel minori dispositione, magis, vel minus de concessa indulgentia obtineri. Et consentiunt quidem Theologi pro majori, vel minori fervore charitatis, et contritionis, majorem, vel minorem percipi indulgentiarum partem. Constat etiam, eos, qui peccata omnia etiam venialia non detestantur, plenarias indulgentias obtinere non posse, sed ex parte; cum absurdum sit plenam consequi poenae temporalis remissionem, qui aliquo tenetur affectu venialium peccatorum, quae temporalem poenam mereatur. Sed controversia est, utrum ad totam lucrandam indulgentiam necessarium sit in *subjecto* efficax propositum satisfaciendi Deo, quantum humana patitur infirmitas. Bellarminus enim *Lib. I. de Indulg. cap.* 13. aliique affirmant, id non esse necessarium, quia ad hoc, inquiunt, indulgentia datur, ut quis a debito satisfactionis liberetur. At *Cajetanus*, *Hadrianus*, *Soto*, *et Hesselius* (ambo hi interfuerunt Tridentino Concilio) *Navarrus*, *Estius*, *Sylvius*, aliique recentiores contrarium tenent; alioquin, inquiunt, indulgentia fomentum socordiae, non supplementum infirmitatis esset.

PRO-

PROPOSITIO

De indulgentia, etiam plenaria, majorem, vel minorem quis partem percipit, pro majori, vel minori fervore charitatis, quo injuncta opera peragit, et pro majori, vel minori voluntate, ac proposito satisfaciendi Deo quantum potest.

Prob. 1*a. pars.* 1.° Bonifacius VIII. (*Extrav. Antiquorum*) *Unusquisque tamen*, inquit, *plus merebitur, et indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, et devotius frequentabit.* 2.° Innocentius IV. (*in Cap. Quod autem. De poenis*) *Licet generaliter fiat indulgentia propter laborem, propter devotionem, et propter pericula; tamen unus plus alio habet intra metam a Praelato constitutam, secundum quod plus devotus est, vel plus laborat, vel majoribus periculis se exponit.* Idem docent Scholarum Principes S. Thomas 3. *P. Suppl. Q. XXV. art.* 2. *ad* 3. S. Bonaventura *in IV. Dist. XX. Q. ult.* aliique. Ergo etc.

Prob. 2*a. pars*, quae majoris momenti, et difficultatis est 1.° Veteres non aliis indulgentias putarunt concedendas, nisi iis, qui satisfacerent ipsi per se, quantum possent. Sic Apostolus non alia ratione Corinthium absolvit, quam *ne ille majori tristitia absorberetur. Cyprianus* iis, qui libellos indulgentiarum a Martyribus acceperant, non aliter indulgendum statuit, quam si ipsi quantum possent, satisfacerent. Quod si urgeret mortis, aut persecutionis periculum, quia tunc satisfacere amplius non poterant, reliquam satisfactionem remittendam censuit, cujus disciplinae quam tenax fuerit sedes Apostolica, apparet non solum ex Epistolis Cleri Romani ad *Cyprianum*, sed etiam ex praeclaris *Gregorii VII.* verbis in Epistola ad Lincolniensem Episcopum, qui indulgentiam delictorum petierat: *Absolutionem*, inquit, *praeterea peccatorum tuorum*

tuorum, sicut rogasti, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhaerendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris . . . Ex quibus apparet, ait Baronius *ad an.* 1063. *n.* 71. *Sedis Apostolicae indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.* Ergo.

Prob. II *ratione.* 1.° Ea semper fuit Ecclesiae mens, ut per indulgentias non enervetur disciplina, nec homines a bonis operibus retrahantur, sed potius ut augeatur fidelium pietas, devotio, et charitas, ut patet ex verbis Concilii Lateranensis, et Tridentini, alioquin non utiles, sed noxiae forent indulgentiae. Sed nemo non videt, enervari disciplinam, et retrahi homines a bonis operibus, nempe a faciendis dignis poenitentia fructibus, imo procliviores fieri ad peccandum, si per indulgentiam ab hoc onere liberarentur, quod est veluti fraenum, quo coercentur homines a peccatis, et medicinæ vitiorum. Ergo.

2.° Fieri non potest, ut qui vere de peccato dolet, tamquam de injuria, atque offensione Dei summe dilecti, quique in justificatione virtutem etiam poenitentiae infusam accepit, non habeat animum divinae justitiae, quantum in se est, satisfaciendi, ad quam satisfactionem ipsa per se virtus poenitentiae inclinat. Quis ergo credat, dari ab Ecclesia indulgentias, ut ejus virtutis actus impediatur?

3.° Ipsi Pontifices dum indulgentias *plenarias* in *Jubilaeo* concedunt, Sacerdotes monent, ut injungant poenitentias salutares. Non ergo putant per ingulgentias auferri propositum, ac debitum satisfaciendi quantum fieri potest.

Objectiones.

Ojic. Si vera est nostra sententia, commentitia est indulgentiarum virtus. Si enim fidelis ad obtinendam indulgentiam efficax habere debet satisfaciendi propositum; manet ergo adhuc debito satisfaciendi ligatus, ac

ac proinde indulgentiae non remittunt temporales poenas, post culpae dimissionem luendas.

R. *Neg. ant. ad confirm. Dist. ant.* Manet adhuc ligatus debito satisfaciendi, quantum humana patitur infirmitas, *conc.* Quantum Dei justitia exigeret, *neg.* Quod ergo homo non posset satisfacere, id divina justitia puniret vel in hac vita, vel in *Purgatorio*, nisi per indulgentias remitteretur.

Inst. Indulgentiae liberant etiam a poenis in Sacramento Poenitentiae impositis. Atqui poenae illae numquam superant poenitentis vires; imponuntur enim a prudenti Sacerdote pro viribus poenitentis, et si aliquando videntur graviores, possunt sine indulgentia ab eodem, vel ab alio Sacerdote commutari. Ergo virtus indulgentiae non solum pertinet ad remittendum id, quod homo non potest, sed etiam ad id quod potest.

R. *Dist. ant.* Indulgentiae liberant a poenis impositis, si medicinales sunt, *neg.* Si mera vindicta, *subdist.* Si sunt poenitentis infirmitate graviores, *conc.* Secus. *neg.* Duplici ratione satisfactio a Sacerdote imposita potest esse poenitentis infirmitate gravior, vel propter ipsam operis substantiam, vel propter modum, quo illud faciendum esset, ut divinae justitiae perfecte satisfaceret, cum magno scilicet fervore charitatis, et contritionis. Et quamvis satisfactio illa commutari possit; tamen per eam commutationem solveretur quidem poenitens a vinculo per Sacerdotem imposito; ita ut non peccaret mutando satisfactionem Sacramentalem, sed non solveretur a debito divinae justitiae satisfaciendi vel in hac, vel in altera vita. Ab hoc igitur debito solvit indulgentia.

Corollarium.

Ex his, quae dicta sunt, facile est intelligere, quam difficile sit, ac rarum plenarias consequi indulgentias, praesertim in tanta, quanta hodie est, fidelium socordia, ac tepore in operibus injunctis persolvendis.

Scho-

Scholion.

(* Solent esse opera injuncta jejunium, eleemosyna, oratio, aut certae ecclesiae visitatio. Et jejunium quidem sufficit ecclesiasticum, hoc est eodem modo, quo jejunia quae ab ecclesia praecepta sunt. Eleemosyna si non est definita, debet saltem talis esse, quae spectata personae conditione aliquo modo poenitentiae rationem habere possit. Oratio vero et visitatio ecclesiae devota, nec adeo brevis, ut nullo pacto poenitentia dici possit. *)

C A P. IV.

De indulgentia pro defunctis.

Adv. I. Lutherani, et Calvinistae post *Petrobrusianos*, *Albigenses*, *Valdenses*, Purgatorium ipsum esse negant, in quo animae piorum justitiae Dei satisfaciunt pro eo, quod in vita satisfaciendum reliquerunt. At inter Catholicos, qui *Purgatorium* agnoscunt, fuere nonnulli, qui assererent ad animas ibi patientes indulgentias extendi non posse, ut Hostiensis *Lib. V. de Remiss.* Gabriel Biel *in Can. Missae*, *Petrus Oxomensis*, cujus varias propositiones *Sixtus IV.* damnavit, et inter eas etiam unam, qua affirmabat, indulgentias mortuis non prodesse, ex eaque damnatione admonitus *Biel* sententiam retractavit.

II. Disputatur tamen inter catholicos, quomodo indulgentiae defunctis prosint, utrum scilicet ad modum absolutionis, an ad modum suffragii, sicut orationes, sacrificia, eleemosynae, aliaque pia opera.

PRO-

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, esse Purgatorium, animasque justorum ibi detentas juvari suffragiis fidelium, imo certum est, iis indulgentias applicari posse, atque prodesse.

Prob. 1a. *pars.* *I. ex Script.* 1.° Auctor *Lib. II. Machabaeorum Cap. XII.* 43. ait Judas *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, et religiose de resurrectione cogitans . . . . . quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam; sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Hoc loco nihil est luculentius, cum ex eo constet animas piorum aliquando habere aliquid, quod eis post mortem luendum superest; easque suffragiis, et sacrificiis adjuvari posse, ut a peccatis solvantur. Quod autem reponunt Novatores, *Machabaeorum* librum non esse canonicum nihil est, 1.° quia saltem ex eo tamquam ex historia constat, quae fuerit Synagogae fides, et praxis quoad animas defunctorum, 2.° quia jam ostendimus *Lib. II.* eum librum, sicut et ceteros Deuterocanonicos, etsi nondum fuerunt a Synagoga relati in canonem ob rationes ibi recensitas, tamen ab Ecclesia semper habitos fuisse, ut divinos. *Machabaeorum libri*, inquit Augustinus *Lib.* XVIII. *De Civ. cap.* 36. *quos non Judaei, sed Ecclesia pro canonicis habet*; idque fatetur ipse Hieronymus *Prol. in Lib. Machab.* qui et alibi *Lib. V. Comment. in cap.* 23. *Is.* eos libros; ut Scripturam divinam citat. Eos in Canone recenset Concilium Carthaginense III. Synodus Romana sub Gelasio I. Innocentius I. *Epist. ad Exuper.* Eosdem antiqui Patres, ut Origenes *Lib.* II. *Periach. cap.* 1. Cyprianus *Epist.*. 55. Augustinus, aliique ut Scripturam divinam laudarunt; ita ut merito Tridentinum in canone Scripturarum habendos definiverit *Sess.* IV.

2.°

2.° In novo etiam Testamento habemus insignem Christi Domini sententiam *Matth.* XII. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Atqui ex iis verbis clare elucet *Purgatorii* veritas. *Neque enim*, inquit Augustinus *Lib.* XXI. *de Civ. cap.* 24. *de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro* Ergo.

Prob. II. ex perpetua Ecclesiae traditione. 1.° Epiphanius *Haeres.* LXXV. *Quae pro mortuis*, inquit, *concipiuntur preces, eis utiles sunt . . . necessario facere illud Ecclesiam dico, quae traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit.* 2.° Augustinus *Serm.* CLXXII *Orationibus Sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino quam eorum peccata meruerunt; hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia.* 3.° Omnes *Liturgiae* tum orientalis, tum occidentalis Ecclesiae in Sacrificio orationem pro animabus defunctorum fieri praecipiunt. *Lex autem orandi legem statuit credendi.* 4.° Tridentinum *Sess. VI. Can.* 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum poenae aeternae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro, in Purgatorio, antequam in regnum coelorum aditus patere possit, anathema sit.* Et *Sess.* XXV. *Decr. de Purg.* declarat, *Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari.* Ergo.

Prob. III. *ratione.* Certum est, plurimos aliqua saltem veniali labe aspersos diem supremum obire, Atqui ob eam causam non possunt in aeternum a regno coelorum extorres esse; si enim filii adoptivi sunt, heredes etiam esse debent: neque possunt statim in regnum coelorum introire; *nihil enim coinquinatum intrabit in regnum* illud. Restat ergo, ut aliquandiu ab ea macula pur-

purgentur. Porro si justi in hac vita possunt alter alterum suffragiis, et orationibus juvare; quidni ergo possint viventes justi mortuos adjuvare, cum pro istis, utpote Deo magis gratis; multo magis acceptae esse debeant orationes, et suffragia vivorum?

Prob. 2a. *pars.*, quae evidenter sequitur ex prima, licet definita non sit ut dogma fidei 1.° ex praxi universae Ecclesiae, contra quam disputare insolentissimae insaniae est, ut inquit Augustinus *Ep.* LV. *al* CXVIII. 2.° Si possunt privati fideles, ut supra demostratum est, defunctos adjuvare orationibus, suffragiis, sacrificio, quod quidem nihil aliud est nisi offerre Deo pro defunctis satisfationes Christi, et sanctorum; a fortiori id potest universa Ecclesia, seu Ecclesiae ministri, quibus thesaurus satisfactionum Christi, et Sanctorum concreditus est. Atqui hoc ipsum est indulgentias pro defunctis concedere. Non enim dicimus, indulgentias ad modum absolutionis dari defunctis, in quos Ecclesia jurisdictionem non habet, sed per modum suffragii, offerendo scilicet Deo pro defunctis satisfactiones Christi, et sanctorum, quae oblatio non potest non placere Deo, cui maxime gratae sunt animae justorum, qui in gratia obierunt, ac proinde animabus ipsis plurimum prodesse. Ergo. etc.

Objectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Scriptura nos edocet, justorum animas beata frui pace, ac requie. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis Apoc.* XIV. 13. *Et Sap.* IV. 7. *justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Commentitius ergo est ille defunctorum cruciatus, et ignis, cui mitigando captantur eleemosynae, et venditantur indulgentiae tanto scandalo, ut hac occasione magna pars Europae ab Ecclesia discesserit.

℟. *Neg. cons.* Triplici enim ex capite justorum animae in refrigerio, ac requie esse dicuntur post mortem; 1.° quia ab aerumnis vitae hujus liberatae sunt; non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus; 2.° quia si in charitate perfe-

cta decesserunt, statim in beatam requiem ingrediuntur. 3.° quia licet iis aliqua poena luenda sit in *Purgatorio*; tamen quia jam de sua sorte securae sunt, nec amplius excidere possunt a jure aeternae hereditatis, in ipsis cruciatibus gaudent multo magis, quam gaudebat Apostolus, cum dicebat: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, quia multo puriori, et defecatiori charitate incensae, voluntati divinae sine ulla carnis rebellione subjectae sunt. Si qui autem abusus ex humana infirmitate in adjuvandis defunctorum animabus irrepserunt; eos non probat, sed extirpandos praecipit Ecclesia, a qua stulte discesserunt, qui privatorum vitiis offendebantur.

Objic. II. Communis est S. Patrum doctrina, post hanc vitam nullum esse satisfactioni locum. Sic Cyprianus (*cont. Demetrium*) *Quando isthinc*, ait, *excessum fuerit, nullus iam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus*. Similia docent Ambrosius *Lib. de bono mortis cap.* 2. Chrysostomus *Homil. II. de Lazaro*, aliique Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent Patres, nullum esse post hanc vitam locum poenitentiae, aut satisfactioni pro peccato mortali. *conc.* Pro venialibus maculis, aut reliquiis peccatorum, *neg.* Contrarium enim passim affirmant, ut supra vidimus.

Objic. III. Quamvis Graeci a Latinis dissentiant de *Purgatorio*, tamen in Concilio Florentino habiti sunt catholici. Ergo saltem dogma fidei non est.

℟. *Dist. ant.* Dissentiunt quoad rem ipsam, sive quoad substantiam, *neg.* Quoad adjuncta, sive accidentia, *conc.* Fatentur itaque Graeci, *Purgatorium* esse, animasque ibi detentas suffragiis juvari, ex eorum Liturgiis, in quibus suum habet locum commendatio mortuorum, et ex Synodis apud ipsos Graecos schismaticos habitis contra *Cyrillum Lucarem* Calviniana lue infectum. Sed dubitant de loco, et qualitate cruciatus, hoc est utrum vero ibi igne torqueantur animae piorum, propter quam dubitationem, quae ad fidem non pertinet, non poterant in Florentino damnari.

Objic.

Objic. IV. Ecclesia non habet in mortuos jurisdictionem, quod enim aliquando legimus, mortuos excommunicatos, vel ab excommunicatione absolutos, nihil aliud est, nisi declaratio, qua judicatum est, illos mortuos esse Ecclesiae rebelles; aut obedientes; ideo, quo prohibentur viventes, aut eisdem permittitur, cum illis communicare orationibus, et suffragiis. Atqui concessio indulgentiarum actus jurisdictionis est, ut supra observavimus: imo ipsi Summi Pontifices concedentes pro defunctis indulgentias affirmant, se id facere ex *potestate Clavium.* Ergo non potest extendi ad mortuos, nisi ex inutili clavium abusu.

℟. *Dist. min.* Est actus jurisdictionis, qui diverso modo exercetur pro diversitate *subjecti*, *conc.* Secus, *neg.* Concedunt ergo Pontifices ex *potestate clavium* indulgentias, quae quidem viventibus prosunt ad modum absolutionis, defunctis vero ad modum suffragii; quatenus scilicet Ecclesia Deo offert Christi, et Sanctorum satisfactiones, et merita pro animabus justorum. Hac responsione multae hac de re difficultates evanescunt.

Corollaria.

Quamvis animas in *Purgatorio* patientes indulgentiis adjuvari certum sit; non est tamen aeque certum, eas statim a purgatorio liberari; pro quibus *plenariae* indulgentiae conceduntur, ut in altaribus, quae dicuntur *privilegiata*, et aliis passim *plenariis* indulgentiis. Cum enim indulgentiae defunctis prosint ad modum suffragii, ad divinam sapientiam, et bonitatem pertinet suffragia illa eo modo accipere, quem magis gloriae suae expedire viderit. *Cajetanus* quidem ait, eas justorum animas magis indulgentiis juvari, quae in vita magis Deo satisfacere, et pro se ipsis, et pro animabus defunctorum, studuerunt. Quae sententia licet Suaresio *Disp.* LIII. Bellarmino *Lib. I. cap.* 14. aliisque videatur singularis, est tamen doctrina S. Thomae 3. *P. Q.* LII. *art.* 8. qui docet, in Christi descensione ad inferos eas tantum animas statim e *Purgatorio* liberatas, quae vel plene purgatae erant, *vel dum adhuc vive-*

viverent, meruerunt per fidem, et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur a temporali Purgatorii poena; et a pluribus recentioribus passim defenditur. Id ergo certum est, valde esse incertum, utrum statim e Purgatorio liberentur animae, pro quibus plenariae indulgentiae conceduntur; quae quidem non alio sensu plenariae dicuntur, nisi quia Ecclesia, quantum in se est totam iis poenam a Deo condonari optat, et orat, si tamen Deo placuerit.

C A P. V.

De divisione Indulgentiarum.

Adv. I. Indulgentiarum varia est species, et natura. Dividuntur enim 1.° in indulgentias pro vivis tantum, et eas, quae ad mortuos etiam extenduntur. 2.° In temporaneas, et perpetuas. 3.° In *partiales*, et *plenarias*, inter quas principem habet locum *Jubilaeum*. Pauca igitur hic observanda sunt de indulgentiis *partialibus*, *plenariis*, et *Jubilaeo*, cum de reliquis nulla sit difficultas.

II. *Partiales* indulgentiae inductae sunt, ut remissio partis alicujus canonicae poenitentiae, *ex. gr.* aliquot dierum, mensium, annorum, et ex consequenti (ut supra observavimus) etiam poenae temporalis coram Deo solvendae, quae parti illi canonicae poenitentiae respondeat. Sed cum canones numquam poenitentiam producendam constituant nisi ad annos *ex. gr.* septem, decem, viginti, aut ad summum ad totam hominis vitam; circumferuntur tamen indulgentiae quaedam centum, mille, imo et viginti, aut triginta millium annorum. *Quae indulgentiarum liberalitas*, inquit Estius *in* IV. *Dist* XX. §. 10. *commentitia, et Sedi Apostolicae minime adscribenda est, cum in nullis Apostolicis litteris inveniatur.* Potest tamen, ut advertit *Habert*, numerus ille annorum, quantumvis enormis, recto sensu intelligi, atque defendi pro remissione scilicet

licet tantae poenae, quae nonnisi per tot annorum millia redimi posset; et certe si ob unum peccatum viginti annorum poenitentia imponebatur aliquando a canonibus, quanta imponenda fuisset ei, qui multis millibus ejusmodi sceleribus se foedaverit?

III. *Plenaria* indulgentia est remissio totius poenae temporalis coram Deo exsolvendae. Sed in plenariis indulgentiis Ecclesia quidem quantum in se est totam condonare poenam intendit, et optat; si modo fideles rite dispositi indulgentiam consequi satagant. Est autem una ex dispositionibus, ut supra diximus, efficax desiderium, ac propositum satisfaciendi, quantum humana patitur infirmitas, ex quo fit, ut rari *plenarias* indulgentias consequantur integras.

IV. *Jubilaeum* est *plenaria* indulgentia, sed nonnullis aucta privilegiis, quae in aliis *plenariis* indulgentiis concedi non solent. Primus *Bonifacius VIII.* anno MCCC. *Jubilaeum* concessit iis, qui Sanctorum Basilicas Romae visitaverint, statuitque ut centesimo quoque anno rediret. Deinde *Clemens VI.* habita ratione brevitatis humanae vitae, ex qua fiebat, ut multi *Jubilaeum* numquam viderent, constituit anno MCCCL. ut quinquagesimo quoque anno celebraretur. Rursus *Urbanus VI.* anno MCCCLXXXIX. decrevit, ut ad memoriam triginta trium annorum, quibus vita Christi durasse creditur, quolibet trigesimo tertio anno *Jubilaeum* recurreret. Tandem *Paulus* II. anno MCCCCLXX. ad viginti quinque annos coarctavit Jubilaeorum intervallum, quam constitutionem a *Sixto. IV.* anno MCCCCLXXIII. confirmatam servat Ecclesia.

Est autem *Jubilaei* nomen ab Hebraea voce *Jobel*, quae remissionem significat. Sicut enim ex lege Mosaica Hebraei quinquagesimo quoque anno a debitis omnibus absolvebantur, ad fundorum suorum possessionem, si eos ex necessitate vendidissent, redibant, servique libertatem recuperabant; sic Ecclesia in *Jubilaeo* fidelibus debita omnia remittit, a servitute peccati liberat, eisque restituit merita, quae per peccatum amiserant; meritoque propterea annus ille sacer, sive *Sanctus* appellatur. Incipit autem Jubilaeum a vesperis Virgiliae Nativitatis Domini, et ad vesperas ejusdem Vi-

Vigiliae insequentis anni clauditur, eo quod in Nativitate Domini aperta peccatoribus janua est indulgentiae, et remissionis. Solent autem Pontifices insequenti anno Jubilaeum extendere ad fideles omnes, quibus Romam pergere in anno sancto commodum non fuit, injunctis operibus unicuique in patria sua exequendis.

Porro privilegia conceduntur, ut fideles facilius indulgentias *plenarias* consequi possint. Ea autem sunt 1.° electio cujuslibet sacerdotis approbati ab ordinario; 2.° facultas in Sacerdote absolvendi ab omnibus peccatis, et censuris reservatis sive Episcopo, sive Pontifici, et commutandi, vel etiam dispensandi vota simplicia (si tamen justa causa sit) exceptis votis castitatis perpetuae, et profitendae religionis.

V. Jam vero solent a Pontificibus vel in ipsa sua inauguratione, vel ob aliam gravem, atque publicam Ecclesiae causam, concedi *plenariae* indulgentiae ad *instar Jubilaei*; quae scilicet iisdem augentur privilegiis, quibus *Jubilaeum*, similiaque habent injuncta opera. Ceterum in omnibus his diligenter verba Pontificii diplomatis, sive *Bullae* inspicienda, ac ponderanda sunt, ne aut fideles errent in peragendis injunctis operibus, atque ita indulgentia frustrentur, aut Sacerdotes in absolvendo.

Praeter veteres Theologos, S. Thomam, S. Bonaventuram aliosque in *IV. Sententiarum Librum*, scripserunt post natas haereses de indulgentiis fusius Joannes Ekius in *Enchiridio Cap.* 24. Silvester Prietas *Lib. cont. Luth.*, et in *Summa Verb. Indulgentia*. Hadrianus VI. *Tract De indulgentiis*; Cardinalis Cajetanus *Tom. I. Opusculor.* Joannes Roffensis in *Refutatione artic. Lutheri.* Dominicus Soto *in. IV. Dist.* 21. Jacobus Latomus in *Defensione septimi artic. Lovaniensium.* Michael Medina *Disputat. De indulgentiis.* Martinus Navarrus in *Commentario De Jubilaeo*, et *indulgentiis.* Gregorius Valentia in *Lib. De indulgentiis.* Maldonatus *De indulgentiis.* Morinus in *Lib. de Poenitentia.* Arcudius *De Purgatorio.* Allatius *De perpetua Eccl. Orient.*, *et Occident. doctrina de purgatorio.* Vallemburg. *De purgatorio.* Bellarminus, aliique Polemici.

DISSERTATIO II.

DE CENSURIS.

Ex Elementis Hyacinthi Stampò.

Ad extremum restat, ut et de censuris Ecclesiasticis disseramus, quae quidem tum ad alia vitae moralis officia tum ad Sacrementum Poenitentiae rite administrandum, valde necessaria tractatio est. Sed cum variis rationibus, quas commemorare longum esset, et inutile, non putaverim, eam hic adjicienda esse de meo, idcirco ne, ut ille ait, tamquam ab inerti poeta postremus actus vel omnino praeternissus, vel neglectus esse videretur, ex Elementis *Hyacinthi Stampò*, omnium jam judicio comprobatis, eum tractatum de integro mutuatus sum, ut et ego meis consiliis uterer, ne hanc tractationem ingenio, ac marte meo concinnarem, et ii, qui nostra legere hucusqae non sunt dedignati, spe sua se fraudatos esse minime quererentur.

CAP. I.

De Censuris in Communi.

§. I.

Quid, et quotuplex sit Censura.

Q. I. *Quid sit Censura?*

Censura est *poena spiritualis, et medicinalis, qua homini baptizato delinquenti, ac contumaci quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec a contumacia recedat.*

Prob. ac simul explicatur definitio. Censura dicitur 1.° *Poena*, quia supponit culpam.

2.°

2.° *Spiritualis*; ob bona spiritualia, quibus privat. Quod si aliquando, ut in excommunicatione, privet etiam bono aliquo temporali, puta conversatione cum fidelibus, id tantum fit secundario, et quatenus ordinatur ad bonum spirituale.

3.° *Medicinalis*; quia praeter punitionem, ad emendationem infligitur.

4.° *Qua homini baptizato*; quia Ecclesia in solos fideles baptizatos suam potestatem jure exercere valet.

5.° *Delinquenti*, *ac contumaci*. Censurae enim non feruntur, nisi in delinquentes, et contumaces, ut ad obsequium Ecclesiae revertantur.

6.° *Quorumdam spiritualium bonorum*, eorum nempe, quorum dispensatio Ecclesiae commissa est: ut sunt publica suffragia, sacramenta, sacrificia etc. Non autem auferentur bona illa, quae dicuntur proprie, et mere interna, ut character, potestas Ordinis, gratia, aliaeve virtutes infusae, quae cum censura componi possunt.

7.° *Usus aufertur*, Bona enim spiritalia auferri possunt vel quod ad usum, ut in suspensione, et interdicto; vel quod ad jus, ut in excommunicatione; vel demum quod ad rem ipsam, vel ejus usum, ut in depositione, et degradatione, quae de se in perpetuum privant, vel re ipsa, vel ejus usu, *ex. gr.* exercitio sacrarum functionum.

8.° Denique illae particulae, *donec a contumacia recedat*, denotant, censuram intentione Ecclesiae perpetuam non esse, cum reus statim ac resipuerit, a superiore absolvi debeat. Quod liquido constat ex *Cap. I. de Sentent. excomm. in* 6. ubi *Innoc. IV.* de excommunicatione in hunc modum loquitur: *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis*; *disciplinans, non eradicans*; *dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.*

Q. II. *Quotuplex sit Censura?*

R. Est triplex, scilicet *Excommunicatio*, *Suspensio*, et *Interdictum*, ex *Cap. Quaerenti* 20. *de verbor. significat.* ubi *Innocentius III.* interrogatus de censuris, illas tantum tres species enumeravit.

Hinc colliges 1.° irregularitatem etiam ex delicto, depositionem, et degradationem inter Censuras non computari; cum non sint poenae medicinales, quae post emendationem delinquentis auferri debeant, sed natura sua perpetua sint, quae non auferuntur, nisi per solam dispensationem. 2.° Concessa facultate absolvendi a censuris, non intelligi concessam facultatem dispensandi ab Irregularitatibus, nisi exprimatur, cum sint facultates diversae.

Dividitur haec censura 1.° in eam, quae est *a jure*, et in eam, quae est *ab homine*. Illa fertur per modum legis, seu statuti generalis, ac perpetui, quae durat usque dum lex abrogatur, ut sunt censurae Conciliorum decretis latae, et in jure Canonico scriptae: haec vero per modum praecepti fertur ab aliquo singulari Superiore, et eo mortuo, vel jurisdictione privato, corruit, si non sit contracta; si vero contracta sit, durat etiam ablata vel suspensa superioris jurisdictione, donec obtineatur absolutio. Praeterea censura a jure semper generalis est; quae vero est ab homine, potest esse vel generalis, vel particularis, seu lata contra aliquas personas determinatas. Addunt et tertium discrimen inter utramque censuram, quod nimirum censura a jure non intelligitur reservata, nisi in Canone exprimatur: ea vero quae ab homine est, praesertim per sententiam particularem, semper intelligitur reservata; sed de hoc alias.

Dividitur 2.° in Censuram *latae*, et *ferendae sententiae*. Prior ipso facto, seu criminis commissione, ante judicis sententiam ligat: posterior non ipso facto incurritur; sed post peccatum commissum per judicis sententiam infligi debet. Regula utriusque discernendae haec est. Si censura exprimatur per verba temporis praeteriti vel praesentis, est latae sententiae: Si vero per verba temporis futuri, ferendae sententiae est: nisi significetur futurum instantaneum.

Hinc resolves, latae sententiae censuram reputari, si Superior dicat: *Qui hoc fecerit, noverit, se esse excommunicatum*, vel *excommunicationem incurrisse*; quia haec verba indicant tempus praeteritum. Item si dicat: *Excommunicantur, suspenduntur, interdicuntur*

tur; quia hae voces denotant tempus praesens. Item si dicat: *Subjaceat excommunicationi*, *incidat in excommunicationem*, *maneat suspensus*; quia hae formulae imperativi modi non diriguntur ad judicem, nec ejus actionem inquirunt.

Contra vero ferendae sententiae esse censuram, si Superior his verbis utatur: *Excommunicabitur*, *suspendatur etc.* quia sunt voces futuri temporis. At si verbis etiam de futuro, quibus exprimitur censura, addatur una ex his particulis; *ipso facto*, *ipso jure*, *ex tunc*, *mox*, *protinus*, *continuo*, *confestim etc.* latae sententiae erit censura; quia hae particulae clare indicant, ad incurrendam censuram nullum exigi judicis officium. In dubio autem, an censura sit latae, vel ferendae sententiae, censenda est ferendae; quia in poenalibus dubium benigne est interpretandum. Denique an haec formula, *anathema sit*, latae sententiae censuram contineat, disputant Theologi: communiter docent esse latae, praesertim si sit contra haeresim.

Haec autem latae, ac ferendae sententiae distinctio veteribus in antiquo jure ignota fuisse, videtur *Gersonio*, *Espenio*, *Florentio*, aliisque, qui censuras omnes olim nonnisi ferendae sententiae putant, quas nimirum, constito crimine, judicio Pastorum lato, subirent rei; nam constito crimine, poena quidem imminebat, non tamen ferebatur. Addit *Gerson*, id esse discriminis inter latae, ac ferendae sententiae, quod ea statim percelleretur, qui summarie convictus, vel confessus in judicio fuerit: ad alteram vero praecedere potestas judicialis cum omni juris solemnitate deberet.

Potius illa usitata veteribus distinctio erat Excommunicationis medicinalis, ac mortalis: illa poenitentes, hac pertinaces, et obfirmati plectebantur. Sed de singulis infra ad calcem.

Dividitur 3.° in Censuram justam, et injustam: *Justa* dicitur ea, quae fertur secundum leges, ac formas juris praescriptas: *Injusta*, cui haec desunt, vel quae sinistra fertur intentione.

Q. III. *An omnis Censura injusta sit etiam nulla?*

R.

R. *Cum Dist.* Si censura sit, ut loquitur *D. Thomas in IV. Dist. XVIII. q.* 2. *art.* 2. *de Excommunicatione injusta ex parte Excommunicantis, sicut cum ex ira, vel odio excommunicatio nihilominus habet effectum suum.* Hoc idem locum habet, si sine necessitate accidentalem juris ordinem praetermittat. Hinc qui in eo statu actum sacri Ordinis exercet, poenas Canonum incurrit, et irregularis efficitur; ut communis omnium consensus testatur, neque hac de re dubium esse potest, ait *Sayrus Lib.* 10. *cap.* 17. *n°* 5. De hac injusta censura, quae tamen valet, intelligenda est praeclara haec *Gregorii Magni* sententia *Hom.* 29. in Evangelia: *Sed utrum injuste, an juste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est.*

Si vero Censura sit injusta defectu caussae sufficientis ex parte excommunicati, vel quia falso supponitur reus criminis, quod censuris castigatur; vel quia censura lata est, non servatis essentialibus formulis a jure praescriptis: tunc censura nulla est. Quia sicuti caussa est tantum apparens, ita et censura, nec potest, nec vult Ecclesia punire innocentes. Hinc communiter contra *Navarrum* docent, innocentem, contra quem lata fuit injusta censura, ex suppositione nimirum falsi criminis, licite posse privatim, et secluso scandalo, actus, quibus prohibitus est, exercere. Secus publice, et cum scandalo in legitimi superioris contemptum, ob quem mereretur justa percelli censura.

§. II.

De Censurarum Latore, et Subjecto.

Nota I. Potestatem infligendi censuras a *Wicleffo* impetitam, Concilium Constantiense anno 1414. *Sess. VIII. et IX.* Ecclesiae vindicavit, damnatis aliquot hoc in genere ejusdem nequissimi hostis articulis. Eadem Ecclesiae facultas agnoscitur in Trident. *Sess. XXV. cap.* 3. in decret. *de reform.* ubi *nervus Ecclesiasticae disciplinae, ad continendos in officio populos, valde salutaris excommunicationis gladius* nuncupatur.

Nota II. Certum est, potestatem ferendi Censuras immediate a Christo Domino originem habere, ut colligitur ex verbis ipsius Christi *Matth. XVIII* 18.: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo*: ubi Ecclesiae Praelatis, Apostolorum successoribus datur omnis potestas expediens ad bonum animarum, et rectum Ecclesiae regimen, ad quod pertinet potestas non solum ferendi leges, verum etiam delinquentes, ac contumaces puniendi, ac coercendi, privando eos communibus Ecclesiae bonis.

Nota III. Quamvis haec facultas infligendi censuras, seu spiritualibus poenis coercendi Ecclesiae rebelles, immediate a Christo sit; ipsa tamen censurarum institutio quoad species, et formam, est humana; quia nusquam legimus, censuram aliquam per se, et immediate esse a Christo institutam.

Hinc recte colligimus, 1.° nullum esse peccatum, cui jure divino adnexa sit censura; 2.° censuram quod ad formam, et species esse mutationi obnoxiam. Sed nullus, praeter Romanum Pontificem, potest in jam obfirmata censurarum disciplina aliquid immutare. His positis, videndum nunc, quinam in Ecclesia facultatem habeat infligendi censuras.

PROPOSITIO I.

Omnis, et solus Superior ecclesiasticus habens in foro externo jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, potest ferre Censuras.

Prob. ex verbis Christi Domini supra adductis: *Quaecumque alligaveritis etc.* ut et ex iis aliis paulo ante a Christo prolatis: *Si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*: idest segregatus ab omni commercio fidelium, et suffragiorum participatione privatus; quemadmodum infidelis ab omni commercio cum Christianis in rebus ecclesiasticis sejunctus est. Unde sic arguitur: haec verba, quae potestatem infligendi censuras adstruunt, eam exteriori Ecclesiae foro attribuunt. Ergo hi tantum censuras ferre valent, qui exteriori Ecclesiae foro praesunt. *An-*

Antecedens prob. Agitur hic de poena spirituali, quae contumacem delinquentem ligat, sed non nisi post factam Ecclesiae denunciationem; quaeque ita sit publica, ut qui eam incurrerit, ut publicanus sit habendus. Atqui poena spiritualis, quae denunciationem Ecclesiae requirit, et publica est, nonnisi in exteriori foro intelligi potest. Ergo hi tantum, qui jurisdictione ordinaria, vel delegata huic foro Ecclesiae praesunt, eam ferre possunt. Hoc idem etiam colligere licet ex *Cap. Cum ab Ecclesiarum* 3. *de Officio Judicis ordinarii.*

Potestatem autem ferendi jure ordinario censuras respectu universae Ecclesiae habet summus Pontifex, et Concilium generale: Episcopus in subditos proprie dioecesis: Concilium provinciale in suam provinciam. Item Praelati Regulares hanc potestatem habent juxta cujusque Ordinis leges, et consuetudines. At Parochis haec facultas communiter denegatur.

Delegatam habent omnes et soli Clerici, quibus fuit legitime concessa ab habente ordinariam. Docent plures, Summum Pontificem posse potestatem ferendi censuras conferre homini laico, non vero feminae, quae est omnino incapax ecclesiasticae jurisdictionis, adeoque censurae ferendae.

Nota. Ecclesiae praelati eo jure censuras ferre possunt, quo jure subditis praesunt. Hinc Rom. Pontifex, Concilium generale, Episcopi, qui jure divino praesunt, eodem jure censuris ligare valent. Eis vero, qui ecclesiastico tantum jure habent jurisdictionem, jure solum ecclesiastico convenit potestas ferendi censuras in eos, quos ipsis Ecclesia subjecit.

Q. *Quinam a censuris absolvere valeat?*

℟. Quilibet Sacerdos approbatus potest a censuris absolvere. Ita communiter ex *Cap. Nuper* 19. *de Sentent. excommunicat.* ubi *Innocentius III.* ait: *Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Confer huc dicenda in *Tract. de Poenitentia* de facultate absolvendi a reservatis.

Nota. A censura ab homine lata per sententiam particularem contra determinatam personam, ille tantum ab-

absolvere potest, a quo fertur, vel ejus successor, vel superior, vel delegatus. Secus de censuris latis ab homine per modum sententiae generalis; puta si dicatur: *Sint excommunicati, qui tale delictum commiserint etc.* non determinando personas, possunt absolvi a quolibet Confessario, nisi sint reservatae. Quia hujusmodi censurae se habent ad modum censurae latae a jure, nullo alio discrimine habito, nisi quod latae ab homine cessant morte Superioris illas infligentis.

PROPOSITIO II.

Censurae subjectum est quilibet homo viator, qui fuerit baptismate initiatus, ac doli capax.

Prob. 1a. pars. Censurae subjectum est *quilibet homo viator*. Nam cum censura feratur ad resipiscentiam, ejusdem non potest esse capax, nisi homo viator. Hinc sequitur, 1.° Censuris non subjici daemones, utpote resipiscentiae incapaces; 2.° Bruta, utpote nequaquam libera, 3.° Mortuos, utpote incapaces emendationis, et Ecclesiae foro non amplius subjectos. Hinc contra daemones, et animalia nociva, Ecclesia exorcismis, non vero censuris uti consuevit. Mortui vero aliquando in Ecclesia excommunicantur, at non proprie, et directe, sed indirecte, quatenus prohibentur fideles, ne eos in loco sacro sepeliant, nec pro iisdem suffragia offerant.

Prob. 2a. pars. Ut sit *baptizatus* Nam qui sunt extra Ecclesiam, ejusdem legibus non sunt subjecti; Ecclesia enim *non judicat de iis, qui foris sunt I. ad Cor. V.* 12. Et Pagani *constitutionibus canonicis non arctantur*, ut fatetur *Innoc. III.* in *Cap. Gaudemus* 8. *de Divortiis.* Hinc censurae ferri nequeunt in Cathecumenos, et multo minus in Judaeos, et Infideles, qui per baptismi januam in Ecclesiam non sunt ingressi: secus in haereticos, qui ab Ecclesia pendent propter baptismum.

Prob. 3a. pars. Ut sit *subditus.* Potestas ferendi censuras est actus jurisdictionis. Atqui ejusmodi actus exer-

exerceri non potest, nisi in subditos; tum quia par in parem, aut superiorem, nullum habet imperium; aut jurisdictionem, juxta commune effatum. tum quia subjectio, et jurisdictio sint invicem correlativa. Ergo etc.

Hinc 1.° excepti a jurisdictione Ordinarii per privilegium a Papa concessum, ut sunt Regulares exempti, censuras non incurrunt in casibus, in quibus exempti sunt; secus vero in casibus, in quibus Episcopali potestati subjiciuntur: ut si praesumat absolvere a reservatis, vel saecularium confessiones excipere, sine Ordinarii approbatione, et facultate.

Hinc 2.° Subditus delinquens extra dioecesim ligantis, censuram non incurrit, si lata sit per modum statuti. Quod profecto liquido constat ex *Cap. Ut animarum* 2. *de Constitution. in* 6 ubi et ratio adnectitur per haec verba: *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Secus vero, si censura lata sit per modum praecepti transitorii: puta si Episcopus Clerico peregrinaturo sub poena suspensionis ludum alearum prohibeat. Ratio disparitatis est, quia satutum afficit territorium, pro cujus recta gubernatione fertur, neque extra illud obligat: Sententia vero est praeceptum, quod immediate tendit ad personas subjectas, eisque cohaeret, quocumque terrarum discesserint. Peregrini delinquentes in alieno territorio contrahunt censuras latas per modum statuti. Ita multi contra multos; quia probabilius peregrini subjiciuntur legibus territorii, in quo versantur ratione suae personae in eo existentis: Ergo et censuris, quae harum legum violationi adnexae sunt.

Prob. 4a. pars; Ut sit *doli capax* qui censuris ligari debet: alias non esset culpae, et emendationis capax.

Hinc neque perpetuo amentes, neque pueri ante rationis usum sunt censuris obnoxii: quia nequeunt peccare.

Impuberes subjiciuntur censuris non solum a jure, ut patet ab excommunicatione ob ingressum in monasterium Monialium, et ob percussionem Clerici; sed etiam ab homine. Communiter tamen eximuntur ab excommunicatione, et reservatione.

§. III.

De materia, forma, et effectibus censurarum.

PROPOSITIO I.

Materia censurae saltem totalis est peccatum grave, externum, contra praeceptum Ecclesiae contumaciter admissum.

Prob. 1a. pars. Censura poena gravissima est, cum privet magnis bonis spiritualibus. Atqui poena debet respondere culpae; alias esset injusta. Ergo imponi nequit, nisi ob culpam gravem. Unde in *Can.* 41. *Caus.* 11. *qu.* 3. dicitur: *Quia anathema est aeternae mortis damnatio, nonnisi pro mortali debet imponi crimine, et illi, qui aliter non potuerit corrigi.*

Dixi, *totalis.* Nam censurae minores, ut excommunicatio minor, suspensio ad breve tempus ab aliquo officii usu, et interdictum particularis personae ad breve intervallum ex communi Doctorum sententia possunt ob culpam levem infligi.

Nota hic: Si materia tum in se, tum spectatis omnibus circumstantiis sit levis, non potest sub gravi censura prohiberi. Verum si materia levis in se, sed fine, et circumstantiis sit magnopere gravis, tunc si a Superiore prohibeatur sub expresso praecepto, censura adjecta illius transgressioni justa est. Hinc Praelati sub majori excommunicatione sibi reservata locutionem prohibent cum Monialibus: etiam de se ceteroqui licita, ob periculum, ne sacrae Virgines a divino servitio avertantur.

Prob. 2a. pars. Ut sit *externum* Nam censura licet sit poena spiritualis, infligitur tamen in exteriori Ecclesiae foro. Atqui Ecclesia in foro exteriori non judicat de mere internis, et quae nullo signo exteriori manifestantur. Ergo etc. *Nobis*, ait *Innocentius III.* in *Cap. Tua nos* 34. *de Simon. datum est de manifestis tantummodo judicare.* Nam de internis judicat ille, *qui scrutator est cordium, et cognitor secreto-*

rum,

rum, idem *ibid.* Atque hinc manarunt haec juris axiomata: *Non habent latentia peccata vindictam*, *Cap. Christiana* 23. *Caus.* 33. *q.* 5. Et *cogitationis poenam nemo patitur*, *Cap. Cogitationis* 13. *de Poeniten. Dist.* 1.

Hinc inferes, ob haeresim mere mentalem, nullo signo externo manifestatam, censuram non contrahi: secus, si homo eam manifestaret, tametsi solus in cubiculo clausus, sejunctus ab hominum consortio; quia tunc haeresis esset utique occulta, sed simul sensibilis, et externa.

Item peccatum exterius, propter quod censura infligitur, debet esse in suo genere consummatum; tum quia lex non obligat, nec operatur ultra intentionem legislatoris verbis expressam; tum quia odia restringi decet.

Hinc Neapoli non incurrit in reservatam excommunicationem latam contra patrantes homicidia, et mutilationes membrorum in Ecclesiis, qui animo occidendi, vel mutilandi, hominem graviter vulneravit; nisi mors, vel mutilatio sequatur, secus, quando in lege aliud exprimatur. Si enim lex declaret, se velle punire conatum, et quamlibet malitiam attentatam, jam non est necesse, ut peccatum in eo genere sit consummatum. Sic excommunicatio reservata incurritur a provocantibus aut acceptantibus duellum, etiam pugna non secuta.

Item censura contra executores criminis lata, mandantes, vel consulentes non comprehendit, nisi in lege sint nominati. Ita omnes ex communi illo principio, odia in puris poenalibus esse restringenda.

Prob. 3a. *pars*; Ut sit *contra praeceptum Ecclesiae contumaciter admissum*. Nam censura ecclesiastica ad contumaciam, et rebellionem contra Ecclesiam reprimendam est constituta, juxta illud *Matth. XVIII.* 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Ergo culpa, quae censurae subjacet, debet esse contra praecepta Ecclesiae cum contumacia, et ideo *Innocentius III. Cap. Ex parte* 23. *de V. S.* ait: *Quia citatus stare noluit juri . . . quia jussus maleficium noluit emendare.*

Hinc

Hinc ob peccatum mere praeteritum non potest ferri censura, nisi tractum successivum habeat; vel quia reus in eo perseveret, vel ut cogatur scandalum tollere, aut per congruam satisfactionem injuriam resarcire. Ideoque censura ferri debet pro inobedientia, vel contumacia saltem virtuali, et interpretativa, quatenus delinquens scit, nec tamen curat Ecclesiam prohibentem sub censura.

Q. *Num pro ferenda censura requiratur culpa, et contumacia propria, an sufficiat aliena?*

℟. Ad incurrendam excommunicationem majorem requiritur culpa, et contumacia propria; cum sit poena omnium gravissima; ad incurrendum vero interdictum generale, et suspensionem non personalem, sufficit peccatum grave alterius; qui tamen sit caput Communitatis.

PROPOSITIO II.

Forma censurarum sunt ritus, seu conditiones, quas jura, et consuetudo praescripsere.

Prob. ex *Cap. Constitutionem de Sent. excomm. in 6.* et ex *Cap. Cum medicinalis* i. *eod. tit.* ubi *Innocentius IV.* formam, et ritus ferendi censuras praescribit: nempe 1.° ut praecedat canonica monitio, id est trina juxta canones; vel si adsit gravis caussa, una pro tribus, dummodo pro tribus valitura esse exprimatur, *ex. gr. Moneo te pro tribus vicibus.* 2.° Ut ex scripto recitetur. *Quisquis igitur excommunicat excommunicationem in scriptis proferat*, dicitur in laud. *Cap.* 1. 3.° Ut caussa censurae exponatur. 4.° Ut reo petenti exemplum, seu ut ajunt, copiam ejusmodi scripturae, infra mensem tradatur; alioquin judex ipse suspenditur a divinis officiis

Q. I. *An recensitae conditiones omnes sint necessariae ad valorem censurae?*

℟. *Neg.* et dico 1.° ad incurrendam censuram, quae lata est per modum statuti, seu legis, vel ab homine per sententiam generalem contra actum futurum, non requiri aliam monitionem, quam promulgationem ipsius,

ipsius legis. Lex enim cum sit publica et permanens, semper satis per se monet, ex Cap. 26. de Appellat. ideoque si hujusmodi censurae sint latae sententiae, ipso facto in eas incurritur, etiamsi occultum sit delictum. Si vero censura a jure sit ferendae sententiae, praeter monitionem quam ipsa legis promulgatio complectitur, antequam in transgressorem feratur censura, requiri aliam monitionem, docent non pauci.

Dico 2.° ad contrahendam censuram; quae specialiter fertur ab homine pro satisfactione, aut emendatione peccati praeteriti, requiri omnino praeviam monitionem. Nam ferri censura nequit, nisi in contumacem: contumax autem esse nequit, nisi sit admonitus. Ergo etc.

Dico 3.° Ceteras *formalitates*, quas vocant; seu conditiones, quae in *Cap. Cum medicinalis*, sub gravi poena praescribitur, necessarias esse ad accidentalem sollemnitatem, secus ad substantialem valorem censurae. *Probatur.* Quia ad censurae valorem nullo jure praescribitur certa forma. Hinc valet censura, cum judex sufficienter manifestat suam voluntatem, et speciem censurae, quam infert. Quare valida est censura, licet illicita, si caussa, quae tamen revera existat, non exponatur; si scripto omisso, sola voce proferatur, vel si solis nutibus, aliisque signis externis manifestetur.

Q. II. *Quaenam forma in absolutione a censuris servanda sit?*

℟. 1.° Censuram absque absolutione non auferri constat ex hac proposit. 44. damnata ab *Alexandro VIII. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessant censurae.*

℟. 2.° Absolutionem a censuris ex natura rei non requirere certam verborum formam; cum non sit sacramentalis; sed posse valide conferri per quaelibet signa, quibus absolutio impendi aperte significetur. Imo apud omnes convenit, validam esse, licet illicitam, absolutionem ab habente potestatem ordinariam datam absenti, vel invito, et male disposito; quia censura cum sit solum poena, potest a Superiore ad libitum valide auferri. Verum censurae absolutio, ut

sit

sit licita, regulariter loquendo, non est impertienda, nisi reo praesenti, et verbis congruis, quae rituales libri praescribunt.

Q. III. *Quinam sint censurarum effectus?*

R. Varios esse, et 1.° quidem censurae privant quibusdam bonis spiritualibus, de quibus Cap. sequenti sermo instituetur: 2.° Obligant in coscientia, ita ut peccent, qui censuris irretiti eas obeunt actiones, a quibus prohibiti fuerint; 3.° Violatio censurae per exercitium sacri ordinis parit irregularitatem.

§. IV.

De Caussis a censura incurrenda excusantibus.

Nota. Caussae ab incurrenda censura excusantes, ad sex capita ab Auctoribus revocari solent; nimirum injustitia caussae, censurae invaliditas, ignorantia, metus, impotentia, et appellatio. De injustitia caussae diximus §. I. Illud porro advertatur, quod id omne, quod excusat a culpa contra praeceptum, eximit quoque a censura, quae sine culpa contrahi nequit.

Praeterea censura dicitur invalida, 1.° defectu potestatis in judice; ut si lata sit in personam non subditam; vel si judex auctoritate careat; aut eam ligatam habeat: 2.° Si subditus appellationem interponat tempore opportuno; 3.° Si judex omittat formam substantialem a jure praescriptam.

Q. I. *An ignorantia excuset a censura contrahenda?*

Nota. Ignorantia multiplex est, juris, facti, et poenae: atque ea dividitur in vincibilem, et invincibilem; in crassam seu supinam, et affectatam.

Ignorantia *juris* laborat, qui ignorat legem prohibentem, vel praecipientem: laborat ignorantia *facti*, qui *ex. gr.* nescit esse Clericum, quem percutit. Ignorantia *poenae* est, cum quis perspectam non habet poenam ei crimini adjectam; *ex. gr.* Scis prohibitam esse Clerici verberationem, et quem verberas esse Clericum; at ignoras huic illicitae percussioni adjectam esse poenam. Porro ignorantia *invincibilis* est, quae superari humana industria non potest; *vincibilis* vero di-

ci-

citur, quae superari potest. Haec ignorantia vincibilis alia est *affectata*, cum quis studiose ignorare vult, quod scire tenetur; alia *crassa*, vel *supina*, cum quis nullam adhibet diligentiam ad investigandum id, quod potest, et tenetur scire. Denique alia est *antecedens*, quae est caussa actus: alia *concomitans*, quae non est caussa actus, et sine qua actus fieret. Ut quando aliquis ita odio affectus est contra Clericum, ut occidens hominem, quem Clericum esse ignorat, illum tamen occideret, si Clericum agnosceret. His animadversis:

Dico 1.° *Ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, sive poenae, excusat ab incurrenda censura.*

Prob. I. Quia ipso jure ignorantes censuris non ligantur, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, aut supina. Ita expresse edicitur in *Cap. 2. de Constitution. in 6. Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, nolumus ignorantes ligari: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.*

Prob. II. Quia ad contrahendam censuram necessaria est contumacia, et culpa mortalis. Atqui ubi est ignorantia invincibilis, saltem alterutrum deest. Ergo etc.

Ex his colliges 1.° eum, qui occidit Clericum in silva, quem invincibiliter putabat esse feram, a censura excusari; quia deest culpa, quae necessaria est ad contrahendam censuram.

2.° Eum, qui scit duellum esse jure divino vetitum, ignorat vero invincibiliter legem ecclesiasticam sub censura illud prohibentem, censuram non incurrere; quia deest contumacia, licet peccet contra jus naturale, et divinum.

3.° Eum, qui sciret legem ecclesiasticam prohibentem, *ex. gr.* ingressum in monasteria Monialium, et ignoraret invincibiliter huic ingressui adnexam esse censuram, huic non subjici. Ut enim aliquis censuram incurrat necesse est, ut monitus fuerit saltem a lege sub gravi poena h. e. censura prohibente. Sed qui poenam lege latam ignorat invincibiliter, monitus non fuit a lege, sub gravi prohibente; quia ipsam poenam, seu censuram invincibiliter ignorat. Ergo.

4.°

4.° Eum, qui invincibiliter nescit esse Clericum, quem percutit, immunem esse a censura; quia actio cum non sit voluntaria circa id, quod ignoratur, non potest dici culpabilis, et contumax transgressio legis Ecclesiasticae. Idem docent de ignorantia concomitante, quia pravus affectus non influit in actionem externam, quae revera procedit ab ignorantia.

Dico 2.° *Ignorantia crassa, et supina sive juris, sive facti, sive poenae non excusat ab incurrendis censuris.*

Prob. 1.° ex laud. *Cap.* 2. *de Costitut.* 2.° Quia virtualiter, et interpetrative legem contemnit, qui cum potest, et debet, nulla adhibita diligentia eam investigare conatur. Qua de re ex tali ignorantia peccans, est sufficienter contumax.

Dico 3.° *Ignorantia vincibilis, non affectata, a censura excusat, quando in lege dicitur:* Qui scienter, qui temere, qui audacter id fecerit.

Psob. 1a. *pars.* Hujusmodi clausulis lex majorem notitiam requirit, quam quae in aliis legibus, ubi hae clausulae desiderantur, exigi solet. Ergo violator legis non dicitur, qui ignorantia vincibili, non affectata laborat.

Prob. 2a. *pars.* Ignorantia affectata aequivalet scientiae, et auget potius, quam minuit culpam. Ergo non excusat.

Q. II. *An mētus gravis cadens in virum costantem excuset a censura.*

℟. 1.° Si res, quae fit ob metum gravem, sit prohibita dumtaxat jure ecclesiastico, qui eam fecit, non incurrit censuram. Atque ea est ratio; quia jus ecclesiasticum non obligat cum gravi incommodo. Quare sicut metus iste excusat a peccato, ita etiam potiori jure excusat a censura. Secus, si ex gravi metu quis violaret legem ecclesiasticam, cui adnexa est censura, in contemptum ejusdem legis: *ex. gr.* Si quis cogeretur manducare carnes die veneris sub censura prohibitas in contemtum Ecclesiae, hic et peccaret mortaliter, et censuram incurreret, cum in casu publicum bonum religionis obliget, non obstante quovis privato incommodo. Ergo sicut non est immunis a peccato, ita etiam ne a censura quidem contra hoc peccatum lata.

genda, alioqui se exponeret periculo peccandi, violando censuram actu per eam prohibito. Utraque responsionis pars colligitur ex *D. Thoma Quodlib. IV. art* 14. qui disserit de obligatione vitandi excommunicatos.

CAP. II.

De Excommunicatione.

Nota I. Excommunicatio est censura *privans hominem baptizatum communione fidelium*. In *majorem*, et *minorem* dividitur. Illa omni, haec aliqua tantum communione privat. Hinc excommunicatio absolute prolata semper de majore intelligitur, ut videre licet in *Cap. LIX. de Sent. excommun. Qua poena in Ecclesia nulla major est*, ait *D. Augustinus* in Lib. *de Corrept. et grat. Cap.* 13.

Nota. II. Tres olim in Ecclesia fuerunt species excommunicationis majoris. Prima dicebatur *Excommunicatio. simplex*, altera *Anathema*, tertia *Maranatha*. Simplex excommunicatio, et anathema in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa solo verbo proferebatur; anathema vero majori sollemnitate contra impios, ac scelestos pronunciabatur. Id autem *Maranatha* anathemati addebat, ut excommunicatus solius Dei judicio relictus ab Ecclesiae communione separatus permanere juberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem judicii. Vide Glossarium *Caroli Du-Gange* in verbo *Maranatha*. Hac tertia excommunicationis specie contra Fidei desertores usi sunt Patres Concilii Toletani III. *Can.* 18. *Cui haec fides non placet, aut non placuerit, sit anathema, maranatha in adventum Domini nostri Jesu Christi.*

§. I.

De Excommunicato vitando, ac de Excommunicatione majori.

Nota I. Excommunicatus majori excommunicatione alius est toleratus, alius vitandus. Excommunicatus *vitandus*, seu *non toleratus* est, quem Fideles tenentur vitare; ita ut neque in rebus divinis, neque in civilibus possint cum eo communicare. *Toleratus* vero dicitur ille, quem fideles non tenentur vitare.

Nota II. Omnes olim excommunicati erant vitandi: sed hodie ex Const. *Ad vitanda scandala*, confirmata a *Martino V.* (quam licet Concilio Constantiensi tribuat *S. Antonius*, aliique eum secuti, in hujus tamen Concilii actis non occurrit, sed tantum in Concilio Basileensi convocato an. 1431. *Sess. XX.*) et ex praxi communiter recepta, illi dumtaxat vitandi dicuntur, qui sunt nominatim excommunicati, et denunciati, vel *quos notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse*, velut notorii Clericorum percussores. Ita omnes memoratam Constitutionem interpretantur. Vide *Natal. Alexand. Theol. Dogm. et moral. Lib. II. de Censuris Cap. 2. art. 5. reg. 27.*

Nota. III. Ut quis dicatur excommunicatus nominatim denunciatus, duo requiruntur; primum, ut in scriptura, quam *cedulonem* dicimus, exprimatur proprium nomen, et cognomen personae excommunicatae. Hinc licet dicatur: *Excommunicamus Petrum ex. gr. incendiarium, et ejus complices*; solus tamen Petrus est vitandus, non vero socii, quamvis notorii fuerint: quia socii non sunt nominatim expressi. Vel talia signa adhibeantur, ut plane omnibus constet, quisnam exprimatur; adeo quidem ut non liceat de ea persona dubitari; *ex. gr. Excommunicamus talis loci Decanum, Rectorem.* Alterum, ut judicis auctoritate publice declaretur, talem esse excommunicatum: quae declaratio, seu denunciatio in publico loco fieri debet, aut inter Missarum solemnia, aut affigendo chartam loco publico juxta locorum diversitatem.

No-

Nota. IV. Publicus Clerici percussor ex Constitutione nuper laud. dicendus est ille, cujus percussio publica *nulla potest tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari.*

Q. I. *An sine ulla necessitate, vel absque speciali utilitate peccent fideles petentes, ut excommunicatus toleratus celebret, sibi administret Sacramenta, aut secum recitet divina officia?*

Ante responsionem *nota.* Certum est, Constantiensem Constitutionem latam esse, quo fidelibus, non vero excommunicatis prospiceretur. *Per hoc tamen*, sunt verba Concilii, *hujusmodi excommunicatos suspensos, aut interdictos, aut prohibitos non intendimus in aliquo relevare, aut quomodolibet suffragari.* Hinc excommunicati, licet tolerati, non possunt communicare in divinis, vel humanis cum aliis; quia id expresse prohibetur ex verbis Constitutionis modo relatis. Contra vero fideles possunt in civilibus, et politicis communicare, etiam praecisa necessitate, cum excommunicatis toleratis: et necessitate urgente, vel utilitate postulante, etiam in divinis.

R. Ad Quaesitum *Affirm.* Ita multi, non quidem contra praeceptum censurae, sed contra charitatem inducendo excommunicatum ad actum, quem ille per se loquendo praestare nequit. Item contra Religionem, cum indecens sit ut talis excommunicatus absque necessitate, aut aliqua utilitate Sacramenta ministret.

Q. II. *Sub qua culpa, et poena prohibita sit fidelibus communicatio cum excommunicato vitando.*

R. Mortale est communicare in rebus sacris cum excommunicato vitando; quia materia est gravis, et valde repugnat tum auctoritati, et fini censurae, tum etiam dignitati rerum sacrarum. Sed veniale est communicare in civilibus, sublato scandalo, vel contemtu. Id quidem aliquanto fusius ostendit *Natal. Alexander*, pluribus ex *D. Thoma* allatis argumentis. Vide *Lib. II. Cap.* 2. *art.* 5. *reg.* 21. *tit. de Censuris.* Utrobique vero incurritur excommunicatio minor, ut constat ex *Cap. Nuper* 29. *de Sentent. excomm.*

Nota. Excipiuntur tres casus, in quibus ob hanc communicationem incurritur excommunicatio major. Pri-

Primus est quando Clericus sciens, libere, ac sponte communicat in divinis cum excommunicato a Papa per sententiam particularem, et nominatim, incurrit in excommunicationem majorem ipsi Papae reservatam. Ita sanxit *Clemens III. in Cap. Significavit* 18. *de Sentent. excomm.*

Alter, quando quis participat, aut communicat cum excommunicato post sententiam latam contra participantes, incurrit excommunicationem majorem, praecedente tamen trina monitione, vel una tribus aequivalente: et ab hac excommunicatione non potest absolvi, nisi ab eo, qui potest absolvere principalem. *Cap. Nuper* 29. *ibid.*

Tertius, quando quis scienter communicat in crimine criminoso, seu in eo crimine, ob quod quis excommunicatus est, praebens ei auxilium, consilium favorem etc. *ibid.*

Q. III. *An aliquando liceat fidelibus communicare cum excommunicato vitando?*

℟. In quinque casibus juxta *Glossam* in *Cap. Cum desideres* 15. *de Sentent. excommun.* qui hoc versiculo comprehenduntur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile significat omnem utilitatem spiritualem, vel temporalem sive excommunicati, sive communicantis cum eodem. Hinc licet fideli agere omnia, quae ad ipsius excommunicati conversionem conferunt: tum etiam illum consulere, dummodo hujusmodi consilia ab alio peti nequeant; ac tandem petere restitutionem, vel debitum ex contractu. Sed contractus novos cum excommunicato inire non licet.

Lex intelligitur matrimonialis, vi cujus uxori licet communicare cum marito, et contra, nisi factum sit divortium. Quod etiam locum habet, si excommunicatio matrimonium antecesserit. Quamvis enim peccet, et in minorem incurrat excommunicationem, quicumque cum excommunicatis connubia jungere ausus fuerit; contracto tamen matrimonio, communicationis privilegio uti jure poterit. Ita *Natal. Alexander cit. Lib. II. cap.* 2. *art.* 5. *reg.* 17. Contra vero privilegium hujusmodi locum non haberet, si excommunicatio la-

lata esset matrimonii caussa: imo vi excommunicationis separari deberent.

Humile significat subjectionis communicationem, quam praestare valent filii erga parentes, et famuli erga dominos excommunicatos, si serviebant ante excommunicationem. Item Religiosi cum proprio Praelato excommunicato communicare valent. Facultatem communicandi cum parentibus, et dominis concessam filiis, et servis extendunt etiam permulti ad communicandum in sacris, in iis tantum, quae ad subjectionem, et famulatum pertinent etc. Hinc colligunt, licere servo recitare officium divinum cum domino excommunicato, vel cum eo assistere Missae, si vocetur ad comitandum. Contra vero filius, quamvis sit Parochus, non potest patri vitando Sacramenta ministrare, nec coram eo officia divina facere; quia haec communicatio non competit ei ratione filiationis.

Res ignorata, scilicet ignorantia sive juris, sive facti, quae dummodo non sit affectata, juxta multos excusat a communicando cum excommunicatis vitandis.

Necesse indicat gravem aliquam necessitatem sive animae, sive corporis aut excommunicati, aut communicantis, aut cujuslibet personae.

§. II.

De Excommunicatione minori, ejusque effectibus.

Q. *Quid sit Excommunicatio minor, et quinam illius effectus?*

℟. Est *Censura ecclesiastica per se solum privans usu passivo, seu susceptione Sacramentorum.* Atque haec privatio Sacramentorum est praecipuus, ac directus hujus censurae effectus. Quare graviter peccat, qui hac excommunicatione ligatus, aliquod Sacramentum suscipit; licet ob hujusmodi censurae violationem nullam irregularitatis notam contrahat.

Sunt et alii duo minoris excommunicationis effectus; sed remoti, indirecti, et per consequentiam. Quorum primus est; quod saltem venialiter peccet, qui hac cen-

censura irretitus Sacramenta ministrat; quia indecens esse videtur, excommunicatum administrare Sacramenta cum ipsi susceptio Sacramentorum tamquam indigno prohibita fuerit.

Alter effectus minoris excommunicationis etiam indirectus est privatio electionis passivae ad beneficia ecclesiastica, ut decernitur in *Cap. ult. de Clerico excommunicato ministrante*: *Si scienter* (verba Canonis) *talis electus fuerit, ejus electio est irritanda; pro eo quod ad eorum susceptionem eligitur, a quorum perceptione a SS. Patribus est privatus*. Peccat ergo graviter, quia materia gravis est, qui scienter ligatum minori excommunicatione ad beneficium ecclesiasticum eligit, praesentat etc. Item qui scienter illud recipit, et ejus electio est solum irritanda, non vero irrita, ut patet ex laud. *Cap. ult.* Excommunicatio haec contrahitur ob participationem cum excommunicato vitando juxta modo dicta, et potest absolvi a quolibet Confessario approbato. *Cap. Nuper de sent. exc.*

§. III.

De effectibus excommunicationis majoris.

Cum excommunicatus a gremio sanctae Matris Ecclesiae, et a consortio totius Christianae societatis climinetur, ita ut non jam velut membrum Ecclesiae, sed ut infidelis habendus sit; hinc *S. Joan. Chrysost. hom. V. in I ad Timoth.* de Corinthio incestuoso ita loquitur: *Ejiciebatur ergo statim a communi consessu, abscindebatur a grege, erat desertus, et nudus, et tradebatur lupo*: sequitur proinde, ut effectus adaequatus, et per se hujus ecclesiasticae poenae sit totalis privatio cujuscumque juris, quod ei tanquam Ecclesiae membro competebat. Hujus totalis privationis ecclesiasticae communionis varii a Doctoribus numerantur partiales effectus; et sunt privatio communium Ecclesiae suffragiorum, participationis sacramentorum activae, et passivae etc. Sunt et alii effectus mediati, et per accidens; ut irregularitas, quam contrahit Clericus, qui excomunicatione ligatus actum sacri ordinis exercet.

§. IV.

§. IV.

De Privatione Suffragiorum.

Nota. Suffragia Ecclesiae communia sunt spiritualia quaedam subsidia, quibus Ecclesia suis membris suffragatur, quaeque a ministris Ecclesiae nomine offeruntur, quales sunt fructus Sacrificii, orationes publicae, indulgentiae etc.

PROPOSITIO I.

Excommunicatus privatur communibus Ecclesiae suffragiis.

Prob. Haec spiritualia subsidia pendent ab Ecclesiae dispensatione. Atqui Ecclesia potest, et vult excommunicatos hac privatione punire. Ergo. 1.° Quod Ecclesia possit, patet ex potestate sibi a Christo concessa, instituendi censuras. 2.° Quod autem velit, constat ex *Cap. Sacris* 8. *de Sentent. excomm.*, et ex *Cap A nobis* 28, *tit. eod.* ubi vetitum est, ne publica suffragia pro excommunicatis offerantur.

Hinc excepto die parasceves, quo in Ecclesia pro haereticis, et schismaticis publicae preces fundi solent, qui praedicta suffragia pro excommunicato offerret, 1.° graviter peccaret: 2.° minorem excommunicationem incurreret: 3.° invalida foret talis applicatio, utpote facta contra voluntatem Ecclesiae, quae a Christo Domino costituta est communium bonorum dispensatrix.

Q. I. *An excommunicatus contritus, et in gratia constitutus, particeps fiat communium Ecclesiae suffragiorum?*

℞. *Neg.* Ita multi. Nam censura non tollitur, nisi per absolutionem. Ergo quamdiu perseverat censura, tamdiu omnis ejus effectus manet. Ergo etc.

Q. II. *An pro excommunicatis toleratis liceat Ecclesiae suffragia offerre?*

℞. *Neg.* Ita multi. Nam ex const. *Martini V.* Ecclesia non intendit toleratis ullum favorem concedere, aut

aut in aliquo suffragari. Atqui maximus favor eis praestaretur, si tolerati participes essent suffragiorum, cum tolleretur praecipua poena, et ratio excommunicationis. Ergo.

PROPOSITIO II.

Nullus excommunicatus etiam vitandus excluditur a privatis fidelium orationibus, quae non fiunt nomine Ecclesiae.

Prob. 1.° Id non prohibet Ecclesia. 2.° Usus fidelium est praestare omnibus hoc officium misericordiae, et spiritalis eleemosynae. Hinc quilibet Sacerdos in *Memento Missae* potest ut persona privata orare pro excomunicatis. Licet enim in hoc Sacrificio gerat personam Christi, et Ecclesiae, non propterea personam privatam exuit.

§. V.

De privatione usus Sacramentorum.

Sacramentorum usus duplex: alter *passivus*, quo recipiuntur: *activus* alter, quo administrantur.

PROPOSITIO I.

Excomunicatus, etiam toleratus, etiam occultus, absolute loquendo illicite recipit quodvis Sacramentum.

Prob. Excommunicatio etiam tolerato, etiam occulto vetita est passiva Sacramentorum participatio. Ergo absolute loquendo graviter, et sacrilege peccat, si in excomunicatione recipiat aliquod Sacramentum: quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi ad religionem pertinente.

Dixi 1. *illicite recipit.* Quia Excommunicatus cetera, praeter poenitentiam, Sacramenta valide recipit quod ad substantiam; quia Sacramenta, dum legitima ma-

materia, et forma constant, valida sunt: neque Ecclesia potest irritare Sacramenta, quae cum essentialibus conditionibus a Christo praescriptis collata fuere. Unde excommunicatus licet lethaliter peccet in ipsa Sacramentorum receptione, alios tamen effectus recipit, ut characterem in ordine, et Confirmatione etc.

Dixi *praeter poenitentiam*; quia ad Poenitentiae valorem requiritur sincerus de peccatis dolor, quem non habet qui non obstante excommunicatione, a qua absolvi non curat, ad Poenitentiam accedit.

Dixi 2.° *absolute loquendo.* Nam interdum usuvenire potest, ut valide, et licite recipere Sacramenta excommunicatus valeat: 1.° si adsit ignorantia invincibilis excommunicationis, vel inadvertentia ejusdem, 2.° si urgeat necessitas vitandi scandalum, infamiam, aliudve grave incommodum; in hisce casibus Sacramenta ab excommunicato suscipi posse, communior sententia affirmat; dummodo valide administrentur, et suscipiantur non in contemtum Ecclesiae, sed cum debita dispositione, quia Ecclesiae praecepta non obbligant cum tanto incommodo.

Idem dicendum etiam de susceptione Sacramenti poenitentiae juxta probabiliorem sententiam. Quare si excommunicatus ad poenitentiam accedat vel cum invincibili excommunicationis ignorantia, vel ad grave detrimentum vitandum, vel bona fide petat absolutionem a censuris, et peccatis; Confessarius vero ex oblivione eum a peccatis absolvat, non vero a censuris: in his casibus, dummodo poenitens sit alias rite dispositus, valide recipit poenitentiae Sacramentum, remanente excommunicationis censura; quia Confessarius valide, et licite Sacramentum administrat, cum jurisdictionem habeat. Neque enim aliquo jure probatur, in his circumstantiis Ecclesiam auferre Confessariis jurisdictionem in excommunicatos, quin possint illos absolvere a peccatis. Poenitens vero sufficienter contritus digne illud suscipit vel quia laborat invincibili excommunicationis ignorantia, vel quia gravissima urgente caussa accedit: puta, ut diximus ad declinandum grave damnum.

Qui

Qui extra praedictos necessitatis casus scienter excommunicato vitando ministraret Sacramenta absque praevia absolutione ab excommunicatione, peccaret graviter contra prohibitionem Ecclesiae: et incurreret excommunicationem minorem, et interdictum ab ingressu Ecclesiae *Cap. Episcoporum* 8. *de Privilegiis in* 6. Imo si esset excommunicatus per sententiam particularem a Papa, et nominatim denunciatus, incurreret excommunicationem majorem Pontifici reservatam *Cap. Significavit de Sentent. excommunicat.* At si ille esset excommunicatus toleratus, non peccaret vi illius censurae, si quis ei Sacramenta administraret; quia decretum *Ad evitanda scandala* permittit omnem communicationem, etiam in divinis, cum tolerato. Peccare tamen potest contra jus naturale, et divinum, quae vetant, ne Sacramenta conferantur indigne petenti: nisi petens sit peccator occultus, et publice petat.

Nota. Excommunicatus, qui in excommunicatione Sacramenta recipit, nullam incurrit poenam a jure sancitam, nisi in sola susceptione Ordinis sacri, a quo in perpetuum deponendus decernitur; si fuerit saecularis clericus, qui scienter sacros Ordines susceperit *Cap. Cum illorum* 32. *de Excom.* Si vero fuerint Religiosi, eosque ad Ordines promoveri contingat scienter, ab executione suscepti Ordinis, et officii jubentur manere suspensi.

PROPOSITIO II.

Extra necessitatis casum nullus excommunicatus sive vitandus, sive toleratus, aliquod Sacramentum licite administrare potest.

Prob. Quia Ecclesiae praeceptum in gravissima re violatur. Ergo graviter peccat, et irregularitatem contrahit; si Sacramentum, quod illicite administrat, sui Ordinis exercitium exigat.

Dixi 1.° *extra necessitatis casum.* Nam I. urgente necessitate extrema jam jam morituri, excommunicatus etiam vitandus, interiori tamen cordis dolore affectus,

ctus, baptismum, et poenitentiam administrare valet. Item juxta aliquos etiam viaticum, et extremam unctionem, saltem quando infirmus aliud Sacramentum suscipere nequit. Item assistere matrimonio in periculo mortis ad consulendum honori foeminae, quae a viro cognita fuisset, et ad filios legitimos constituendos. Item ad evitanda gravissima incommoda, puta jacturam famae, hac bonorum: quia praecepta Ecclesiae non obligant cum gravissimo incommodo, sublato tamen contemtu, et scandalo; vel nisi Sacramentum nullum efficeret: quo quidem in casu potius mortem subire deberet quam Sacramentum profanare.

II. Si excommunicatus sit toleratus, excusatur a peccato, et irregularitate non solum ob recensitas caussas, verum etiam si, praemissa contritione, Sacramenta ministret ad petitionem, et utilitatem fidelium; dummodo hanc administrationem ultro non subeat, quia ex Constantiensi decreto toleratus non amittit potestatem administrandi Sacramenta in utilitatem fidelium, si ad id rogatus fuerit.

Advertendum est discrimen inter excommunicatum vitandum, et toleratum in administratione Sacramentorum. Utrique enim vetita est sub gravi Sacramentorum administratione, verum toleratus, si sit requisitus, et adsit aliqua utilitas, vel necessitas fidelis petentis, praemissa contritione, potest licite Sacramenta conferre; vitandus vero, etiam requisitus, non potest, nisi in casibus supra expressis.

Dixi 2.° *illicite*. Nam excommunicatus per se valide confert quodvis Sacramentum, excepto Sacramento poenitentiae ministrato ab excommunicato vitando. Cujus quidem rei ratio est, quia ubi essentialia Sacramenti concurrunt, Ecclesia nec vult, nec potest illud irritum reddere. At contra est in Sacramento poenitentiae, quia vitandus caret jurisdictione requisita in collatione hujus Sacramenti. Unde fideles, qui extra mortis articulum excommunicato vitando sive scienter, sive ignoranter confitentur, repetere confessionem debent.

§. VI.

§. VI.

De divinorum Officiorum Assistentia.

Nota. Nomine *divinorum officiorum* hic intelliguntur omnes functiones, quae sollemniter fiunt ex institutione Christi vel Ecclesiae: ut Missarum celebratio, horae canonicae, publcae preces, processiones, benedictiones, chrismatis consecratio, atque aliae hujus generis ceremoniae.

PROPOSITIO

Excommunicatus quilibet vi censurae privatur munere celebrandi divina Officia: et iisdem assistendi.

Prob. Excommunicatus divina officia celebrare, et iisdem adesse non potest, quin cum fidelibus communicet. Atqui cuilibet excommunicato vi censurae vetita est communicatio cum fidelibus, praesertim in divinis. Ergo et divinorum officiorum celebratio, et assistentia. Hinc quilibet excommunicatus graviter peccat, si Missae sacrificio, vel divinis officiis assistat, quia materia gravis est, et in re valde sacra. possunt tamen excusari ab ignorantia, vel necessitate vitandi scandalum; juxta jam dicta. Si vero sit toleratus, potest requisitus ministrare celebranti, qui nullum alium habet, qui Missae inserviat: secus, si vitandus sit.

Q. I. *An peccet excommunicatus non audiendo Sacrum in die festo?*

R. Afferm. Et quidem graviter juxta multos, si negligens sit in obtinenda absolutione. Nam Christianus eodem praecepto, quo obstringitur Missam audire, tenetur etiam removere, quoad potest, impedimenta, quae ipsum removent ab observantia ejusdem. Idem potiori jure dicendum de praecepto annuae confessionis, et communionis.

Q. II. *An, et quomodo teneatur excommunicatus horas canonicas recitare?*

R. 1°.

℟. 1.° Excommunicatus obligatus ad horas canonicas, non excusatur ab illis recitandis, ne commodum ex iniquitate reportet; imo addunt aliqui, adhuc eum teneri, si ad horas adstringatur ex solo beneficii titulo, etsi fructus illius beneficii non recipiat; quia iisdem sua culpa privatur, juxta *Reg.* 89. *juris in* 6. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi, non aliis debet imputare.* Secus si ipso beneficii titulo privatus sit.

℟. 2.° Quod ad modum recitandi, nequit excommunicatus in recitandis horis socium adhibere, absque veniali culpa, neque etiam absque ea simili culpa dicere debet, *Dominus vobiscum*: quae formula est Sacerdotis ad populum salutatio, sed ejus loco: *Domine exaudi orationem meam.* Possunt tamen excommunicati sacram concionem audire, privatim Ecclesiam ingredi, ibique orare.

Q. III.° *An in aliquam incurrat poenam excommunicatus, qui Missae sacrificio, aliisque divinis officiis interest?*

℟. Nullam incurrit poenam praeter peccatum mortale, quia nulla ei imposita est in jure.

Excipiuntur tamen duo casus: primus est, si excommunicatus vitandus assistens Missae, monitusque a Sacerdote, ut recedat ab Ecclesia, nolit recedere; tunc novam incurrit excommunicationem Papae reservatam. Sicut illam etiam incurrit interdictus, qui fuerit denunciatus, Missae pertinaciter assistens, et omnes qui impediunt, ut excommunicatus, aut interdictus recedat; ita sancitum occurrit in *Clementina Gravis*, *de Sent. excommunic.*

Alter casus est, si Sacerdos excommunicatus auctoritate sua faciat, ut coram se Missae, vel alia divina officia celebrentur: tunc incurrit irregularitatem. Ita *Natal. Alexand. Lib. II. Cap.* 2. *art.* 5. *reg.* 6. ceterique communiter, ut satis aperte constat ex *Cap. Illud Dominus*: *de Clerico excomm. etc.*

Nota. Si excommunicatus vitandus, jussus nolit ab Ecclesia exire, tenentur Clerici eum, etiamsi esset Sacerdos, expellere, si possint, aut si id praestare nequeant, fideles adstantes recedere debent, ne cum illo

illo communicent, et Sacerdos tenetur Missam inchoatam abrumpere, si nondum canonem inceperit. Si vero canonem inceperit, debet cum ministro solo Missam persequi usque ad calicis sumptionem, et reliqua perficere in sacristia. Clerici scienter coram excommunicato vitando Missam, vel alia divina officia celebrantes, graviter peccant, et incurrunt excommunicationem minorem, et interdictum ab ingressu ecclesiae. Ceteri vero fideles adstantes, qui ab officiis, aut processionibus non recedunt, juxta omnes contrahunt excommunicationem minorem.

§. VII.

De Inhabilitate ad beneficia ecclesiastica.

PROPOSITIO.

Ligati excommunicatione majori inhabiles sunt ad beneficia ecclesiastica.

Prob. ex *Cap. Postulastis* 6. *de Clerico excommunicato ministrante*, ubi dicitur: *Clericis excommunicationis vincula innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere ... cum ea non fuerint canonice consecuti.* Praeterea beneficium datur propter officium ecclesiasticum, quod excommunicatus exercere non potest. Ergo etc. Licet beneficio ante excommunicationem obtento non privetur, quia nullo jure hoc cavetur, potest tamen eo privari, si in excommunicatione per annum sordescat. Quinimo debet, si insorduerit per biennium. Ita multi. Vide *Cap. Cum bonae*; *de aetate et qualitate etc.* et *Glossam* ibi *verbo* spoliare.

Hinc 1.° praesentatio, electio, nominatio, collatio, impetratio literarum apostolicarum in favorem excommunicati nullae sunt.

2.° Haec electio, collatio, resignatio per absolutionem postea consecutam non convalescunt; quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ex *Regula* 18. *juris in* 6. unde renovari debent

bent, obtenta a Superioribus legitimis post absolutionem dispensatione.

3.° Non solum recipientes beneficium, verum etiam eligentes, conferentes scienter, peccant mortaliter; quia in re gravi faciunt actum nullum, et praeter excommunicationem minorem, quam conferentes beneficium excommunicato vitando incurrunt, suspensionem etiam contrahunt collationis ejus beneficii, *Cap. Postulastis §. illud vero* tit. eod.

4.° Quae dicta sunt de excommunicato, extendunt communiter ad suspensum, interdictum et irregularem.

Excipitur ab hac regula collatio facta a Pontifice, si vel is scienter conferat beneficium excommunicato, vel in concessione adsit clausula absolutionis a censuris ad effectum gratiae consequendum: nisi 1.° quis esset excommunicatus ob haeresim, quae non aufertur per clausulam generalem · 2.° si recipiens beneficium, esset irregularis.

Q. I. *An sit nulla collatio facta ei, qui invincibiliter ignorat, se vel esse excommunicatum, vel ab excommunicatione non fuisse absolutum?*

℟. *Affirm.* quia ignorantia excusat quidem a culpa, sed non tollit praecedentem inhabilitatem in subjecto. Hinc qui bona fide beneficium suscepit, ignorans suam excommunicationem, cum venerit in malam fidem, beneficium dimittere debet, et restituere fructus in eo, in quo factus sit ditior, aut saltem, juxta aliquos, tenetur restituere id, quod ex beneficio superest suae congruae sustentationi tempore praestiti Ecclesiae servitii. Quod si mala fide beneficium recepisset, omnes fructus restituere deberet.

Q. II. *An qui est excommunicatus post beneficium obtentum, privetur fructibus ejus beneficii ante judicis sententiam?*

℟. *Affir.* 1. quia in *Cap. Pastoralis* 53. §. *Verum de Appellationibus* haec habentur: *Illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communio denegatur.* Atqui vox *subtrahuntur* non judicis sententiam, sed factum vi censurae significat. Ergo excommunicatus ipso facto fructibus beneficii privatur.

2.° Quia excommunicatus est ipso facto ab officio suspensus: ergo et a fructuum perceptione; cum fructus dentur propter officium.

Nota. I Excommunicati non solum sunt inhabiles ad beneficia, verum etiam ad pensionem clericalem, ad dignitates, et officia ecclesiastica. Ita Doctores communiter ex *Cap. Postulastis 7 de Clerico excommunicato etc.* II. Haec intelligenda sunt non solum de excommunicato vitando, verum etiam de tolerato; quia decretum Constantiense non favet excommunicatis, sed fidelibus.

§. VIII.

De Privatione Jurisdictionis.

Nota. Jurisdictio potest accipi 1.° *proprie*, et *stricte*, et est potestas regendi subditos, leges condendo, dispensando, absolvendo in utroque foro, sive per se, sive per alios, 2.° *latius*, prout est potestas beneficia conferendi, eligendi, aut etiam praesentandi. His positis.

PROPOSITIO

Excommunicati omnes illicite faciunt, quae sunt jurisdictionis; valide tamen, si tolerati sint; secus si sint denunciati.

Prob. 1a. pars. Excommunicati non possunt jurisdictionem exercere, quin cum fidelibus communicent in re magni momenti. Ergo id illicite faciunt: unde per se loquendo peccant.

Prob. 2a. pars. Constantiense decretum permittit fidelibus omnem communionem cum excommunicato tolerato; ac si excommunicatus non esset. Ergo conservat in eo jurisdictionem; ut requisitus possit in favorem fidelium eam exercere. Ita Doctores communiter.

Hinc toleratus potest absolvere, et dispensare non solum valide, sed etiam licite, si requisitus; sin mi-

nos, valide, sed illicite; quia nequit ultro administrationem suscipere, ut jam diximus. Fideles litigantes coram excommunicato tolerato, possunt contra eum excipere, utpote excommunicatum, et tunc nullius valoris essent acta ab eo deinde facta. Dantes vero exceptionem, intra octo dies speciem excommunicationis manifestare deberent; sin minus, nulla esset exceptio.

Prob. 3a. *pars.* Excommunicato vitando, utpote juridice a corpore Ecclesiae praeciso, non prohibetur solum, sed aufertur etiam jurisdictionis usus. Ergo omnia ejus acta non solum illicita, sed etiam invalida sunt.

Hinc nulla est ejus judicialis sententia, dispensatio, absolutio, facultatis concessio ad Sacramenta ministranda, quae sunt actus ecclesiasticae jurisdictionis, excepta absolutione in mortis articulo, et quando adest error communis cum titulo colorato. Contra vero valide, quamvis illicite exercet ea, quae sunt ordinis ut confirmare, baptizare etc.

Item nulla est ejus jurisdictionis delegatio: si tamen post factam delegationem ipse evadat excommunicatus, tunc si judicium sit inceptum, delegatus potest illud prosequi: secus, si res sit integra: vel si delegatus unum cum delegante excommunicato tribunal efficiat: ut excommunicato Episcopo, cessat jurisdictio Vicarii generalis.

Item vitandus invalide exercet actus jurisdictionis improprie dictae, ut sunt electio, praesentatio, collatio, ex *Cap. un. De sede vacante in* 6. Hinc nulla est electio, quae absque suffragio vitandi concludi nequit.

Item nulla est resignatio beneficii facta a vitando in favorem alterius: secus, si fuerit simplex.

Nota. Hoc certum est quod ad jurisdictionem ecclesiasticam; nam jura de solo judice ecclesiastico loquentur. An vero extendi debeat ad judicem saecularem, ita ut ejus acta sint nulla, si vitandus sit, disputant Theologi. Affirmativam sententiam, Doctores communiter defendunt, et ajunt, hanc esse usu receptam,

 ut

ut vitandus, etiam si fuerit judex saecularis, privetur omni actu ad judicium pertinente.

§. IX.

De Privatione communicationis forensis, et civilis.

Nota. Communicatio politica duplex est; una publica, et forensis; altera privata et civilis. *Publica* et *forensis* consistit in temporali Reip. gubernatione, et omnibus, quae huic adnexa sunt, ut leges civiles condere, judicia ferre, agere in judicio, testari etc.: *Privata*, et *civilis* communicatio habetur in rebus, quae ad humanum commercium, et quotidianam consuetudinem spectant, ut cohabitatio, mensa, allocutio, salutatio, ac similia. His positis.

Dico 1.° *Actus forenses facti ab excommunicato vitando, si sint actus jurisdictionis, sunt invalidi; alii sunt solum illiciti.*

Prob. 1*a. pars.* Quia excommunicatus vitandus privatur omni actu jurisdictionis tam in foro civili, quam ecclesiastico. Ergo etc.

Prob. 2.° *pars.* Nam hujusmodi actus forenses, in quibus nulla exercetur jurisdictio, nulla lege irritantur. Ergo pro validis habentur a jure. Sunt tamen illiciti, quia non possunt exerceri, quin vitandus communicet cum fidelibus, quod est excommunicato vetitum.

Hinc 1.° vitandus nequit valide ferre leges, dispensare, absolvere; quia sunt actus jurisdictionis. 2.° Etsi licite non possit officia publica exercere, ut tutoris, actoris, advocati, testis, procuratoris in foro etc. ejus tamen acta valent, nisi excipiantur. Nam licet sint actus forenses, non sunt tamen actus jurisdictionis. 3.° Tabellionis seu Notarii excommunicati vitandi acta irrita sunt, et invalida, si ejus actus ad substantiam contractus a jure requiratur. 4.° Valent contractus initi a vitando, ut contractus emptionis, locationis etc. Item contractus donationis tam excommunicato, quam ab excommunicato factus: ministris tamen ecclesiae ve-

vetitum est oblationes ab excommunicato vitando recipere.

Item vitandus valide potest institui heres, et condere testamentum, nisi fiat ab excommunicato propter haeresim, cum hic nec testamenta condere, nec ad hereditatis successionem permittatur accedere, ex *Leg. Credentes*: *Cod. de haeret.* Vel propter percussionem Cardinalis, ex *Cap. Felicis*: *de Poenis in* 6. ubi etiam decernitur, hujusce criminis reos *nec testamenti liberam habere factionem*, *nec ad alicujus bona ex testamento*, *vel ab intestato vocari.*

Dico 2.° *Quilibet actus forenses facti a tolerato sunt tantum illiciti*, *quando ultro sese ad agendum offerat*: *secus*, *sunt liciti.*

Prob. Rationes patent ex dictis.

Nota. Excommunicatos ad quaedam vitae civilis officia esse inhabiles, ex eo ortum est, quod Christiani Principes leges suas, quoad fieri potest, ad bonos mores, atque evangelicam disciplinam accommodent; non autem quod excommunicatio per se ullo temporali jure, bonoque privet.

Dico 3.° *Privata et civilis communicatio*, *quae in quotidiana consuetudine consistit*, *cum excommunicatis vitandis interdicta est.*

Prob. ex *Cap. Nuper* 29. *de Sententia excommunicat.* ubi prohibetur, ne quis cum excommunicato communicet, etiam in his, quae pertinent ad quotidianam consuetudinem: ut salutare, convivari, hospitio excipere. Expedit enim, ut excommunicatus hoc civili commercio privetur, 1.° ut pudore victus resipiscat: 2.° ne aliis offendiculo sit; 3.° ad exemplum et terrorem aliorum.

Hinc 1.° non licet excommunicato vitando communicare in civilibus cum fidelibus, nec fidelibus cum eodem. 2.° Tolerato ipsi solum est illicita communicatio, quoties ultro id faciat.

Q. *Quinam sint casus*, *in quibus non licet fidelibus cum excommunicato vitando communicare?*

℟. Sunt quinque, in hoc notissimo versiculo comprehensi:

Os, *orare*, *vale*, *communio*, *mensa negatur.*

Per

Per *Os* intelligitur vetita omnis communicatio per verba, signa, nutus, epistolas, amplexus, nuncios, etc. *Orare* prohibet communicationem in orationibus, et divinis officiis; *vale* vero omnem salutationem honorandi caussa. *Communio* prohibet omnem soci etatem in contractu, opere, itinere, ludo, habitatione etc. *Mensa* vetat communicationem in cibo, et potu.

Nota. Interdictum de vitandis excommunicatis in tecto, mensa, salutatione, osculo, intelligitur prout haec sunt voluntaria, ac voluntariae necessitudinis indicia. Ceterum in hoc secundario excommunicationis effectu, ac veluti ejusdem appendice locum habet moralis necessitatis exceptio; ita ut extra divina officia cum vitando communicare liceat in casibus a jure exceptis, et in illo versiculo supra exposito comprehensis; *Utile*, *lex*, *humile etc.*

§. X.

De Privatione Ecclesiasticae Sepulturae.

Nota. Sepultura Ecclesiastica, seu in loco sacro, est vel in templo, coemeterio, claustro, vel alio loco deputato ad divina officia celebranda.

PROPOSITIO.

Excommunicati vitandi ecclesiastica sepultura post mortem privantur.

Prob. ex *Cap. Sacris* 12. *de Sepulturis*, ubi dicitur *excommunicatos privari ecclesiastica sepultura; ut quibus non communicamus vivis, non communicamus defunctis.*

Hinc 1.° Si excommunicatus vitandus sepultus fuerit in loco sacro, et ab aliis cadaveribus secerni possit, exhumandus est, et foras projiciendus, cit. *Cap. Sacris* tit. cod. Locus vero sacer erit reconciliandus, cum per ejus sepulturam pollutus sit, h. e. *aspersione aquae solemniter benedictae, ut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit*, ut respondit *Innoc. III.* in

in *Cap. Consuluisti de Consecratione Ecclesiae etc.*

2.° Si vero excommunicatus decesserit cum poenitentiae signis, non est extumulandus, sed absolvendus, petita absolutione ab herede.

3.° Peccant graviter, et ad minus incurrunt excommunicationem minorem, qui comitantur vitandum ad sepulturam, Clerici canentes etc. Qui ejusmodi excommunicatum propriis manibus sepeliunt, incurrunt excommunicationem majorem. Vide *Clementinam Eos qui, de Sepulturis*, et *Glossam* ibi verbo *sepelire.* Quam poenam aliqui extendunt ad mandantes, et procurantes.

4.° Sepelientes excommunicatum toleratum non peccant, neque excommunicationem incurrunt; quia possumus communicare defuncto, cui permissum erat vivo communicare; dummodo tamen ante mortem poenitentiae signa dederit: aliter sepultura concedi non debet, non quia excommunicatus decessit, sed quia impoenitens mortuus est.

Q. *Quinam sint effectus per accidens excommunicationis?*

R. 1.° Irregularitas, quam incurrit excommunicatus, qui exercet actum ordinis. 2.° suspicio haeresis; quam contrahit, qui per annum in censura insordescit. 3.° juxta aliquos privatio effectus absolutionis generalis, quae in rescriptis Pontificiis praemitti solet. Etenim clausula illa absolutionis ad effectum gratiae consequendum, emanans ex curia Romana, non prodest illis, qui in aliqua censura per annum continuum, et certis in casibus in Sententia excommunicationis per quatuor menses perseverarunt.

§. XI.

§. XI.

De Excommunicatione ob percussionem Clerici.

Cum inter omnes excommunicationes a jure latas, ea, quae incurritur ob percussionem clerici, vel monachi, sit valde frequens; idcirco operae pretium esse duximus, ut de ea singulatim agamus. De ceteris vero excommunicationibus Episcopis, et Papae reservatis, consule dicenda in *Tract. de poenitentia* §. 8. *de Reservatione*.

Habetur haec excommunicatio *Caus.* 17. *q.* 4. *can.* 29. his verbis: *Si quis, suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo), donec Apostolico conspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.*

Q. I. *Quosnam comprehendat vocula illa*, si quis?

℟. 1.° Hac voce *si quis* comprehendi omnes utriusque sexus, cujusvis ordinis, ac dignitatis personas, quae censurae capaces sunt; neque ab hac canonis excommunicatione eximitur, qui percutit clericum, vel monachum consentientem ad sui percussionem, quia licet ei utpote qui juri suo cedat, personaliter injuriam non faciat; facit tamen injuriam ordini clericali; cum ille canon non tam in favorem clerici particularis, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus, *Cap. Contingit.* 36. *de Sent. excommunicat.* Idem probabilius dicendum contra paucos de clerico se ipsum percutiente ex ira, vel desperatione ob eandem rationem. Secus, si clericus mortificationis causa, aut ob dolorem de morte amici conceptum se flagellet, capillosve sibi evellat.

℟. 2.° Comprehendi etiam mandantes, consulentes, consentientes, auxilium praebentes, effectu sequuto, ut statuitur in *Cap. Mulieres* 6. §. *Illi*, et *Cap. Quantae* 47. *de Sent. excomm.* Item non impedientes, si ex officio ad hoc teneantur. Num vero qui ex charitate

impedire hanc percussionem tenentur, et dolose permittunt, hanc excommunicationem contrahant, disputant Theologi. Affirmant multi auctoritate innixi *Cap. Quantae* 47. *de Sententia excomm.* ubi haec habentur: *Eos delinquentibus favere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.* Negant contra plures alii, praesertim si ob timorem, vel verecundiam negligant impedire.

℟. 3.° Demum comprehendi, qui ratam habet percussionem clerici suo nomine factam; quamquam ad illam auxilium, mandatum, consilium non praebuerit: idque colligunt Doctores ex *Cap. Cum quis* 23. *de Sent. excomm. in* 6. quia in hac peculiari censura ratihabitio mandato aequiparatur.

Nota I. Tres conditiones requiruntur, ut ratihabitio mandato aequivaleat: 1.° ut ejus nomine sit facta percussio, judicante percussore, illi gratam futuram: 2.° ut exterius signo sensibili prodat suam approbationem: 3.° ut quando percussio executioni demandata est, fuerit ipse ratam habens hujusmodi percussionem habitualiter aptus ad praebendum mandatum, vel consilium; quia si tunc fuisset amens, eam non incurreret.

Nota II. Illud, *suadente diabolo*, significat percussionem, quae sit peccatum mortale ratione injuriae personae clericali irrogatae.

Q. II. *Quis nomine Clerici, vel Monachi intelligatur?*

℟. 1.° Omnes clerici, etiam prima Tonsura insigniti; hi enim veri clerici sunt ex *Cap. XI. de Ætate et qualitate Ordinandorum.*

Sed ab hoc Canonis privilegio excluduntur. 1.° Qui abjectis vestibus ecclesiasticis, negotiis saecularibus sese immiscent, et ter a superiori moniti, non corriguntur. 2.° Qui, dimisso habitu clericali, tyrannidi, et enormitati, id est seditioni, vel latrociniis, et iniquis bellis se inserunt, *Cap. Perpendimus* 23. *de Sententia excommunicationis.* 3.° Qui per annum exercent artem ignominiosam ludionis, mimi, parasiti. 4.° exercentes publice officium lanii, aut cauponis, si ter moniti non cessent. 5.° Qui degradati sunt realiter

liter; secus, si verbaliter tantum degradati sint: multo minus si sint solum irregulares suspensi, aut excommunicati etiam vitandi; hi enim non desinunt clerici esse, et ut tales habentur. 6.° Bigami. 7.° Conjugati, qui neque habitum gestant, neque alicui ecclesiae ministrant.

℟. 2.° Nomine *Monachi* comprehenduntur omnes utriusque sexus Religiosi, quin et eorum conversi, et novitii. Item Equites Melitenses; sunt enim veri religiosi, propriis votis ligati. Item Eremitae, si subjecti sint alicui regulae, vel superiori.

Q. III. *Quid significetur per* manus violentas?

℟. Quaevis injuriosa, seu contumeliosa actio exterior mortalis circa clerici personam, vel res ei adhaerentes, sive fiat immediate absque instrumento, ore, manu, pede; sive fuste, gladio, veneno.

Hinc resolves, hanc excommunicationem incurrere, 1.° eum, qui in clericum pulverem, sputum, aquam, pileum per injuriam projicit; qui ejus vestimenta lacerat, aliquid eripit per vim, et injuriam de ejus corpore, puta pileum, aut pallium. 2.° Qui clericum in carcerem detrudit, vel violenter detinet in loco, unde sine dedecore exire non potest. Consule *Cap. Nuper* 29. *de Sentent. Excommunic.* 3.° Qui illum insequitur, ut in flumen, vel in fossam incidat. 4.° Qui equum, cui clericus insidet, laedit, fraenum infringit, aut vi sistit; quia actiones istae aut personam, aut ejusdem honorem laedunt, et dedecorant. Contra vero excommunicationem non incurrit 1.° qui tantum verbis clericum offendit, aut lapidem injicit, ut illum laedat, reipsa tamen nec illum, nec rem ei adhaerentem tangit. 2.° Qui pallium, crumenam per furtum ab eo abscindit; quia actiones istae nullam vim personae, ejusque dignitati inferunt.

Q. IV. *Quaenam caussae excusent injicientes manus violentas in clericum ab incurrenda excommunicatione?*

℟. Plures jam supra de censuris in genere indicatae sunt, videlicet ignorantia juris, et facti, justa defensio, et cetera omnia, quae a gravi culpa eximunt.

Hinc

Hinc 1.° qui percutit clericum ex defensione inculpata sui, vel rerum suarum, non incurrit excommunicationem: *cum vim vi repellere in continenti omnes leges, omniaque jura permittant*, *Cap.* 3. *de Sent. excommun.* Sed hic servandum inculpatae tutelae moderamen, intra quod sistere censetur, qui id solum facit, sine quo aliter se, aut res suas servare non potest. Qui tamen aliqualiter justae defensionis modum excederet, ex ea commotione, quae in hoc casu, invitis etiam nobis, irrepit, non incurreret censuram.

2.° Immunis est a censura, licet non a culpa, qui clericum turpiter tractantem propriam uxorem, matrem, sororem, filiam, percutit, sive ut vindicet injuriam, sive ut a crimine avertat; dummodo illum percutiat in ipso crimine, vel continuo post, etiamsi cum eisdem non fornicetur, sed solus cum sola in loco suspecto reperiatur, quia difficultas temperandi dolorem, et impetum vindictae aliquid meretur indulgentiae. Secus, si percussio non fiat in continenti, vel percutiat inventum cum alia conjuncta, sed non cum consanguinea in primo gradu. Lege laud. *Cap.* 3. *tit. eod.* et *Glossam* verbo *turpiter*. Similiter libera est a censura mulier, quae ipso facto a clerico ad turpitudinem sollicitata, illum violenta percussione rejicit, quando solis verbis non potest.

3.° Magistri, Praelati, parentes, subditos clericos in minoribus constitutos correctionis titulo percutere valent *Cap. Cum voluntate* 44. §. *Si qui*; habita ratione culpae, et excluso semper excessu. Imo Praelatus, et Praeceptor ecclesiasticus possunt castigare clericum in majoribus ordinibus constitutum, *Cap. Ex tenore* 12. *de Sent. excomm.* modo per se, vel per alium clericum, si necessitas urgeat, castigent, non tamen per laicum; alioqui contrahitur excommunicatio tam ab eo, qui talem verberari jubet, quam ab illis, qui verberant, argumento *Cap. Universitatis* 23. tit. eod. An idem possit pater, in utramque partem probabiliter disputatur: affirmativam sententiam tenet *Concina*, qui docet, *possint parentes filios Clericos, etiam in sacris constitutos punire, vinculis li-*

ligare, in carcerem detrudere, detinere, et ea omnia exercere, quae opportuna prudenter judicantur ad illorum correctionem.

4.° Denique si pueri clerici mutuo rixantes, pugnis, alapisque se percutiant, licet naribus guttae sanguinis effluant, excommunicatione non innodantur; illos enim *aetas excusat*, ut ait *Alexand. III.* in *Cap. Super eo* 1. *de Sent. excommunic.* secus si scholastici clerici puberes ex odio, seu gravi ira se percusserint, cit. *Cap. Super eo* tit. eod.

Q. V. *Qui possit ab hac excommunicatione absolvere?*

℟. Hujusmodi excommunicatio de jure communi reservata est Rom. Pontifici; possunt tamen Episcopi, et alii Superiores multis in casibus ab eadem absolvere. Ad cujus intelligentiam haec sunt adnotanda.

I. Triplex distinguitur clerici percussio, enormis, mediocris seu gravis, et levis; ut colligitur ab *Extravaganti Perlectis*, relata a *Navarro* in *Manuali Cap.* XXII. *num.* 91.

II. *Enormis* seu *atrox* habetur, 1.° ex gravitate percussionis: ut si clericum occidas, mutiles, aut ei grave vulnus infligas: 2.° ex gravitate injuriae irrogatae. Unde licet aliquando percussio in se sit levis, censetur, tamen enormis, quia est clerico valde injuriosa: quod dijudicari potest ex variis circumstantiis; puta 1.° ratione personae offensae, ut si Episcopum, vel Praelatum percutias; 2.° ratione personae laedentis, ut si officialis laicus auctoritative clericum laedat: 3.° ratione temporis, si Sacerdotem sacris vestibus indutum ferias. 4.° ratione loci, nempè si percussio fiat in ecclesia, vel platea: 5.° ratione scandali, si monachus cum gravi scandalo clericum saecularem percutiat.

III. *Mediocris*, vel *gravis* censetur illa, quae inter levem, et enormem media incedit: ut si, praecisis aliis circumstantiis, clerico extrahatur dens, vel capillorum copia evellatur, aut si fiat sugillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi laesione, vel injuria.

IV.

IV. *Levis* denique percussio dicitur illa, quae opponitur enormi, et mediocri, non quae sit tantum culpa venialis, ob quam nulla incurritur excommunicatio; sed quae intra latitudinem peccati mortalis est infima: ut si, praecisis aliis circumstantiis, clericum percutias palma, pugno, baculo sine sugillatione carnis, et multi sanguinis effusione etc. quae omnia ad arbitrium viri prudentis dijudicanda sunt. His positis.

Dico 1.° *Valere Episcopos absolvere ab excommunicatione contracta ob clerici percussionem, etiam publicam, dummodo percussio levis sit.*

Prob. Ita Doctores communiter ex *Cap. Pervenit* 17. *de Sent. excomm.*

Dico 2.° *Posse quoque Episcopos in multis casibus ab eadem censura absolvere, etiamsi gravis, vel enormis fuerit clerici percussio.*

Prob. Enumeratione casuum, quibus Doctores communiter ex pluribus canonibus relatis in tit. Decretalium *de Sent. excom.* in Episcopis hanc facultatem agnoscunt.

I. A percussione gravi, dummodo non sit enormis, potest Episcopus absolvere 1.° clericos collegialiter viventes, *Cap. quoniam* 9. *de Vita et Hon. cler.* 2.° Officialem, seu ostiarium, qui *sub praetextu sui officii clericum malignatus percusserit*, *Cap. Si vero* 2. *de Sentent. excomm.* 3.° Praelatus regularis potest absolvere suos religiosos invicem se percutientes, dummodo percussio non sit enormis, *Cap. Monachi* 2. et *Cap. Cum illorum* 32. *de Sentent. excomm.* Si Religiosus clericum saecularem percusserit, non potest absolvi, nisi ab Episcopo, videlicet si percussio levis fuerit: uti sancitum occurrit in *Cap. Religioso* 21. *de Sentent. excommun. in* 6. Aliter vero *non nisi per scandalum evitetur, poterit absolutionis beneficium promereri*, ut decrevit *Innoc. III.* in *Cap. Cum illorum* 32. *de Sent. excomm.*

II. Valent absolvere feminas a quacumque clerici percussione etiam publica et enormi, ex *Cap. Mulieres* 6. *de Sent. excomm.* Idem est de impuberibus; etiamsi petatur absolutio post pubertatem: *cum propter defectum aetatis, in qua fuit commissus excessus,*

ri-

rigor sit mansuetudine temperandus, quemadmodum *Cap.* ult. tit. eod. loquitur *Gregorius IX*.

III. Clerici percussor potest ab Episcopo absolvi, etiamsi percussio sit enormis, quando delictum est occultum, nec ad forum contentiosum deductum, ex Tridentino, *Cap. Liceat Sess. XXIV*. de quo suo loco agendum. Item si percussor ex impotentia physica, vel morali non possit Romam accedere per seipsum, quamvis possit per alios; cum obligatio adeundi Pontificem sit personalis. Ceterum a percussione mediocri, vel enormi, si est publica, potest absolvere tantum Papa, aut alius, qui gaudeat Pontificia auctoritate, ut Legatus a latere, vel Legatus missus ad aliquam provinciam.

§. XII.

De Excommunicatione, quae contrahitur ex monitorio in finem revelationis.

Nota. Monitorium est mandatum Ecclesiae, quo sub excommunicationis poena praecipitur factum aliquod revelari.

Q. I. *Quinam monitionem in finem revelationis concedere possit?*

℟. Solus Episcopus eam decernere valet, idque pro re non vulgari, et caussa diligenter examinata, ex Trid. *Sess. XXIV. Cap.* 3. *de Reform.* Hinc colligit doctissimus *Collet*, graviter peccare tum qui levibus de caussis Monitoria petunt, tum judices, qui sic concedunt. In hac Neapolitana Dioecesi, teste *Genuense* in sua *Praxi*, excommunicatio non publicatur, nisi pro aureis saltem quinquaginta, quando qui damnum passus est, non sit pauper, et in paupere aliquando etiam pro decem.

Insuper peccat judex Monitoria concedendo, quando res potest aliter probari, vel si praevideat, populum illa contempturum. Item si debitores non sint solvendo pa-

pares, aut si res sit adeo antiquata, ut non sit qui revelet. Item si delictum factum sit coram iis, qui non tenentur revelare.

Q. II. *Quinam teneantur revelare?*

℟. Omnes Dioecesani, qui subjacent Episcopo monitorium concedenti, tenentur revelare, statim ac monitorii notitiam habent; nisi jure eximantur a revelando: illi enim suo Episcopo generaliter praecipienti parere tenentur.

Q. III. *Quinam facto Monitorio excusentur a revelando?*

℟. 1.° In monitoriis, in quibus agitur de bono publico Fidei, vel Religionis, aut de communi bono Reipublicae, nemo liber est a revelando, nisi sceleris auctores; aut socii. Quia quisque bonum publicum Fidei, vel Reipublicae cuique bono privato anteponere debet. Unde illud effatum: *Contra publicos hostes, et majestatis reos omnis homo miles.* Hinc si agatur de crimine haeresis, laesae majestatis etc. filius contra patrem, uxor contra maritum, et vicissim revelare debent.

Excipiuntur sceleris auctores, aut socii; quia nemo reus tenetur prodere seipsum, nec sceleris socios, cum hoc esset idem, ac seipsum prodere; etsi teneatur ad criminis sui reparationem, quam per alios, praecipue vero per Confessarium praestare facile potest: ita monet *Collet.*

℟. 2.° In ceteris monitoriis ex communi sententia non tenentur ad revelandum, qui denunciare non possunt 1.° absque aliqua sui diffamatione: 2.° sine gravi detrimento: 3.° sine secreti naturalis diffamatione: 4.° ex quorum revelatione nulla exoriretur utilitas: uno verbo, quibus sub mortali praecipi nequit, ut revelent. Quia leges humanae ordinarie non obligant cum gravi incommodo, seu damno, multo minus ad violandum jus naturae, vel ad subeundam gravissimam excommunicationis poenam pro peccato non admisso, vel veniali; quae mala sequerentur, si Ecclesia intenderet obligare ad revelandum in recensitis casibus.

Hinc

Hinc 1.° non teneris denunciare parentes, fratres, filios, coniugem, consanguineos, vel affines usque ad secundum gradum juxta aliquos, et juxta plures, usque ad quartum gradum; tum quia ordinarie id fieri nequit sine aliqua propria infamia, adeoque sine gravi incommodo ob revelantis conjunctionem; tum quia facile ex tali revelatione orirentur odia, et dissensiones in familiis; nec praesumi potest, rem ita odiosam exigi ab Ecclesia. Idem docent de famulis, et domesticis contra dominum; id enim vulgo sine gravi detrimento praestare nequeunt: secus, si agatur de crimine privilegiato, puta de haeresi etc.

2.° Si delictum audieris caussa petendi a te consilium, ut Advocatus, Theologus, Medicus: quia ad bonum commune spectat, quod homines secure petant consilium, ne detur occasio errandi; unde intentio judicis non est, ut reveles contra legem naturalem servandi secretum.

3.° Si scias detentorem rei alienae impotentem esse, ut restituat, et a fortiori si legitima usus sit compensatione, praescriptione; quia rem, quae culpa vacat, in damnum vocari non convenit.

4.° Si delictum audieris ab ignotis, nec fide dignis hominibus: vel tuum testimonium probare non possis; quia ad actum inutilem nemo tenetur.

5.° Si peccatum sit occultum, et emendatum, nec habeat effectum in futurum; quia sic cessat omnino finis illius praecepti, excepto haeresis crimine.

Q. IV. *Qui facti in Monitorio contenti notitiam habet, an teneatur statim post primam monitionem revelare?*

℟. *Affir.* Nisi legitima caussa moram permittat, quia quilibet Ecclesiae praecipienti, in materia praesertim gravi, quam primum obedire tenetur: quia ex dilatione revelationis saepius sequitur grave laesae partis detrimentum; puta, quia dum procrastinatur, res furto ablatae absconduntur, aut debitor fugam arripit.

Obligatus ad revelandum, si intra tempus in monitorio praefixum non revelaverit, graviter peccat, et excommunicationem latam contrahit, remanetque obligatus ad revelandum, quamdiu conjicere potest, eam utilem

utilem fore; quia terminus in monitorio appositus est ad sollicitandam, non vero ad finiendam obligationem.

Dixi, *nisi caussa legittima moram permittat*, quia posita legitima caussa, censeris impeditus. Hinc non peccas, si caussa petendi consilium, quo indiges, ut scias ad quid tenearis, non statim intra terminum praescriptum reveles.

Q. V. *An obligatos revelare ex Moniturio, si non revelet, teneatur tertio damnum restituere?*

℟. Juxta multos non tenetur; quia talis revera non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem, vel obedientiam, quae non obligat ad restitutionem?

CAP. III.

De Suspensione.

§. I.

Quid, et quotuplex sit Suspensio.

Suspensio est Censura ecclesiastica, per quam Clericus privatur usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul.

Prob. Appellatur 1.° *censura*, ut distinguatur ab ea prohibitione, qua Sacerdos aliquando interdicitur a Confessario, ne celebret, quia indignus. 2.° *Clericus* in definitione positus, non laicus, subjectum hujus censurae designat. 3.° *Per quam privatur usu officii etc.* haec verba produnt discrimen inter suspensionem, et excommunicationem minorem; quia haec privat tantum usu passivo Sacramentorum; illa vero activo, aliisque functionibus ecclesiasticis. Insuper suspensio differt ab excommunicatione majori; quia haec privat his functionibus, quatenus sunt quaedam *communicationes cum fidelibus*, illa vero privat, quatenus sunt *functiones clericales*. Denique differt ab inter-

terdicto; quia hoc prohibet interesse talibus functionibus; ideoque afficit laicos; illa vero tantum prohibet eas exercere, ideoque solos afficit clericos.

Suspensio aliquando in jure accipitur pro cujusvis officii, et dignitatis usu, et exercitii privatione; juxta quam significationem valde amplam Officiales, Abbatissae, Priorissae ab officio suspenduntur.

Q. *Quotuplex sit Suspensio?*

℞. Suspensio alia est a jure, alia ab homine, ut est omnis censura. Quae *a jure* est, incurritur ipso facto, seu ipsa commissione criminis, si verba legis omnem judicis actionem excludant, ut si dicat: *Suspenditur, maneat ipse facto suspensus.* Contra vero ferendae sententiae, si judicis sententiam requirat, ut infligatur; idcirco haec verba, *qui hoc fecerit, suspendatur*, significant suspensionem ferendam. Quae *ab homine* est, licite non fertur, nisi in scripto in quo caussa, et species censurae exprimatur, praecedente etiam monitione, sine qua suspensio est irrita. Hinc quando Episcopus subdito verbis tantum prohibet, ne celebret, non praesumitur ea esse vera censura, sed pura poena, censurae effectus non ferens.

Rursus suspensio alia est *ab officio*, alia *a beneficio*, alia demum *ab utroque* simul, quae in totum, seu *totalis* nuncupari solet.

Insuper dividitur in eam, quae est *ab ordine* tantum, per quam clericus privatur usu suorum ordinum, ita ut ei non liceat Sacramenta ministrare, celebrare! et in eam, quae solum est *a jurisdictione*, ita ut non liceat ei censuras ferre, instituere, delegare etc. et in eam, quae est *a beneficio* tantum, quae privat solum fructibus beneficii.

Hae tres suspensiones partiales subdividuntur in plures alias partiales. Nam suspensio potest esse tantum a parte officii, seu aliqua tantum functione sive ordinis, sive jurisdictionis; vel a solo munere audiendi confessiones. Similiter in beneficio aliquando quis suspenditur a quotidianis distributionibus, aut a dimidia fructuum parte.

Dividitur etiam suspensio ex parte temporis in temporalem, et perpetuam. *Temporalis* est ad mensem,

ad

ad annum; *perpetua* nulla duratione limitatur. Denique suspensio ferri potest vel absolute, vel sub conditione, vel per modum merae poenae in vindictam criminis praeteriti, vel per modum medicinae, ut clericus resipiscat. Inter haec postrema suspensionum genera quid discriminis intercedat, qui nosse cupit, consulat Natalem Alexand. *Theol. Mor. et dogmat Lib. II. cap. 3. art. 1.*

§. II.

De Effectibus Suspensionis.

Nota I. Suspensionis effectus alii sunt *per se*; nempe privatio officii, vel beneficii, vel utriusque; alii *per accidens*, de quibus infra.

Nota II. Nomine *officii* intelligitur omnis potestas spiritualis, sive ordinis, sive jurisdictionis, sive administrationis ecclesiasticae. *Beneficii* vero nomine venit jus perpetuum ad ecclesiasticos proventus, vi spiritualis tituli percipiendos.

Q. *Quaenam regula assignetur ab auctoribus, ut qualis, et quanta sit Suspensio cognoscatur?*

℟. Consideranda sunt verba, quibus fertur suspensio, quaeque stricte accipi debent, utpote in materia odiosa.

Dico 1.° Si verba legis sunt absoluta, et indefinita, nec distinguunt, puta si absolute dicant: *Suspendatur*: intelligitur tam ab officio, quam a beneficio; cum nulla sit ratio, cur potius ad unum, quam ad aliud limitetur.

Dico 2.° Si supensio sit tantum ab officio, et absolute proferatur puta si dicatur: *Sit ab officio suspensus*, intelligitur ab omni actu officii, sive ordinis, sive jurisdictionis, sive cujuscumque ecclesiastici ministerii, quod a solo clerico exerceri potest.

Dico 3.° Si suspensio lata, sit determinata ab aliquo officio, vel ejus actu, intelligitur de illo, qui exprimitur, vel cum ipso necessario connectitur. Ita communiter.

Hinc resolves sequentes casus in suspensione ab officio. I. Suspensus absolute ab officio non est suspensus a beneficio: sicut suspensus a beneficio non est suspensus ab officio: quia in jure hac duae suspensionis species diversae sunt. Ergo si judex suspendere ab utroque velit, ambo exprimere debet.

Nota. 1.° Suspensus ab officio, debet per alium supplere, quod per se nequit, ut beneficii fructus percipiat. 2.° Suspensus a beneficio non solum potest, imo tenetur recitare divina officia etc. quia poena non eximit ab ouere beneficii.

II. Suspensus absolute ab officio privatur 1.° omni usu ordinis, ita ut non possit Sacramenta ministrare, celebrare, canere solemniter epistolam, evangelium, exercere divina officia, qualiter a clerico, prout clericus est, exercentur; quia sunt actus ordinis. 2.° Usu jurisdictionis, ut est ferre censuras, indulgentias impertiri, absolvere, sententias ferre, vel etiam haec delegare; quia actus sunt ecclesiasticae jurisdictionis. 3.° Usu munerum pontificalium, ut conficere Chrisma, Ecclesias consecrare, Virgines benedicere; quia haec ministeria a clericali potestate pendent. Contra vero suspensus omnia ministeria, quae a clericali potestate non pendent, exercere valet. Hinc potest Sacramenta recipere, divinis assistere etc.

III. Suspensus simpliciter ab ordine, non est suspensus a jurisdictione. Hinc Episcopus suspensus ab ordine tantum, potest exercere omnes actus jurisdictionis ad ordinem non pertinentes: puta aliis concedere facultatem absolvendi a peccatis, etsi ipse absolvere ab eis non possit; quia ad impertiendam a peccatis absolutionem requiritur ordo, non vero ad eam facultatem concedendam.

IV. Suspensus absolute ab ordine, privatur actu cujuscumque ordinis.

V. Suspensus ab ordine superiori, non est suspensus ab ordine inferiori; puta Sacerdos, qui praecise suspenditur ab ordine Sacerdotali, non est suspensus a Diaconatu, aliisque inferioribus ordinibus. Nam qui prohibet majus, prohibere minus non censetur. Contra vero, juxta aliquos, suspensus ab ordine inferiori remanet

remanet suspensus a superiori ordine. Sed examinanda sunt verba legis, utrum censura feratur in eum, qui absolute est indignus sacro ministerio; an vero in eum, qui ob delictum non sufficiens ad tollendum majus, puniatur in minori. Si primum, utique verum est, suspensum ab ordine inferiori, a superiori etiam remanere suspensum: secus si secundum.

VI. Suspensus a pontificalibus non potest chrisma conficere, confirmationis sacramentum administrare, consecrare ecclesias, ordinare: at potest exercere quae sunt ordinis mere sacerdotalis, ut Missam celebrare.

VII. Suspensus a collatione ordinum nullum ordinem conferre potest. Contra suspensus a collatione primae tonsurae, non remanet suspensus a collatione ordinum, ex *Cap. 4. de Temporibus ordinationum in* 6.

VIII. Suspensus absolute a jurisdictione, privatur omni usu spiritualis jurisdictionis, et actu ordinis, qui exerceri, absque jurisdictione nequit: cujusmodi sunt absolutio sacramentalis, et collatio ordinum. Hinc potest sic suspensus celebrare, sacramenta alia ministrare: nisi tamen ea ex officio administret, ut Parochus: quia tunc actum jurisdictionis exercet, qua privatus est. Si suspensio sit a determinata parte jurisdictionis, non privat altera parte: ut si Parochus sit suspensus ab excipiendis Confessionibus, potest celebrare, et alia Sacramenta ministrare.

§. III.

De Suspensione a beneficio.

I. Suspensus a beneficio non privatur ipso beneficio, quod jure possidebat; sed fructibus ejus, et quidem ante judicis sententiam. Deinde suspensus a beneficio simpliciter et absolute, censendus est suspensus ab omnibus beneficiis, et quorumcumque beneficiorum fructibus privari; locutio enim indefinita aequivalet universali, nisi verbis expressis, aliqua ratione illa restringatur.

Nomine *fructuum beneficii* veniunt emolumenta illa, quae ratione beneficii percipiuntur; ut oblationes, proventus agrorum, pensiones aedium locatarum. De distributionibus quotidianis, quae dantur pro assistentia

tia in Choro, disputant Theologi, an veniant nomine fructuum beneficii. Pro more alii negant, alii affirmant, alii demum sic distinguunt: si distributiones extractae sint a fructibus beneficiorum, affirmant, utique contineri eas nomine fructuum, secus vero, negant.

Inter fructus beneficii ejus administratio computatur. Quare suspensus a beneficio, nequit aedes beneficii locare, fructus vendere, pro eo vel per se, vel per alium in judicio agere, aliamve actionem praestare, quae ad temporalem administrationem pertinet, ideoque suspenso a beneficio Æconomus assignandus est, cum in illorum interdictam administrationem se ingerere nullo modo possit: quod si contra ausus fuerit, ipsis beneficiis ipso jure in perpetuum privatur, ut habetur *Cap. I. §. ult. de Electione et electi potest.* et *Cap Capientes* 16. §. *ceterum* tit. eod. . Item nequit beneficium permutare, aut in favorem alterius resignare; quia hi sunt quidam usus beneficii. Contra vero sic suspensus non privatur potestate eligendi, aut alio jure, quod sit beneficio adnexum; quia potestas eligendi etc. etsi oriatur ex beneficio, non est tamen usus beneficii, sed officii ex beneficio competentis.

II. Suspensus absolute a beneficio, intelligitur de omni beneficio existente in suspendentis territorio.

Disputatur, an absolute suspensus a beneficio, intelligi debeat etiam de aliis beneficiis, quae actu possidet in diverso territorio? Dico, posse quidem clericum sic suspendi; quia etsi plura beneficia in variis dioecesibus existentia uni Episcopo non subjaceant; ei tamen subjicitur, qui ea omnia possidet, ac proinde ex omnibus suspendi potest, si mereatur. Utrum vero suspensio indeterminata sic debeat intelligi, pendet ab intentione Superioris, quae ex circumstantiis colligi potest. Attamen suspensio in usu semper intelligenda erit de solis beneficiis manentibus in dioecesi Episcopi, suspensionis poenam inferentis, nisi quid amplius exprimatur, ut docet *Natal. Alexand.* Panormitanum sequutus, saepius laud. *Lib. II. Cap.* 3. *art.* 1. *de Suspens. Reg.* 6.

III. Suspensus determinate ab aliquo beneficio, intelligitur solum de illo, quod exprimitur.

Q. I.

Q. I. *An suspensus a beneficio sit inhabilis ad aliud beneficium suscipiendum?*

℟. Communiter docent, non esse inhabilem; unde si novum beneficium ei conferatur, hujusmodi collatio erit valida; quia non est privatus jure radicali ad beneficia; quamvis illicita erit hujusmodi collatio; quia conveniens non est, ut novum beneficium ab Ecclesia conferatur ei, quem censuit indignum.

Q. II. *Quinam sint effectus* per accidens *Suspensionis?*

℟. 1.° Peccatum mortale, in quod incidit, qui suspensionem violat; nisi materiae parvitas excuset. Ut si suspensus ab ingressu Ecclesiae, in eam paullisper introeat, quo tempore divina officia recitantur, leve tantum peccatum committet.

2.° Irregularitas, quae contrahitur ob violationem suspensionis ab ordine sacro, ejus officium solemniter exercendo, ex *Cap.* 1. *de Sent. excom. in* 6.

Haec poena hoc solum casu incurritur, quia nullibi contra alias cujuscumque suspensionis violationes decreta legitur. Unde ob violationem suspensionis a beneficio, vel a jurisdictione nulla contrahitur irregularitas Ideoque suspensus a jurisdictione, si conferat beneficium, eligat, proferat sententiam, quamvis peccet, non fit irregularis: nisi simul exerceat actus ordinis, puta sacramentaliter absolvendo.

Dixi 1.° *ab ordine sacro.* Unde si suspensus in ordinibus minoribus sollemniter ministret, irregularis non est; quia officia horum ordinum exercentur etiam a laicis.

Dixi 2.° *Ejus officium solemniter exercendo.* Unde si Subdiaconus ab officio suo suspensus, in Missa cantet epistolam sine manipulo, irregularitatem non incurrit, quia non censetur ex officio canere. Ita multi.

Controvertitur, an qui violat suspensionem ab ordine latam ad tempus determinatum, in irregularitatem incidat.

Alii negant; quia suspensio lata ad tempus determinatum se habet per modum purae poenae, quae irregularitatem non inducit. Alii affirmant, idque conan-

tur

tur ostendere ex cap. *Cum aeterni* 1. *de Sentent. et re judicata in* 6. ubi Judex Ecclesiasticus *si contra conscientiam, et contra justitiam in gravamen partis alterius in judicio quidquam fecerit per gratiam vel per sordes*; o *ab executione officii per annum* jubetur manere suspensus. Atque dehinc adjungitur: *Quod si suspensione durante, damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet.* Unde eruunt, aperte patere, violationem suspensionis ab ordine, licet ad tempus latae, irregularitatem inducere. Alii denique probabilius ita distinguunt: si suspensio lata fuerit per modum statuti, aut praecepti ob crimen futurum; vel etiam praeteritum, sed tractum habens successivum; tunc suspensionis violator incurrit irregularitatem, ut patet ex textu laudato: secus, si suspensio lata ab homine ob meram punitionem criminis omnino praeteriti; quia hujusmodi suspensio rationem habet merae poenitentiae, sive poenae vindicativae, non vero censurae.

3.° Annullatio actus ab ipso suspenso praestiti: quae poena solum habet locum in iis, quae pendet ab ipsa Ecclesia, uti est jurisdictio, et beneficium. Hinc suspensus a jurisdictione, invalide absolvit, si sit denunciatus nominatim; valide, si non sit denunciatus: et etiam licite, si sit requisitus, ex Const. *Ad evitanda.* Similiter dicendum de suspenso a beneficio.

Nota. In extrema necessitate, et in casu, quo adsit error communis cum titulo colorato, acta per suspensum denunciatum sunt valida, prout alibi diximus.

Q. III. *An peccet, qui a suspenso petit exercitium illius officii, a quo est suspensus?*

℟. *Cum Dist.* Vel suspensus est nominatim denunciatus, vel non. Si primum, peccat per se loquendo mortaliter: quia petit aliquid illicitum contra prohibitionem Ecclesiae, ejusque censuram. Nam ideo judex ecclesiasticus suspensum denunciat, ut vitetur in his actibus, a quibus est suspensus. Verum nullam incurrit censuram, vel irregularitatem; quia nullibi est expressa. Si secundum, justa de caussa licet, prout habetur in Const. *Ad evitanda.*

Q. IV.

Q. IV. *Ob quam culpam ferri suspensio possit?*

℟. Regulariter loquendo non potest fieri, nisi ob culpam gravem propriam. 1.° Quia supensio gravis poena est, quae pro peccato veniali, omnibus circumstantiis inspectis, infligi nequit. 2.° Quia suspensio, quae proprie est poena privans jure quaesito proprio, non potest contrahi ob culpam alienam, sed propriam.

Dixi 1.° *Regulariter loquendo ob culpam gravem*, quia suspensionem aliquam ad modicum tempus multi docent posse infligi ob culpam levem, et tunc culpae levi respondet poena levis.

Dixi 2.° *Ob culpam propriam*: quia aliquando suspensionis sententia ferri potest in aliquam etiam sine peccato proprio. Id sane diserte tradit *D. Thomas in IV. Distin.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *Quaestiunc.* 2. *ad* 2. Accedit et Canonum auctoritas, ut in *Cap. vel non est. compos* 14. *de Tempore ordinat.* ubi puer tredecim annorum in Diaconum ordinatus, ab executione officii Diaconi usque ob aetatem legitimam suspenditur *in injuriam Ordinantis.* Sic non raro etiam suspenditur Capitulum ab actionibus capitularibus, et tunc suspensio privat a ministeriis, et officiis, quae a communitate exerceri possunt; non vero ab actionibus, quas singuli, ut personae particolares, exercere possunt.

§. IV.

§. IV.

De suspensionis absolutione.

Q. I. *Quinam absolvere a Suspensione possit?*

§. A suspensione lata ab homine contra aliquem nominatim absolvere potest solus, qui illam tulit, vel ejus successor, vel superior, aut delegatus: ut est dictum supra de absolutione a censuris in communi. Si sit lata a jure, et non reservata, absolvere ordinarius suspensi valet, aut ejus vicarius. Item docent, posse Episcopum absolvere subditos a suspensione Papae reservata, si proveniat ex delicto occulto, et non sit deducta ad forum contentiosum. Quod aperte colligitur ex Tridentino *Cap. Liceat* 6. *Sess. XXV. de Reform.*

Disputatur, an Parochus, vel simplex confessarius possit absolvere a suspensionibus in jure latis, et non reservatis, sicut asseritur de excommunicatione non reservata. Negant aliqui, quia suspensionis absolutio non est necessario praemittenda absolutioni sacramentali. Contra alii affirmant ex generali regula, quod conditor Canonis aliis relaxandi facultatem concessisse videtur, cum illius absolutionem sibi specialiter non reservaverit: *Cap. Nuper* 29 *De sent. excomm.* Addunt, confessarium ex concessione Ecclesiae posse a suspensione absolvere, saltem quando poenitens suspensionis incursae non est conscius, ne frustra a confessario proferatur usitata in Ecclesia formula, quae sacramentali absolutioni praemittitur: *Te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti.*

Q. II. *Suspensio semel incursa quomodo tollatur?*

Cum Dist. Si suspensio lata sit absolute, et sine determinatione temporis per modum censurae, tollitur per solam absolutionem. Si vero lata sit ad tempus determinatum, puta ad mensem, vel sub conditione, elapso tempore, vel conditione impleta, suspensio cesset sine absolutione. Secus de excommunicatione, quae semel contracta non cessat, nisi per absolutionem;

etiam-

etiamsi lata sit sub conditione, puta *donec pars satisfacta fuerit.* Si vero suspensio lata sit in perpetuum ob culpam praeteritam, tamquam pura poena vindicativa, tollitur solum per dispensationem, vel relaxationem Praelati, aut ejus delegati; quia non est censura.

§. V.

De Suspensionibus Juris in particulari, ubi de frequentioribus contra Clericos.

Nota. Suspensiones, quae feruntur in jure contra clericos, comprehedunt tam clericos saeculares, quam regulares prima saltem tonsura insignitos; nisi peculiariter ad solos saeculares clericos restringantur: non vero includunt Episcopos, aut alios Praelatos superiores, nisi eorum fiat expressa mentio.

Quaenam sint suspensiones juris frequentiores contra Clericos?

℟. Sequentes. I. Contra recipientes Ordines sacros vel ab alieno Episcopo sine litteris dimissoriis, uti constat ex Tridentino *Sess. XXIII. Cap.* 8. *in decreto de Reform.* vel a proprio in aliena dioecesi absque licentia Episcopi loci, ex eod. Trident. *Sess. VI. cap. 7. in decreto de Reform.*

II. Contra illos, qui absque titulo vel beneficii, vel patrimonii, aut pensionis, aut professionis religiosae, sacros ordines recipiunt, intercedente pacto cum ordinante, aut praesentante, de non petendo ab iis alimenta, *Cap. Per tuas* 37. *et Cap. si quis* 45. *de Simonia.* Haec suspensio est in perpetuum ab ordine sic suscepto, et est Papae reservata. Insuper Episcopus sic ordinans manet suspensus a collatione ordinum, per triennium. Si autem hujusmodi pactum non intercesserit, probabilius docent, incurri suspensionem non reservatam ab eo, qui conficto beneficii, aut patrimonii titulo, adhibitoque dolo, ordinatorem decipiendo sacris initiatur, ex Trid. *Sess. XXI. de Reform. cap.* 2. ubi antiquorum Canonum poenae super his innovatae sunt. Vide Pontas verbo *Titulus cleric.* cas. I. Natal. Alex.

In

In dioecesi Neapolitana praesentantes falsum, fictum, vel fiduciarium patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro ordinibus suscipiendis, etiam pro prima tonsura, praeter casum reservatum cum excommunicatione, in quem incurrunt etiam ad hoc cooperantes, clerici praesentantes incurrunt suspensionem ab exercitio susceptorum ordinum Archiepiscopo reservatam, a qua non potest absolvere confessarius, qui generalem facultatem habet absolvendi a reservatis.

Nota 1°. Nomine *patrimonii falsi*, vel *ficti* intelligitur patrimonium nullum. Item nomine *fiduciarii* intelligitur quod clerico assignatur cum pacto illud restituendi post ordines: quod pactum, seu promissio fit per antapocham. 2.° Clericus renuncians beneficium vel patrimonium, ad cujus titulum fuit promotus, non subrogato de licentia Curiae alio titulo; peccat, et renunciatio est invalida, et incurrit in suspensionem ipso facto ab exercitio ordinum non reservatam, ex Sinodo Pignatellana *part.* 2. *cap.* 8. *n.* 9.

III. Suspenduntur, qui per saltum ordines recipiunt, seu qui ordinem superiorem recipiunt, omisso inferiori. Verum *cum promotis per saltum*, *si non ministraverint* (alias fierent irregulares) *Episcopum ex legitima caussa posse dispensare*, statuit Trid. *Sess. XXIII. Cap.* 14. *de Reform.* Item suspenditur, qui ordines recipit omissa clericali tonsura, ex declaratione sacrae Congregationis apud *Colet.*

IV. Suspensio Papae reservata incurritur ab eo, qui majori excommunicatione, etiam occulta ligatus, culpabiliter ordines sive majores, sive minores recipit, ex *Cap. Cum illorum*, *de Sent. excomm.* Haec tamen suspensionis poena respicit potius Regulares, qui *si scienter in contemptum Ecclesiasticae disciplinae se fecerint promoveri*, *ab executione suscepti ordinis, et officii jubentur manere suspensi*; ut patet cuivis legenti laudatum *Caput* §. *ult.* Nam contra clericos saeculares decernitur perpetuae depositionis poena, si scienter in excommunicatione positi ordines receperint, ut alibi dictum est. Quidam vero memoratam suspensionem extendunt ad recipientes ordines in suspensione, vel interdicto, sed ex nullo textu id eruitur. Communiter tamen

men eximunt recipientem Tonsuram in excommunicatione; tum quia Tonsura in odiosis non censetur ordo; tum quia Tonsura non habet a quo suspendatur.

Dixi, *qui culpabiliter ordines recipit.* Quia hunc excusat tum ignorantia invincibilis, tum etiam aliquando gravis metus: ut de effectibus excommunicationis supra diximus.

V. Suspenduntur quoque recipientes ordines sacros extra tempora a jure statuta.

VI. Recipientes ordines sacros ante legitimam aetatem ex bulla *Pii II. Cum ex sacrorum*, ipso facto in perpetuum suspenduntur, et haec suspensio Papae reservatur. Ubi nota, 1.° suspensionem hanc non incurri ab eo, qui bona fide ratus, se canonicam aetatem habere, sacris initiatur. Hinc taliter ordinatus, completa aetate, potest sine ullo ad Superiorem recursu susceptum ordinem exercere. Imo juxta aliquos excusatur ab hac suspensione, etiam qui ex ignorantia crassa, non tamen affectata, ante legitimam aetatem ordinatur; quia in praedicta Bulla suspensio imposita est in temerarios, cujusmodi non sunt, qui peccant ex ignorantia crassa, prout diximus *de Censuris in genere.* 2.° Qui mala fide ordines ante praescriptam aetatem suscipit, completa aetate, non potest ordines exercere, nisi absolvatur ab incursa suspensione; quia censura semel contracta, non tollitur nisi per absolutionem.

VII. Suspenduntur qui furtive ordines suscipiunt, hoc est, qui non approbati inter ordinandos irrepserunt, aut alium suo nomine examini substituerunt. Haec suspensio potest ab Episcopo absolvi; nisi Episcopus, ut in multis dioecesibus fieri solet, furtivam ordinum susceptionem sub excommunicationis poena prohibuerit; hac enim in hypothesi aliquid amplius exigitur. Consule *Cap. Venies 1. Cap. Cum lator 2. et Cap. Innotuit 3. tit. De eo qui furtive ordines suscepit.*

VIII. Lata est suspensio contra recipientes plures ordines sacros eodem die. Item contra eos, qui per simoniam realem ordines recipiunt. Item in illos, qui post contractum matrimonium, licet non consummatum, aliquos de sacris ordinibus praesumunt accipere.

Hi

Hi omnes recensiti clerici in ordinatione peccantes, sunt suspensi ab executione ordinum, et si hujusmodi suspensione durante in ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrunt. Item clerici concubinarii, quorum crimen si sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quae tergiversatione aliqua celari non possit, suspensi declarantur et quidem vitandi jure antiquo ex *Cap. Quaesitum* 10. *de Cohabitatione Clericorum etc.* At jure novo clerici concubinarii, quorum crimen notum est et publicum, suspensi non sunt, nisi suspensionis sententia in eos lata fuerit ab ecclesiastico judice, canonica tamen monitione praemissa, atque insuper nominatim fuerint denunciati. Id quidem aperte colligitur ex Trident. *Sess. XXV. de Reform. Cap.* 14. ubi praecipitur, ut si Episcopi monitionibus parere detractaverint, suspensionis poena plectantur.

Enumerantur et aliae a jure suspensiones contra clericos peccantes in exercitio sui ordinis, vel muneris, ut contra omittentes sine gravi caussa Missam incoatam, vel Missam celebrantes, et in ea non communicantes. Item contra clericos crimen nefandum exercentes, vel provocantes ad duellum, aut illud acceptantes, contra raptores, vel praebentes auxilium. Tandem leguntur in jure suspensiones propriae Episcoporum, Capitulorum, Conventuum de quibus vide Theologos morales, et inter ceteros *Natalem Alexand.* cit. *Lib. II. Cap. III. art.* 3.

Q. II *An mere suspensus ab ordine, quem habet, incurrat irregularitatem suscipiendo ordinem superiorem?*

℟. *Neg.* Quia ex nullo textu expresse colligi potest, hunc esse irregularem. Ita multi. Neque aliquid officit, si dicatur, quod qui recipit altiorem ordinem, solemniter ministret in inferiori, a quo est suspensus; nam improprie dicitur ministrare in ordine inferiori, qui recipit superiorem. Quare cum agatur de materia poenali, non censetur cadere sub legem quod nonnisi improprie verba legis comprehendunt.

Q. III. *An clericus, qui in ipsa ordinatione suspenditur, eam indebite suscipiendo, irregularitatem incur-*

currat, si in ipsa ordinationis Missa sollemniter ministret, puta canendo evangelium, vel epistolam?

℟. Affirmat *Tournely* cum aliis; quia jam tum exercet ordinem cum censura prius contracta. Sed alii negant; quia ille actus moraliter loquendo non est distinctus ab ipsa ordinatione; cum tota actio ordinantis a principio usque ad finem officii fit unus actus moralis, ad quem reliqui spectant.

APPENDIX

De Depositione, et Degradatione.

Suspensioni subjiciuntur *Depositio*, et *Degradatio* ob affinitatem, quam habent cum illa; censurae tamen non sunt, cum non sint poenae medicinales, sed vindicativae; aut instar suspensionis privant officio, et beneficio.

Q. I. *Quomodo definiatur Depostio?*

℟. Est *poena ecclesiastica privans Clericum officio, et beneficio in perpetuum jure ordinario irremisibiliter*; ita Doctores communiter ex *Cap. Cum non ab homine* 1.° *de Judiciis.*

Q. II. *Quid sit Degradatio?*

℟. Degradatio dividitur in verbalem, et realem, sive actualem. *Verbalis* est poena ecclesiastica, qua clericus in perpetuum privatur omni officio, ac beneficio clericali, retento solo privilegio canonis, et fori. *Realis* vero degradatio tunc dicitur, quando clericus primo verbaliter degradatus, certa sollemnitate expoliatur omnibus vestibus, et insignibus clericalibus, omnique privilegio clericali. Realis ergo degradatio verbalis degradationis executio est: una tamen ab altera distinguitur, quia per verbalem degradationem clericus adhuc retinet privilegium fori, et canonis; per realem vero eodem privilegio spoliatur, et transit in potestatem brachii saecularis; ita Doctores communiter ex *Cap. Degradatio*: *de Poenis in* 6.

Subjectum utriusque poenae est clericus; minister vero depositionis, seu degradationis verbalis est quilibet Superior habens jurisdictionem ecclesiasticam in

foro externo, ex Trid. *Sess. XIII. Cap.* 4. in decreto *de Reform.* Degradationis autem realis est solus Episcopus consecratus, quia est actus ordinis.

Crimina, ob quae depositio fieri solet, sunt quaedam atrociora, et scandalosa, ut homicidium voluntarium, stuprum, adulterium etc. Degradatio vero realis hodie non fit, nisi ob aliquod grande delictum, cui a jure communi ecclesiastico, aut Pontificiis sanctionibus sit expresse, et nominatim adnexa ejusmodi poena: ut sunt crimen haeresis, in quam saltem sit aliquis relapsus, in eaque pertinax: crimen falsi in litteris apostolicis: calumnia et contumelia gravis in proprium Episcopum. Sunt et alia, de quibus legendus *Bened XIV. de Syn. dioec. Lib. IX. Cap.* 6. *n.* 7. *et* 8.

Depositionis effectus est parpetua, atque irremissibilis privatio officii, ac beneficii. Ita depositus privatur titulo, ac radice beneficii; officii vero privatur usu, non vero ordine, ac potestate, cujus character est indelebilis. Unde valide, licet illicite exercet actus ordinis, qui a jurisdictione non pendent; retinet tamen privilegium fori, et canonis, et manet obnoxius clericalibus oneribus; scilicet recitandi horas canonicas, servandi castitatem, et abstinendi a negotiis, officiisque statui indecentibus.

Degradationis vero realis effectus sunt praeter privationem officii, et beneficii, privatio omnis honoris, ac privilegii clericalis, etiam fori, et canonis, et laicali jurisdictioni subjectio, a qua degradatus capi, in carcerem conjici, et puniri potest: licet remaneat oneribus clericalibus addictus, cum non amittat characterem, et potestatem ordinis.

CAP.

C A P. IV.

De Interdicto.

§. I.

De Natura, et divisione Interdicti.

Tertia censurae species est *Interdictum*, quod definiri potest, *censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina officia, et quorundam Sacramentorum usus, et ecclesiastica sepultura.* Ita passim Doctores ex *Cap. Non est vobis, de Sponsalibus.* Differt ab excomunicatione, quae his bonis privat, quatenus sunt communicatio cum Fidelibus; et a suspensione, quae etiam privat a divinis, quatenus sunt actus ordinis; Interdictum vero, quatenus sunt bona Ecclesiae.

Interdictum praeter divisiones, quas cum censura in genere communes habet, 1.° dividitur in locale, personale, et mixtum, *Cap. Si civitas* 17. et *Cap. Si sententia* 16. *de Sentent. excomm. in* 6. *Locale* immediate, et directe afficit locum, prohibetque, ne divina in eo celebrentur, aut recipiantur, etiam ab extraneis; mediate vero afficit personas, et sub eo respectu vera est censura.

Personale immediate, ac directe respicit personas easque ubicumque sint, a divinis arcet.

Mixtum dicitur, vel quando locus simul, et incolae interdicuntur, vel quando interdicitur persona, et locus omnis, quo illa persona fuerit ingressa; et vocatur a canonistis *deambulatoriam* cit. *Cap. Non est vobis.*

Rursus dividitur interdictum tum locale, tum personale, in generale, et speciale.

Interdictum locale *generale* est illud, quod fertur in locum aliquem universalem, qui plura alia loca sub se continet; ut si interdicatur regnum, provincia, civitas, tota parochia.

Interdictum locale *speciale* est illud, quo interdicitur locus aliquis sacer determinatus: ut una ecclesia, vel aliquae ex iis, quae sunt in civitate.

Q. I. *Quodnam discrimen inter interdictum generale, et speciale intercedit?*

℟. Interdictum generale locale comprehendit totum districtum locale tam sacrum, quam profanum; ita ut nemini liceat nec intra, nec extra ecclesiam divina audire; non item interdictum speciale, ita ut si interdictum feratur in omnes ecclesias civitatis, adhuc dici possit speciale; quia non comprehendit loca civitatis profana, neque oratoria privata sive constructa, sive construenda, in quibus divina fieri possunt: in profanis vero, si divina peragi nequeant, hoc oritur ex conditione loci, non ex natura interdicti.

Hoc autem interdictum locale potest dupliciter considerari, vel quod ad ipsum locum, et tunc certum est, non posse celebrari divina officia in eo loco, qui in interdicto exprimitur, nisi in casibus exceptis: vel quod ad personas, et tunc certum est, etiam ipsas non posse interesse divinis, quoties existunt in loco interdicto et non alibi: cum prohibitio Ecclesiae in interdicto locali afficiat tantummodo locum, ad differentiam interdicti personalis, in quo prohibitio afficit personas, etiamsi existant in loco non interdicto. Verum aliquando interdictum locale extenditur ad locum, etiamsi non exprimatur, et ad personas, etiamsi alibi existant.

I. Ad locum non expressum extenditur interdictum, quoties non expressus locus est pars loci expressi, quod censetur vel quando non expressus locus est pars accessoria principalis expressi; vel quando non expressus est ita contiguus loco expresso, ut si ibi, ut prius, celebrarentur divina, interdictum parvipenderetur; *Cap. Si civitas: de Sent. excom. in* 6.

Hinc resolves 1.° Interdicta civitate, intelliguntur interdictae omnes ecclesiae ibi existentes, etiam Regularium, ex Trid. *Sess. XXV. Cap.* 12. *de Regularibus*, etsi interdictum latum sit ab Episcopo. Item ecclesiae, quae postmodum fuerint erectae; quia respicit locum, cui ecclesia de novo erecta inhaeret.

Item

Item censentur interdicta suburbia, et aedificia continentia, etsi ad alium Episcopum pertineant ex juris dispositione; quia aliter eluderetur interdictum.

Nota. Aedificia continentia intelliguntur ea, quae licet sint ab urbe divisa, tamen a civibus commode adiri possunt; ut quae sunt intra milliare. Verum hoc vel prudentum judicio, vel judicis arbitrio difiniendum.

Resolves 2.° Interdicta aliqua Ecclesia, censentur interdictae omnes ejus cappellae, et coemeterium ei contiguum. Porro coemeterium ecclesiae contiguum dicitur, quando ita alicui ecclesiae adhaeret, eamque immediate tangit, ut pars, aut accessorium illius censeatur. Contra vero non intelligitur interdictum coemeterium, quod non est ecclesiae contiguum; sicuti etiam neque alia ecclesia, quae licet ecclesiae interdictae sit contigua, non censetur tamen moralis pars ejus, cum sit prorsus una ab alia independens.

Ceterum interdicto coemeterio, non ideo intelligitur interdicta ecclesia contigua; quia interdictum totius cadit in partes, non interdictum partis in totum.

II. Ad personas, etiamsi alibi existant, extenditur interdictum locale; quando personae caussam hujusmodi interdicto dederunt; quia respectu earum interdictum locale secum fert etiam personale: unde ii ubicumque sint, non possunt divina participare. Porro caussam interdicto dare dicuntur ii, qui quomodolibet cooperantur delicto, ob quod fertur interdictum.

Q. II. *Quasnam personas complectatur interdictum locale sive generale, sive speciale?*

℟. Interdictum locale sive generale, sive speciale omnes incolae tam laici, quam ecclesiastici, etiam regulares, imo idem Episcopus. (excepto Romano Pontifice) qui illud apposuit, servare tenentur: quia interdictum locale non est tam prohibitio facta personis, quam inhabilitas, seu privatio divinorum apposita loco.

Q. III. *Quotuplex sit interdictum personale, et ad quas personas extendatur?*

℟. Interdictum personale, quo interdicitur persona, aliud est *generale*, quo interdicitur Populus, vel

Communitas; aliud *speciale*, quo interdicitur persona particularis.

Generale interdictum personale afficit omnes personas, quae unum corpus morale constituunt, seu sunt membra communitatis interdictae.

Hinc resolves 1.° Interdicto populo alicujus civitatis, omnes, qui illius membra sunt, censentur interdicti, etiam innocentes, *Cap. Si sententia* 16. *de Sent. excomm. in* 6 etiamsi sint absentes tempore, quo interdictum imponitur; quia absentia non impedit, quin sint ejus membra. Item qui de novo post latum interdictum sint partes illius communitatis, quia vere evadunt ipsius membra. Item hujusmodi interdictum comprehendit concives habitantes in suburbiis, et aedificiis continentibus; dummodo aeque ac alii de populo ejus honores, et onera subeant, quia sic censentur esse de illo populo; secus vero, si sint sui juris, suaque onera, et honores distinctos habeant.

Excipiuntur ab interdicto populo. 1.° Episcopi, nisi illorum fiat expressa mentio. 2.° Infantes, et amentes, quia cum usu rationis careant, legibus non subduntur. Hi tamen sepulturae ecclesiasticae tradi nequeunt: quae prohibitio sepelientes potius, quam eos afficit. 3.° Peregrini, et advenae, quamvis per longum tempus in civitate interdicta commorentur, quia non sunt partes, et membra illius populi: etsi ad leges civitatis teneantur, non tamen ad illas, quae afficiunt personas singulares, quatenus sunt partes talis populi, ut reipsa afficit interdictum generale. 4.° Qui duo domicilia habet, tunc censetur interdictus, quando manet in civitate interdicta, quia quamdiu in ipsa manet, sortem populi, cujus est pars, subire debet: secus; si in alio commoretur. 5.° Demum alio abeuntes, ubi non est interdictum, ibique figentes domicilium; dummodo interdicto caussam non dederint, quia per translationem domicilii desinunt esse partes illius populi.

Resolves 2.° Interdicto populo, non intelligitur interdictus clerus; nec populus, interdicto clero; quia *Cleri* nomine non venit populus, nec nomine *populi* intelligitur clerus, cit. *Cap. Si sententia.* Item in-

interdicto clero alicujus civitatis, omnes ejusdem clerici, qui privilegio canonis, et fori fruuntur, sunt interdicti. Sacerdotes vero, qui domicilium habent in ea civitate, sed non beneficium, nec officium, non sunt interdicti, quia non constituunt unum corpus, seu non sunt membra illius cleri.

Interdictum personale *speciale* comprehendit 1.° eos omnes, qui caussam dederunt interdicto locali; aut generali personali. 2.° Qui tale delictum commiserunt, ob quod latum fuit a jure, vel ab homine interdictum, etsi eorum personae ignotae sint. 3.° Qui post incursum interdictum proprio nomine declarantur, et denuntiantur, et ii dicuntur nominatim interdicti.

Nota I. Interdictum locale non semper inducit personale, nec vicissim. Unde ob interdictum populi non censentur interdictae ecclesiae illius: quia in jure haec interdicta sunt diversae speciei.

Nota II. Interdicti generalis usum ante saeculum X. aut XI. reperire vix est. Ubi usus invaluit, aetate praesertim *S. Gregorii VII.* plura attulit commoda, plura intulit incommoda: quibus moti plures Rom. Pontifices, ac praesertim *Bonifacius VIII.* interdicti rigorem mitigare curarunt, praesertim quod attinet ad divinorum officiorum, et Sacramentorum usum, atque administrationem. Cujus relaxationis rationem profert laud. Pontifex in *Cap. Alma mater* 24. *de Sentent. excomm. in* 6. *Quia ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant haereses, et infinita pericula animorum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur.* Eadem repetit in *Extravaganti II. de Sent. excomm.*

§. II.

§. II.

De Effectibus interdicti.

Nota. Effectus *per se* interdicti tres sunt: privatio divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae. Hi effectus possunt limitari, et tunc interdictum illum effectum habet; quem exprimit; ita communiter: Effectus *per accidens* sunt poenae, in quas incidunt violatores interdicti.

Q. I. *An, et quatenus interdictum divinis privet officiis?*

Ante responsionem nota, nomine divinorum officiorum intelligi functiones illas, quae ex sua institutione a sacris ecclesiae ministris fiunt: ut Missae: horae canonicae, benedictiones nuptiarum, aquae, olei, chrismatis etc.

℟. 1.° Interdictum tam locale, quam personale a divinis officiis prohibet, ita omnes ex cit *Cap. Si sententia.* Contra vero per interdictum non prohibentur actus jurisdictionis, et similia, quae non sunt divini cultus. Item officia, quae sunt solita recitari a confratribus laicis; quia non sunt facta nomine Ecclesiae. Item psalmi, litaniae, quas recitantur a clericis, sed privatim; et tamquam personis particularibus, puta sine gestatione crucis elevatae, sine superpellicea, stola, et alio ornatu sacerdotali; quia haec non veniunt nomine divinorum officiorum.

℟. 2. Jure novo *Bonifacii VIII.* in *Cap. Alma mater*: *de Sent. excomm. in* 6. tempore interdicti generalis permittitur 1.° ut *singulis diebus in Ecclesiis, et Monasteriis Missae celebrentur, et alia dicantur divina officia, sicut prius: submissa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis.*

Permittitur 2.° ut *in festivitatibus Natalis Domini, Pascha, ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosae, campanae pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis . . .*

sic

sic tamen, quod illi, propter quorum excessum, interdictum hujusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent, nempe qui caussam interdicto dederunt, non veniant ad offertorium vel communionem. Hoc privilegium Martinus V. extendit ad festum corporis Christi, et Eugenius IV. ad ejusdem octavam.

Nota. Concessio laudati Cap. Alma non extenditur ad interdictum locale speciale, sed tantum ad generale. Unde in Ecclesia specialiter interdicta permittitur Missa semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam pro infirmis; ut in Cap. Permittimus 57. de Senten. excommun. statutum, legimus; atque insuper clericis permittitur, ut bini, vel terni divina officia legant; quemadmodum tempore generalis interdicti in ecclesiis conventualibus permissum fuisse novimus ex Cap. Quod in te 11. de Poenitent. et remission.

Q. II. *Quibus Sacramentis privet interdictum?*

℟. 1.° In interdicto locali, vel personali generali permittuntur Baptismus, Confirmatio, et Poenitentia; Cap. Quoniam 19. de Sent. excomm. in 6. et cit. Cap. Alma. 1.° Baptismus, qui conferri potest parvulis, et adultis sive sanis, sive infirmis, et quidem cum consueto solemni ritu Ecclesiae. 2.° Confirmatio, quae Baptsmi perfectio est, administrari potest, et ejus chrisma confici etiam in loco interdicto. 3.° Sacramentum poenitentiae jure novo omnibus conceditur, etiam extra articulum mortis; exceptis tamen excommunicatis, et specialiter interdictis, et iis, qui caussam interdicto dederunt; nisi prius ob delictum satisfecerint, vel de satisfactione cautionem dederint. Cap. Alma mater.

Nota. Haec Sacramenta possunt ministrari a persona interdicta interdicto generali, non vero specialiter interdicta, nisi in casu necessitatis, adeoque sine solemnitate. Utrum vero absolutio data ab interdicto denunciato, sit valida, disputatur: multi cum Bonacina affirmant; quia interdictum non privat jurisdictione, sed usu tantum divinorum.

Praeterea Sacramentum matrimonii celebrari posse a persona generaliter, atque adeo specialiter interdicta, per-

permulti affirmant; quia matrimonium praecipue est contractus politicus, cui ratio Sacramenti ex divina institutione est adnexa, atque accessoria.

R. 2.° Tempore interdicti neque Eucharistia, neque ordo, neque extrema unctio administrari potest. In mortis tamen articulo Eucharistia deferri potest, et quidem cum solita sollemnitate, et honore ad infirmos, etiam personaliter interdictos cit. *Cap. quod in te: de Poenit. et remiss.* et *Cap. permittimus: de Sentent. excomm.* Minister vero, si sit specialiter interdictus, nequit eam administrare, nisi in necessitate in qua deest alius Sacerdos, a quo conferatur. Extra mortis periculum in generali interdicto licitam esse communionem clericis, aliisque privilegium habentibus, multi affirmant; quia iis permissa est assistentia sacrificio Missae, quae secum habet adnexam communionem.

Insuper infirmis, qui alia sacramenta recipere non possunt, ex praesumpta voluntate Ecclesiae, extremam unctionem conferendam esse, docent multi.

Q. III. *Quibus prohibeatur ecclesiastica sepultura tempore interdicti.*

R. Omne interdictum sive locale, sive personale privat omnes ecclesiastica sepultura, per quam intelligitur locus, quem Episcopus consecravit, vel benedixit ad usum coemeterii, vel in quo divina officia peraguntur.

In interdicto locali generali excipiuntur clerici, qui possunt sepeliri in loco sacro, etiam specialiter interdicto; dummodo non sint specialiter interdicti, nec dederint caussam interdicto, nec interdictum violaverint actione clericorum propria; sed sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio; *Cap. quod in te 11. de Poenitentiis et remissionibus.* Excipiuntur etiam laici, qui specialiter privilegium habent. Ceteri vero, etiamsi sint innocentes, exteri, infantes, vel amentes nequeunt licite sepeliri in loco sacro interdicto; quia hujusmodi interdicto locus sacer est incapax eorum sepulturae. Quare tempore interdicti generalis localis mortui sepeliendi sunt in campo aliquo, vel in loco ad id deputato, sed

sed non benedicto, ut cessante interdicto transferantur ad locum sacrum: modo non fuerint specialiter interdicti, neque interdicto caussam dederint.

Specialiter interdicti, si sepulti sint in loco sacro, exhumandi, et in locum profanum sunt transferendi.

Utrum festis sollemnioribus, quibus ex privilegio *Cap. Alma* suspenditur interdictum, laici his diebus morientes possint in loco sacro sepeliri, disputant Theologi: probabilius negatur.

Quando interdictum est personale, si fuerit denunciatum, privat omnes semper, et ubique ecclesiae sepultura.

Hinc si interdicatur aliquis in particulari, sive laicus, sive clericus sit, si in censura decedat etiam extra territorium interdicentis, non potest in loco sacro sepelliri. Item dicendum, si aliquis Communnitatis interdictae moriatur, dummodo sit ejus membrum.

Dixi, *si fuerit denunciatum*; quia ex constitutione *Martini V.* nemini deneganda est ecclesiastica sepultura ex vi alicujus censurae, vel sententiae, nisi prius fuerit haec denunciata.

Q. IV. *Quid intelligatur per interdictum* ab ingressu Ecclesiae.

℟. Intelligitur privatio sepulturae in ecclesia, *Cap. Is cui* 20. *de Sent. excomm. in* 6.

Nota 1.° Hoc interdictum quod ad Clericos vocatur suspensio.

2.° Sic interdictus privatur exercitio ordinis sacri in ecclesia, et auditione divinorum in ipsa; ita ut clericus, cui ecclesiae ingressus est interdictus, si in ea actum ordinis sacri exerceat, fiat irregularis.

3.° Juxta multos interdictus potest ingredi ecclesiam, quando divina non celebrantur; puta ad audiendam concionem, disputationem etc. imo juxta aliquos ad recipienda Sacramenta; quia sic interdictus non privatur usu passivo Sacramentorum.

4.° Extra ecclesiam in coemeterio, vel in privato oratorio posse divina exercere, docent aliqui.

5.° Si cum signis poenitentiae decedat, etiamsi a censura non fuerit absolutus, permittitur tamen in loco sacro tumulari, cit. *Cap. Is cui*

Q. V.

Q. V. *Quaenam sint poenae violantium interdictum?*

Ante responsionem nota I. interdictum violari dicitur, quando exercetur aliqua ex illis actionibus, quae per ipsum prohibetur.

II. Interdictum non violatur, nisi sit denunciatum. Personaliter autem interdictus, si se ingeret, etiamsi non fuerit denunciatus, interdictum violare intelligitur, ex Constitutione *Ad evitanda*.

R. 1.° Violantes interdictum peccant graviter, nisi parvitas materiae excuset; quia violant praecepta Ecclesiae in re gravi.

2.° Clerici exercentes proprium actum sacri ordinis, praeter peccatum mortale, fiunt etiam irregulares cit. *Cap. Is cui de Sentent. excomm. in* 6. Item Clericus, vel Religiosus utriusque sexus privatur voce activa, et passiva ad officia, et beneficia, *Cap. Is qui* 18. §. *Is vero: de Sententia excom. in* 6.

3.° Clericus, qui in loco interdicto celebrat, aut alium actum ordinis exercet, non servatis conditionibus *Capitis Alma*, praeter irregularitatem, incurrit etiam interdictum ab ingressu Ecclesiae

4.° Clerici exempti, et Religiosi admittentes in loco non interdicto ad divina, vel ad Ecclesiasticam sepulturam nominatim interdictos, contrahunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, quousque satisfaciant ei, cujus sententiam contempserunt, *Cap. Episcoporum* 8. *de Privilegiis in* 6.

5.° Religiosi etiam exempti incurrunt ipso facto excommunicationem majorem, quoties non servant interdictum generale loci, servatum ab ipsa Ecclesia matrice, vel parochiali loci, in quo ipsi habitant, *Clem. I. de Sent. excom.*

6.° Domini temporales, qui cogunt clericos ad publice celebranda divina officia in loco interdicto, incurrunt excommunicationem Papae reservatam. Similem quoque excommunicationem contrahunt nominatim interdicti, qui admoniti non exeunt.

7.° Qui interdictos sepeliunt scienter in loco sacro extra casus exceptos, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam.

§. III.

§. III.

De Latore, Caussa, suspensione, et Absolutione interdicti.

Q. I. *Quinam ferre interdictum valeant?*

℟. Qui habent potestatem ferendi censuras, ferre etiam possunt interdictum. Praelati regulares, quamvis ferre interdictum personale possint, nequeunt tamen interdicere loca sibi subjecta, nisi in plebem jurisdictionem habeant.

Q. II. *Quam ob caussam ferri interdictum possit?*

℟. 1.° Interdictum speciale personale nequit infligi, nisi ob culpam gravem propriam illius personae, quae interdicto plectitur.

℟. 2.° Interdictum locale, vel personale generale nequit infligi, nisi ob culpam gravem contumaciter admissam a capite; vel a praecipuis membris Communitatis, licet reliqui sint innocentes: quia haec poena redundat in Communitatem, quam privat cultu divino publico.

Q. III. *Quinam suspendere interdictum valeat?*

℟. Suspendere interdictum ad tempus potest, qui illud tulit: sed suspendere effectus interdicti, manente, interdicto, juxta multos, solius summi Pontificis est, is enim solus potest dispensare in jure communi.

Q. IV. *Quis ab interdicto absolvere valeat?*

℟. 1.° Ab interdicto locali, aut generali personali si a jure communi sint imposita, et reservata non sint, non potest absolvere, nisi qui habet jurisdictionem in foro externo in locum, vel Communitatem interdictam. Verum si interdictum latum sit ad tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel conditione impleta, cessat sine absolutione. Item interdictum latum contra communitatem, si haec dissolvatur sine absolutione; cessat respectu innocentum. Item cessat interdictum absque absolutione, destructo ejus subjecto: ut si ecclesia interdicta destruatur. Si autem locus ecclesiae sit interdictus, manet interdictum in solo, vel pavimento

mento; idcirco in eo solo cadavera non possunt sepeliri.

℟. 2.° Ab interdicto personali speciali potest absolvere quilibet Confessarius approbatus: dummodo hujusmodi interdictum non sit reservatum: ita multi. Si vero sit reservatum, non potest relaxari nisi ab eo, qui illud tulit, vel ab ejus superiore.

Nota. Interdictum illius, qui dedit caussam interdicto generali, intelligitur reservatum, aeque ac generale. Item latori reservatum est interdictum latum ab homine per sententiam particularem, ut dictum est de absolutione a censuris in genere.

Demum quibus in casibus de jure communi incurratur interdictum sive generale, sive speciale personale, videndus *Bonacina*, qui *Tom. I. de Censuris disp. V. punct.* 8. *de Interdicto* accurate, ac diligenter ea omnia enumerat. Nota, celebre interdictum in *Cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenitentiis, et remissionibus*, latum contra eos, qui communionis Pascalis praecepto non satisfaciunt, in nostra Dioecesi esse latae sententiae, et Archiepiscopo reservatum.

§. IV.

De Cessatione a divinis.

Cessatio a divinis est prohibitio clericis imposita, ut sub gravi cesseat a divinis officiis in aliquo loco, et ab administratione Sacramentorum, excepto naecessitatis casu, in signum doloris ob gravem injuriam Ecclesiae, aut divino cultui illatam; et in illius reparationem. Eosdem fere effectus habet, quos interdictum: non est tamen censura; cum non sit poena medicinalis, sed mera prohibitio imposita ad ostensionem doloris. Unde ejus violatio, licet sit graviter illicita, non tamen inducit irregularitatem. Religiosi vero etiam exempti generalem cessationem a divinis violantes, quando ab Ecclesia matrice servatur, sunt ipso facto excommunicati, *Clementina I. de Sent. excomm.*

AP-

APPENDIX TOTIUS OPERIS.

De variis propositionibus a Sede Apostolica, atque ab Ecclesia damnatis.

Cum praeter haereses saepenumero in Theologicis Institutionibus propositionum, quas Sedes Apostolica, aut Oecumenica Concilia improbarunt, fecerim mentionem, maximeque Theologum nosse oporteat scopulos, quos in disputationum aestu vitare debeat; operae pretium me facturum putavi, si eas omnes hic in exitu operis mei recenserem, veluti sentinam quandam pestilentium opinionum, a quibus adolescentes sollicite cavere studeant, et si quando ab aliis incaute proferri, aut defendi advertant, non solum rationibus, quas in hoc ipso opere suppeditavimus, verum etiam opposita Ecclesiae auctoritate, refutent, et explodant. Sunt autem sequentes, quas pro temporum varietate, in quibus sunt damnatae, digessimus.

A P P E N D I X

De damnatis propositionibus.

§. I.

Propositiones damnatae anno CCCCXI ab Innocentio I. in Epist. ad Conc. Carthaginense et Milevitanum.

1. Naturaliter potest implere legem qui vult, et Deus legem ad adjutorium dedit.

2. Ad perficiendam justitiam, et Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.

3. Parvuli propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt.

4. Potest homo in hac vita, praeceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiae, sine adjutorio gra-

gratiae Salvatoris, per solum liberae voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*

5. Illud: *et ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in nostra positum est potestate, et ad hoc implendum sola sufficit hominis natura.

6. Non orandus Deus, ut contra peccati malum, et ad operandam justitiam sit noster adjutor.

7. Non opitulatur parvulis ad consequendam vitam aeternam Christianae gratiae sacramentum,

§. II.

Propositio Ab Joachim damnata in Concilio Lateranensi IV. anno MCCXV.

Unitas divinarum personarum in natura non est vera, et propria, sed quasi collectiva et similitudinaria; quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia.

§. III.

Propositiones damnatae a Jo. XXII. Extrav. Cum inter nonnullos. De verb. signif. *contra Joan. de Poliac.*

1. Confessi Patribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.

2. Stante *Omnis utriusque Sexus* edicto in Concilio generali, R. Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri (quem dicit esse Parochianum curatum). Imo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3. Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, imo nec Deus, quin confessus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacer-

cerdoti, quem dicit esse (ut praemittitur) proprium Curatum.

4. Christus, et ejus discipuli nihil proprium habuerunt, et nullum jus eis fuit.

§. IV.

Propositiones Beguardorum, aliaeque damnatae in Concilio Viennensi sub Clemente V.

1. Homo in vita praesenti tantum, ac talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) si quis posset semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, post quam gradus perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita spiritui, et rationi subjecta, quod homo potest corpori libere concedere quidquid placet.

3. Illi qui sunt in praedicto gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non sunt humanae subjecti obedientiae, nec ad aliqua Ecclesiae praecepta obligantur. Quia (ut asserunt) *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*,

4. Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam obtinebit in vita beata.

5. Quaelibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter est beata; et anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.

6. Se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes.

7. Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinat), est peccatum mortale: actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.

8 In elevatione Corporis Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate, et altitudine suae contemplationis tantum descenderent, quod cir-

circa mysterium, seu Sacramentum Eucharistiae, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

9. Exercere usuras non est peccatum.

10. Anima rationalis non est vere, et proprie forma corporis humani.

§. V.

Propositio damnata in Concilio Constantiensi anno MCCCCXVIII.

1. Quilibet tyrannus potest, et debet licite, et meritorie occidi per quemcumque vasssallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque praestito juramento, seu confoederatione facta cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque.

§. VI.

Propositiones Wiclefi damnatae in eodem Concilio Sess. XLV.

1. Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice, et realiter propria praesentia corporali.

4. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confusio exterior est sibi superflua, et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus, et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

9.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum, sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare nisi prius sciat, cum excommunicatum a Deo, et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus, et excommunicatus.

12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, vel concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, et Regni.

13. Illi, qui dimittunt praedicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui diacono, vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae, sive Episcopi catholici.

15 Nullus est dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16 Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel religiosos non plus prosunt eidem quam generales, ceteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti istituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio praesciti nulli valet.

27. Omnia ex necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae, et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes, et Magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta: tantum prosunt Ecclesiae, sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papae, vel cujuscumque praelati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Silvester Papa, et Constantinus Imprator errarunt Ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta; et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent; et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares, et ceteri laici.

37. Ecclesa Romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus, et immediatus vicarius Christi, et Apostolorum.

38. Decretales Epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti, qui fident eis.

39. Imperator, et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papae a Cardinalibus a diabolo est introducta.

41.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiis Papae, et Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus, et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et istituerunt, et intraverunt Religiones, et sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt haeretici.

45. Omnes Religiones indifferenter inductae sunt a diabolo.

§. VII.

Propositiones Joan. Hus in eodem concilio damnatae.

1. Una est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum univeritas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus, actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas, quae ipsam ligat, non excidet.

4. Duae naturae, Divinitas, et humanitas sunt unus Christus.

5. Praescitus etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam; tamen nunquam est pars S. Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non, secundum praesentem justitiam; isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, sacerdotii polluunt potestatem, et sic ut filii infideles sen-

sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis, et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis, et ordinibus.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio, et institutio a Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatus, requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus, et manifestus successos Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro, et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri, et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, et consilia Domini nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit saeculari judicio est tradendus, et pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipsum saeculari judicio tradiderunt, et quod tales sint homicidae graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia Ecclesiastica, est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiae, praeter expressam auctoritatem Scripturae.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose, et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum in

inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus et habentes Scripturae notitiam, et affectum ad aedificandum populum, debent praedicare, non obstante praetensa excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Praelatus mandat Sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, et interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat; avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant malitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, praesertim si est praescitus, tunc, ut Judas, Apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae, et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel praelatus malus, psaescitus, est aequivoce pastor, et vere fur, et latro.

23. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet dici Sanctissimus secundum officium, et tortores, et praecones dicerentur Sancti, imo etiam diabolus deberet dici Sanctus, quum sit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiam si ascenderet per ritum, et legitimam electionem, secundum constitutionem humanam vulgatam; tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam; nam Judas Ischariotes rite, et legitime a Deo Jesu Christo electus

ctus est ad Episcopatûm, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio XLV. articulorum *Joannis Wicleff* per Doctores facta, est irrationabilis, et iniqua, et male facta, et ficta causa est per eos alligata, videlicet ex eo quod ullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso persona illa est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico, unde sive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet à Deo ad hoc copiosius facultâtem.

27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam; quod semper cûm Ecclesia ipsa militante conversetur, et conservetur.

28. Christus sine talibus mostruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli, et fideles Sacerdotes Domini, strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente, per summe possibile, Papa usque ad diem judicii.

30. Nullus est dominus civilis: nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

§. VIII.

Propositiones Augustini Romani damnatae in Concilio Basileensi anno MCCCCXXXV.

1. Anima Christi videt Deum tam clare, et intense, quantum clare et intense Deus videt seipsum.

2. Ratio suppositalis determinans naturam humanam in Christo, non distinguitur realiter ab ipsa natura determinata.

3. Christus quotidie peccat, et ex quo fuit Christus quotidie peccavit.

4. Non omnes justificati sunt membra Christi, sed soli praedestinati.

5. Humana natura in Christo est persona Verbi.

6. Hmana natura assumta a Verbo in unione personali est veraciter Deus naturalis, et proprius.

7. Christus secundum voluntatem creatam diligit naturam humanam unitam personae Verbi quantum diligit naturam divinam.

8. Sicut duae personae in divinis sunt aequaliter diligibiles, ita duae naturae in Christo humana, et divina sunt aequaliter diligibiles propter personam communem.

§. IX.

Propositiones Magistri Petri Oxomensis damnatae a Sixto IV. anno MCCCCLXXVIII.

1. Peccata mortalia quantum ad culpam, et poenam alterius saeculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiae; non de jure divino.

3. Pravae cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, idest de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis injucta.

6. Papa non potest alicui viro indulgere poenam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romae errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiae.

9. Sacramentum poenitentiae quantum ad collationem gratiae Sacramentalis, naturae est, non alicujus institutione veteris, vel novi Testamenti.

§. X.

mortalia cognoscas; unde in primitiva Ecclesia sola manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote, credat sibi remitti: imo peccatum, maneret nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati, et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi: *Quodcumque solveritis etc.* Hinc, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum; verissime est absolutus.

13. In Sacramento Poenitentiae, ac remissione culpae, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo ubi non est Sacerdos, aeque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramentum Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas, et praeparatoria; omnes illi judicium sibi manducant, et bibunt sed si credant, et confidant, se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros, et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in Communi Concilio statuerit, laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi sub utraque specie communicantes sunt haeretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum, et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt.

19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares, et ad fructum spsritus utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo, et impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiae nec necessariae, nec utiles; videlicet mortuis, seu morituris, infirmis legitime impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica: his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant homines communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

24. Docendi sunt Christiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. R. Pontifex Petri successor, non est Christi vicarius, super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram etc.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Papae, aut Ecclesiae prossus non esse, statuere articulos fidei. imo nec leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec foret per Concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli *Jo*: *Hus* condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, et Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Haereticos comburi, est contra voluntatem Spiritus S.

34. Praeliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium per peccatum est res de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex S. Scriptura, quae sit in Canone.

38. Animae in Purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus, aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendae charitatis.

39. Animae in Purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quaerunt requiem, et horrent poenas.

40. Animae ex Purgatorio liberatae suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Praelati Ecclesiastici, et Principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

§. XII.

Propositiones Michaelis Baji damnatae a S. Pio V. Gregorio XV., et Urbano VII. in sensu ab assertoribus intento.

1. N[illegible] Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

3. Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita aeterna homini integro, et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

5.

5. In promissione facta Angelo, et primo homini continetur naturalis justitiae confirmatio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8 In redentis per gratiam nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, et Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum usum Sacrae Scripturae nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Jesum Christum male meritis, et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis, quae dimisso peccato saepe remanet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, et juste in hac vita mortali usque ad finem conversati, vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non esse regni coelestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio merentur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habet gratiam, et inhabitantem Spiritum S. sed in eo solum, quod obedit divinae legi.

16. Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera catechumenorum, et fides, et poenitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiae, et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

21. Humanae naturae exaltatio, et sublimatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. II. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, et gratuito, supra conditionem naturae fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter colcret.

24. A vanis, et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata sententia, quae ad Pelagianismum rejicienda est: hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et ad Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia

26. Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.

28.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbtrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, et latrones, qui Christum viam, et ostium veritatis, et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiae, hoc est ad aliquam justitiam conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse: sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta, et sincera, quae est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus esse potest sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, commentitia, et ad illudendum sacris litteris, et plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumtionis humanae, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a *Joanne* prohibetur, aut laudabilis charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia, non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur; ac Divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum S. renovatus, deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In omnibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus; depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vera legis justitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

46. Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quaestio est, sed causae, et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, vel respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo eo quod gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto. Non concupisces,

51.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis ut suum auctorem, et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva haec sententia, Deum nihil homini impossibile praecepisse, falso tribuitur *Augustino* cum sit Pelagii.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, et reatus, transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens, et inspirans vivificat eum, et resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte Redemtores,) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta: sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, et ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa Doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem

quem valeat operantem perducere ad regnum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est, et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum, (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni aeterni, eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiae, alterius, quae fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus S. cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, qua divinae legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator dum ei poenitentiae, et vitae novae propositum, et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, altarius, qua vivificatur qui vere justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiae Christi injuriam facit, qui ita sentit, et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, et inspirationem gratiae, quae per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramenti conjunctam,

non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde et Job, et Martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo praeter Christum est absque peccato originali, hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, et omnes ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto *Non concupisces*. Unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo*.

77. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

78. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine justitia originali.

Propositiones autem illae damnatae sunt *in sensu ab assertoribus intento*, *quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent*, ut ait Pontifex, imo nonnullae damnatae sunt tantum propter acerbiorem, quam continent censuram, ut testantur *Suarez*, *Vasquez*, *Contensonus*, et qui omnibus in hac parte praeferendi sunt, *Bellarminus*, et *Toletus*.

§. XIII.

§. XIII.

Propositiones damnatae, prima a Consultoribus Romanis die 18. Nov. an. MDLXXXI. altera a Clemente VIII. die 20. Ju. MDCII.

1. Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione, prius merito contemnatur.

2. Licet per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

§. XIV.

Propositiones damnatae ab Alexandro VII. anno MDCLIX. die 30. Januar.

1. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut saecularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, praeterquam in decisionibus fidei, neque etiam Bulla *Pii IV.* pro confirmatione illius Concilii promulgata.

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimo ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, et si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tandumdem valet, ac si approbatio concessa fuerit.

3. Regulares ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Dioecesi, habentur pro approbatis in aliis dioecesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo re

reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsa indulta non fuerit.

4. Nullus in foro conscientiae Parochiae suae interesse tenetur nec ad annuas confessiones, nec ad missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quae ibi in catechesibus annuntiantur, et docentur

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia provincialia, vel nationum sancire, nec delinquentes aliquibus poenis, aut ecclesiasticis censuris multare possunt.

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a Judicibus saecularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsi mandata concedant ad praedicandum in Adventu, et Quadragesima. Quod si renuant facere Episcopi, decretum Judicum saecularium tantundem valet, ac si permissio dictis religiosis concessa fuisset.

§. XV.

Propositiones damnatae ab eodem Alexandro VII. anno MDCLXV. die 24. Septembris.

1. Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 28. Julii in Concistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, et tolerata est.

4. Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constat, Petrum esse haereticum, non teneris illum denuntiare, si probare non possis.

6.

6. Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac preinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsam absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque potest Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam caussam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae Confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni pu-

publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in coscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit poena.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat moraliter, nisi ex contemtu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere praecepto.

24. Mollities, sodomia, et Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfecit Confessionis praecepto, dicens: Commisi cum saluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a Principe promulgatam.

§. XVI

§. XVI.

Propositiones damnatae ab eodem Alexandro VII. anno MDCLXVI. die 18. Martii.

29. In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quaseumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit praecepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti, et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V. hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium; non praeceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum

tum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo, nimis aegre ageret vitam; et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et aliae famulae nimis difficile invenirentur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos

44. Quoad forum coscientiae, reo, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

§. XVII.

Propositio damnata ab Innocentio X. anno MDCXLVII.

Sanctus Petrus, et S. Paulus sunt duo Ecclesiae Principes, unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiae Catholicae Coriphei, ac supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti, vel sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, quod in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiae Summi Pastores, ac Praesides, qui unicum caput constituunt.

§. XVIII.

Propositiones damnatae ab Innocentio XI. anno MDCLXXIX. die 4. Martii.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse Judicare Juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive

ve extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quanto tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consequutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur fidem inge-

genue confiteri; ut Deo, et Fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit loquutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irriverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis caussa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Caussa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum. ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis est caussa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui ni-

nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defentione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad que jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur. se taliter defendere, sicut et jus habenti in Cathedram, vel Praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere; quum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevio inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tamquam ex justitia debitum.

43. Qidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, *digniores*; non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumto comparativo pro positivo: vel secundo, loquutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturae prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, et si absit contemtus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul, a diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio, et communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis, aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat; nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere; quinimo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando caussa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis D. N. I. C.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

§. XIX.

§. XIX.

Propositiones damnatae ab eodem Innocentio XI. an. MDCLXXIX. die 23. Novemb.

1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.
2. Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.

§. XX.

Propositiones Michaelis Molinos damnatae ab Innocentio XI. anno MDCLXXXVII. die 2. Novemb.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare. Et haec est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus Agens; et ideo opus est se ipsum in Deo totum, et totaliter derelinquere, et postea permanere, velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiae inimica; impeditque Dei operationes, et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit, et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum; et hac ratione Deus vivit, et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio; et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de aeternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntete resignata maneat nec-

nec ne : nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna hominis reflexio est nociva ; etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad proprios defectus.

10. Si proprii defectus alios scandalizent, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi ; et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quae occurrunt, an recte procedatur necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, et cura de omni re nostra ; et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis, et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae. Et illud Evangelii, *petite*, *et accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem.

Imo hujusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita ; quia melius est divinae Justitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato : non est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cu-

cura; et cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur; quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris speciebus, et propriis conceptionibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, et per cogitationes, per quas Deum animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus, et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura, et universali, cum quiete, et oblivione cujusque cogitationis particularis, ac distinctae attributorum Dei, Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum, et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia in his Deus sibi non complacet.

22. Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, sed postea cognoscit, illam se habuisse: et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum Sancto Bernardo, in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam, et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrunt etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, et dormiatur, nihilominus fit oratio, et contemplatio actualis; quia oratio, et resignatio, idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illae viae, purgativa, illuminativa, et Unitiva; sunt absurdum maximum, quod dictum fuit in mystica. Cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quaerit Deum, sed seipsum, et male agit, cum eam desiderat, et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus sollemnibus.

28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post communionem alia requiritur praeparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quae modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus sollemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.

34. Verbis, et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quo operetur in illis, et quo magis Deo se resignant, experiuntur, se non posse orationem Dominicam, seu *Pater noster* recitare.

35. Non convenit animabus hujus vitae internae, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione, et activitate, alias non essent mortuae: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos aut Humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, et possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et poenitentiae, quae peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

40. B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice illorum manus, et alia membra contra eorum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in

in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus praeteritis saeculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio Daemonum, qui caussando in eis praedictas violentias facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex Daemonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi Daemonis violentias in suo corpore passus est; unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem, et unionem perducendam, nec alia superest via: Et haec est via facilior, et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscoeni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietare: sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit, non confitendo, quia hoc pacto superatur Daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata nec etiam venialia.

49. Job ex violentia Daemonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad

Deum proces (sic interpretando locum ex cap. XVI. Job.)

50. David, Hieremias, et multi ex Sanctis Prophetis ejusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de *Samsone*, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistaeis, conjugium iniit cum alienigena, et cum *Dalila* meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita, et peccata fuissent; De *Juditha*, quae *Olopherni* mentita fuit; De *Elisaeo*, qui pueris maledixit; De *Elia*, qui combussit Duces cum turmis Regis *Achab*. An vero fuerit violentia immediate a Deo perfecta, vel Daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiae etiam impura e absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, et videre quod sint Animae, quae proficiunt in via interna; sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia, et certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, qui ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, et anima in contarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient, et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, et extinguendas omnes pas-

passiones, ita quod nihil amplius sentiunt, nihil, nec ullam sentiunt inqu ietitudinem, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duae leges, et duae cupiditates, animae una, et amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius; unde quando his purgatus est, et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges, et duae cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad ejusmodi statum pervenietur, non reflectendo amplius ad proprias actiones; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a confessione, a Confessariis, et a casibus conscientiae, a Theologia, et Philosophia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt, ut sint mortuae, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem; et supplet ipse tanta gratia preservante, quantam in Sacramento reciperent; et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult; quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesenteut amplius res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativi; Primo quia non habet fidem adeo puram; Secundo quia non est adeo hu-

humilis; Tertio quia non adeo curat propriam salutem; Quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65, Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit, in interiore vero aliter res se habet, quia solus Deus, et Director intrant.

66. Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullae, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori tribunali Praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus praejudicant, his deceptionibus, et simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad praecipiendum, ut manifestentur Epistolae Directoris quoad internum animae, et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae etc.

Superiorum autem propositionum summa, in quibus Quietistarum systema continetur, huc redit.

1. Homini enitendum esse, ut facultatum suarum activitatem cohibeat, adeoque quantum ad ipsas maneat in quiete (unde commenti hujus sequacibus inditum est nomen *Quietistarum*), et sic de nulla re curam habeat, non de Inferno, non de Paradiso, non de propriis defectibus etc. *Prop.* 1. 2. 6. 7. 9. *etc.*

2. Abjiciendam esse tum orationem, qua quidpiam petatur, tum quamlibet corporis mortificationem *Prop.* 14. 38.

3. Id locum habere etiam, cum quis insolitis tentationibus quatitur, et impuras quascumque carnis rebelliones experitur; quia haec merae sunt daemonis violentiae, quae ad fornicationem usque progredi possunt,

sunt, et de facto pluries progressae sunt, absque ullo hominis peccato; quia absque ullo ejus consensu. *Prop.* 41. 42. 51.

4. Obscoena haec, si quandoque in corpore exurgant, non esse Confessario aperienda, ut quae nequidem sint veniales culpae; imo, quae animum in via interna progredientem magis uniant Deo. *Prop.* 47. 48. 52 *etc.*

§. XXI.

Propositiones ab Alexandro VIII. damnatae anno MDCXC. die 24. Augusti.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actuum cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in suum finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi. Theologicum vero, et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

§. XXII.

§. XXII.

Propositiones damnatae ab Alexandro VIII. die 4. Decemb. MDCXC.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in caussa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, et solis Fidelibus.

5. Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sicut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, et etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quis-

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitantiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factae, plerumque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua poenitentia, seu satisfactione, ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quae fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum, nefas est Christiano in templo collocare.

26. La-

26. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris* etc. praetermissis illis; *Ego te Baptizo*.

28 Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, est subreptitia.

§. XXIII.

Propositiones damnatae ab Innocentio XII. die 12. Martii an. MDCXCIX.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu vitae contemplativae, seu unitivae omittitur omne motivum interessatum timoris, et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animae, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per actionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet

met affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbatiunem cojicere.

4. In statu sauctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria, et deliberata propter suum intereresse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.

6. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Chsistus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium Extremae probationes, in quibus haec abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo, perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam aeternum.

8. Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinterratis circa aeternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum,

9. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quae non est intimus conscientiae fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce dicens; *Deus Deus meus, ut quid de*

dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est in suis actibus directis, et intimis spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae sui proprii interesse, et justae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino coeca et involuntaria perturbatione: Nam totum, quod est voluntarium, et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectae, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis, primo in fervore nascente earum contemplationis. Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18, In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

1. Pe-

1. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propriam suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis haec doctrina (de puro amore) esset pura, et simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitationem amoris interestati eorum gratiae proportionatam.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium, et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, et meritorii sunt.

§. XXIV.

Propositiones Jansenii damnatae ab Innocentio X.

1. Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habet vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus

bus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

§. XXV.

Propositiones Quesnelli damnatae a Clemente XI. in Bulla* Unigenitus, *in sensu ab auctoribus intento.

1. Quid aliud remanet animae, quae Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad opus bonum; absque illa non solum nihil sit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.

4. Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes, et gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obturandum.

6. Discrimen inter foedus Judaicum, et Christianum est quod in isto Deus exigit fugam peccati, et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in illo vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id; quod Deus nobis praecipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gra-

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet, ut se dedat, accurrat, se humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, et suam aeternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, et interiori vi gratiae suae, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, qua homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18, Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas, haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiae idea est; quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis; sequela, et imitatio operationis Dei incarnantis, et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archepyto omnium operationum misericordiae, et gratiae, quae omnes ita gratuitae; atque ita

ita dependenter a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habuit de omnipotentia Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis. est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam; et eam sanat aeque ac corpus sola sua voluntate; jubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullae dantur gratiae nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, quem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh, quantum oporteret bonis terrenis, et sibimetipsi renunciasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropiandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, et mysteria, ut facit sanctus Paulus dicens; *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est seqnela creationis, et erat debita naturae sanae, et integrae.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, et status innocentiae, ac gratiam Christianam, est quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista ve-

vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami sanctificando illam in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana non sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se se praecipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi a nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum; loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei, sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiae baptismalis est facere, ut moriamur peccato: adeo ut spiritus, cor, sensus non habent pro rebus mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, et actiones omnes nostrae nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum; quemque Deus remuneratur: et amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, cui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei Amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum sine Fidei lumine, sine Christo, et sine charitate.

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine Amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, et semine; sed haec fides non est absque amore, et fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum; et Jesum Christum.

54. Sola charitas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.

62 Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetae, Sacerdotes, et Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium: cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiae; sed per fidem, et per amorem, sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et praemium Fidei totum est donum pure liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiae Christianae est, quod sit Catholica; comprehendens, et omnes Angelos coeli, et omnes electos; et justos terrae, et omnium saeculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemtorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris; quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona: Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, et justi omnium saeculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, et Christum pro capite.

78 Seperatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus; et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria Sacrae Scripturae.

80 Lectio Sacrae Scripturae est pro omnibus.

81. Obscuritas Sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturatum abusus, et natae sunt haereses.

84. Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacrae Scripturae praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci tutius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicae, et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae, et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiae.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem praesumto, totius corporis.

91. Excommunicationis injustae metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest; ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato: Jesus restituit, quando ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint linqua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium. Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae, et irae Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariae Praedicatoribus veritatis, et ejus victoria attribui non possit nisi Divinae gratiae.

97. Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tamquam ab ea separata: sed justus vivit ex Fide et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis, et poenatum, quas quis tolerat, tanquam haereticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque propositio est, et maxime meritoria,

utpe-

utpote quae facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut., aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutuat quotidie quoad multos in odorem mortis idit quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitae, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla etc.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit . . . . Haberi, ac tractari a Religionis Magistris, tamquam impium, et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excoecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, et doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

§. XXVI.

Propositiones damnatae a Benedicto XIV. anno MDCCLII.

1. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae, ec. promeritae spe, perpetuo carere deberet, culpa, et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provacantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux, vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, et officii.

4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malae ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.

F I N I S.

INDEX CAPITUM

CAP.

effe-

tio

ERRATA CORRIGE

Pag. 7. et 8. pro fit *lege* sit, *et aliquando viceversa* . . . pag. 10 *pro* pervenit *lege* provenit . . . . . pag. 11. pro pufant leg. putat . . . ib. pro protestare leg. praestare .. ib. pro fit vincibilis leg. sit, aut vincibilis . . ib. fit impossibile leg. sit impossibile . . pag. 16. pro *inexcusabilis sit omnis*. leg. *inexcusabilis sit omnis peccator* . : . pag. 18. pro fine esse leg. sive esse . . ib. pro *ejus legis*. leg. *opus legis* . . ib. . finitur ignorare leg. sinitur ignorare . . . pag. 19. pro stimulus. leg. stimulos . . pag. 20. pro *cum* . . *illum* . . leg. *eam* . . . *illam* . . . ib. pro *affluentur*. leg. *affluenter* . . . pag. 21: pro fine leg. sine . . . pag. 22. pro thus. leg. thus idolis . . . ib. ideoque et peccatum. leg. non destruit voluntarium , ideoque et peccatum . . pag. 23. pro fit voluntatis leg. sit voluntatis .. 25. pro arbitri. leg. arbitrii . . . pag. 28. pro praecunter ; leg praeeunte . . pag. 31. sed in est. pro sed in eo . . . pag. 37. pro animi nisi. leg. animi nisu . . . pag. 40. pro ad finem spem. leg. ad fidem , spem . . . pag. 42. pro *deferenda* leg. *deserenda* . . . ib. beatitudines. pro beatitudinem . . . pag. 45. pro servet. leg. fervet . . . pag. 48. et in Domino leg. et non in Domino . . . . pag. 49. pro praecepto. leg. praecepti . . . pag. 50. hanc ordinem . . . hunc ordinem . . . pag. 57. pro *virtuose*. leg. *vitiose* . . . pag. 58. pro quaeque. leg. quoque . . . pag. 59. pro unde leg. nude . . . pag. 67. pro praecipis leg. praecipi . . ib. com-

communitatis . . . qui . . . sa . . pro communitati.. quae . . si . . pag. 69. pro nemine. leg. nomine . . ib. pro praecepti, leg. quae praecepti . . . pag. 73. pro mutari. leg. mutui . . . pag. 78. pro reperat: leg. repetat . . . pag. 85. pro ea *Judaismo*. leg. ex *Judaismo* . . . pag. 95. pro sed baptismo Joannis leg. sed baptismo Christi . . . pag. 99. pro tum profana. leg. tum sacra, tum profana . . . pag. 106. vel fraudis. leg. facti, vel fraudis . . . ib. sinet. leg. sunt . . . pag. 110. rebus sacris. leg. in rebus sacris . . . . . pag. 111. mortibus. leg. moribus . . . pag. 112. pro praecidere leg. praecipere . . . pag. 117. pro merantur. leg. morantur . . . ib. subdicti. leg. subducti . . pag. 164. pro Coraubae. leg. Cordubae . . . pag. 167. pro rationem leg. tutiorem . . . pag. 169. pro sorte leg. forte . . . pag. 178. pro afferres. leg. afferret . . pag. 176. pro *obstupescat*. leg. obstupescas . . . ib. pro *probabilismum* leg. *probabilissimam* . . . pag. 218. pro contentum. leg. contemptum . . . pag. 221. pro voluntatem. leg. voluptatem . . . pag. 227. pro illud. leg. ille . . . pag. 234. pro sine leg. fine . . . pag. 262. pro sinodum leg. symbolum . . . pag. 267. pro lapsum. leg. lupum . . . pag. 284. pro ne non leg. ne . . . pag. 288. times. leg. timeo . . . pag. 296. pro exportasse. leg. exoptasse . . . pag. 338. agitur de iis. leg. ubi agitur de iis . . . pag. 344. societatis. leg. societati . . . pag. 381. pro liberarentia. leg. liberarent a . . . pag. 409 pro *initiatus*, *ac*. leg. initiatur, *subditus*, *ac* . . . pag. 445. pro *non nisi per scandalum* leg. *non nisi per Sedem Apostolicam*, *ut scandalum*.

Caetera leviora praetermisimus.